


PERKINS LIBRARY


Duke University

Rare Books









CARMINA

ILLUSTRIUM

POETARUM

ITALORUM.

ANNALES
MUSEI
POMERANICI
MUSEI
POMERANICI

CARMINA
ILLUSTRIMUM
POETARUM
ITALORUM.

TOMUS TERTIUS.

Bottari, G. G. ed.



FLORENTIÆ. M DCC. XIX.
Typis Regiæ Celsitudinis, apud Joannem Cajetanum
Tartinium, & Sanctem Franchium.

Superiorum permissa.

CAMPBELL'S
MAGAZINE
POETARIUM
BY
JOHN CAMPBELL



THE
PUBLISHED BY
NEW YORK



CATALOGUS

ITALORUM POETARUM

Tomi Tertii.



^F
RBR
B751C
V. 3

	pag.	i.
C Æsarius Virginius.		1.
Cæsarius Janus.	56.	
Calcagninus Cælius.	65.	
Camillus Julius.	108.	
Camænus Joannes Franciscus.	114.	
Campanus Antonius.	116.	
Cantalicius.	123.	
Capilupus Lælius.	157.	
Capilupus Hippolytus.	204.	
Capilupus Camillus.	243.	
Capilupus Julius.	245.	
Caracciolus Antonius.	249.	
Cardulus Fulvius.	250.	
Carga Joannes.	251.	
Casa Joannes.	263.	
Casanova Marcus Antonius.	284.	
Castilionius Balthassar.	295.	
Castilionensis Franciscus.	310.	
Cathena Hieronymus.	313.	
Cavanus Ludovicus.	317.	


Ce-

<i>Ceretus Daniel.</i>	pag. 352.
<i>Cerratus Paulus.</i>	357.
<i>Cerrutus Antonius.</i>	371.
<i>Chrisostomus Joannes.</i>	398.
<i>Ciofanus Hercules.</i>	399.
<i>Ciria Joseph Maria.</i>	401.
<i>Cloccus Andreas.</i>	407.
<i>Coccejmus Augustinus.</i>	407.
<i>Codrus Urceus Antonius.</i>	412.
<i>Colentius Joannes.</i>	415.
<i>Collenucius Pandulphus.</i>	419.
<i>Collonius Ludovicus.</i>	429.
<i>Colotius Angelus.</i>	429.
<i>Columna Marius.</i>	431.
<i>Consobrinus Joannes Maximus.</i>	439.
<i>Corellus Franciscus.</i>	439.
<i>Coricius Leonardus.</i>	440.
<i>Cornachinus Thomas.</i>	445.
<i>Cornazanus Antonius.</i>	446.
<i>Corræa Thomas.</i>	448.
<i>Cortesius Thomas Alexander.</i>	457.
<i>Costæjus Joannes Franciscus.</i>	489.
<i>Cottu Joannes.</i>	490.
<i>Crinitus Petrus.</i>	497.
<i>Crottus Julius Ælius.</i>	518.
<i>Crucejus Hannibal.</i>	524.
<i>Cursius Petrus.</i>	528.





CARMINA
ILLUSTRIMUM
POETARUM
ITALORUM.



VIRGINII CÆSARINI
ROMANI.

*In Victoriã Bobemicã Maximilianĩ
Bojorum Ducis.*

Tristitiam, trepidosque metus, curasque protervis
Tradam Carpathium per mare ferre Notis.
Omnia læta cano: pleno nunc ore sonandum:
Aurea quid cessas mihi dare plectra puer?
Non referam molles luctus, privata silebo
Damna: queri nobis publica causa vetat.
Surge anime, & desueta diu fer gaudia mente:
Surge anime, atque aliam discere movere chelyn.
Sacra canit vinctus Peneïde fronde capillos
Vates: quisquis ades, dic bona verba sacris.
Tom. III. A Uran-

Urantur Syriæ merces, Nabathæaque thura :
 Puniceas oleant lucida templa rosas.
 Ultra profanitas adsitis Numina sedes,
 Impleat & vester nunc mea lina favor.
 Sunt aliquid Superi: Romanis regnat in aris
 Relligio, veteres quam coluistis avi.
 Non defunt lentas ultricia fulmina in iras,
 Judicat & tandem crimina pœna sequax.
 Fœda Palatinum regnis dare terga Bohemis
 Vidimus, & nostrâ parta tropæa manu.
 Fraçta cruentatum volvuntur sceptrâ per Albig:
 Funerco Hercynius sanguine tabet ager.
 Vincula Praga manu gestat, quâ tela gerebat,
 Et malè decussos accipit ore lupos.
 Quis Superum, Musæ, nostros ad bella maniplos,
 Dicite, quæ juvit Cæsaris arma manus?
 Utraque finitimis legio confederat arvis,
 Cernebantque avidi mutua castra duces.
 Hinc Rhenanus agit Slavos, Moravosque rebelles,
 Et ferus in pugnam Slesia signa rapit.
 Fœda Superstitio, sacris infensa Latinis,
 Tincta Acherontæo spicula felle tenet;
 Et Vaticano ante alios incendia templo
 Calvinus minitans, impia tela rotat.
 Hinc armis nitet Augusto devota juvenus,
 Ardet & aratâ cuspide Boja cohors,
 Una ingens Hispana phalanx certamina poscit,
 Justaque Parthenopes miles in arma ruit.
 Arduus & campo sese Buquoïus infert,
 Magnanimosque docet spernere fata viros.
 Aptant se pugnæ Tyrrheni Principis alæ;
 Hostem jamque prior, quam manus, ira ferit.
 Sic steterant acies: necdum dare carmine belli
 Clarisonæ audebant signa cruenta tubæ.
 Aëre se mittens rutilus cum nubibus actus,
 Liquit Adalbertus cærula templa poli.
 Et Bavarum stetit ante Ducem: tum stella nitenti
 Per nubes sequit crine refixa viam.

Non ille attulerat chlamydem, tunicasque crepantes
 Textilibus ventis, carbasseosque sinus:
 Non pastorali firmans vestigia virgâ,
 Aut venit mitrâ tempora vinctâ gerens:
 Qualem Divorum cumulantem altaria donis,
 Jam vidit melior Praga operata Deo.
 Norica sed forti crispans hastilia dextra;
 Totus & ardenti clausus ab ære nitet.
 Aureus umbo iras, furias, clademque vomebat:
 Nutabat cristâ versicolore caput.
 Mox ait: O fidei Princeps defensor avitæ,
 Maxmiliane, tuis gloria major avis;
 Perge. age; tempus adest, via nunc rumpenda per agmen:
 Disice, me, trepidos, omina dante, duces.
 Sat regnare datum iceleri, jam fraudis abundè est:
 Nunc admissa truci crimina morte luant.
 Tu cœli vindex: tibi victima corruet hostis,
 Planget & adversam sanguinolentus humum.
 Non te, quod densis horrescunt agmina signis,
 Terreat: has acies Numina magna premunt.
 Divorum violata animo simulacra revolve,
 Et temerata truci fana vetusta manu.
 Vestales subeant aditus, & milite castus
 Quæ colit, audaci, claustra refracta, pudor.
 Illa est, illa ferox letho sternenda juvenus,
 Divorum e tumulis quæ ruit ossa sacris.
 Quique dedit cineres nostros ludibria ventis,
 Det lacer impastis ossa inhumata feris.
 Quod causâ vincis, vinctes & viribus hostes:
 Stabunt pro castris jusque, piumque tuis.
 O quantos hodie confusæ cædis acervos
 Aspicias! dextrâ funera quanta dabis?
 Eventura cano belli non futilis augur:
 Mentiri haud Superûm nuntia lingua potest.
 Ecce tuas volitat circum Victoria turmas,
 Lectaque Idumæis fert tibi ferta jugis.
 Dixit, & intorsit furialis robora teli,
 Horret qua denso crebrior hoste globus.

Proxima Bojugenæ regis volat hasta per auras ;
 Cetera ductorem turba imitata ruit .
 Exhortantur equos , laxisque feruntur habenis :
 Quadrupedum occurrunt pectora pectoribus
 Fulmineum explodunt nitrosa tonitrua plumbum ,
 Sulphureasque volat Mors comitata pilas .
 Dant sonitum colles , refugitque exterritus amnis
 Æther dissultat , concutiturque solum .
 At Dux fatifero Bojorum dimicat ense :
 Qua ruit , horrescunt obvia corda metu .
 Latum limitem agit peditemque equitemque metendo ,
 Versaque vulnifico fulmine terga ferit .
 Indica sic frendens furit inter ovilia tigris :
 Per Libycas equitans sic ruit Auster aquas .
 Sic flamma arentes victrix populatur aristas :
 Diluviem meditans sic tumet Ister agris .
 Tum vero exoritur clades horrenda cadentium ,
 Strataque in informi corpora cæde natant .
 Pars ruere in fatum , pugnaci & pectore mortem
 Accipere : incertæ pars dare terga fugæ .
 Hi fluvium petere , & rapidis se credere lymphis ;
 Brachia sed vincit vulnere tarda labor .
 Jam terror miseros nigris amplectitur alis ,
 Et quatit insolitus pectora pulsa timor .
 Jam reboant gemitus morientium pallida fuso
 Exultatque virum sanguine Tisiphone .
 Undique sanguinæ strages , & plurima mortis
 Versatur facies : inficit arva cruor .
 Vicit Religio tandem , fusæque catervæ
 Sunt visæ ad nostros proiicere arma pedes .
 Tu quoque , Rex , stares miserandus truncus in arvis ,
 Nî letho profugum surripuisset equus .
 Ecce petis Moravas , latebrosa cubilia , silvas ,
 Nec , quæ circumstant aspera fata , vides .
 Quo ruis , ô demens ? nostris accede triumphis :
 Cæsareum satius sponte subire jugum .
 Jam tibi prædico exilium , longosque labores ,
 Pauperiem , & nullos per tua regna lares .

C Æ S A R I N I .

5

Finibus extorris, Rhenique expulsus ab amne,
 Quam mallet, dices, hac cecidisse die!
 O ubi nunc foceri auxilium, classesque Batavæ!
 Fugisti: languet spiritus ille tuus.
 Voverat ille [nefas] se se Capitolia ferro
 Excisurum olim, Romulidûmque decus:
 Ebrius & patrio celebrans convivia Baccho,
 Sacrarat telis Itala regna suis.
 At Superi oderunt ventosæ prælia linguæ:
 Imminet in tumidos Numinis ira duces.
 Montibus Æmonii celsos imponite montes,
 Monti parque Mimas, Oromedonque ruant.
 Ægæon validus centeno fulguret ense,
 Porphyrionque fremat, centimanusque Gyas,
 Fulmine dejecti Stygias trudentur ad undas:
 Invenient Siculis flammea busta jugis.
 Pura triumphatum Pietas ascendit olympum,
 Et parent humili sidera capta prece.
 Hinc Tibi victori, plausu fremituque secundo,
 Fessa malis referat mœnia Praga triceps.
 Tu sancis leges, inimicaque fœdera rumpis,
 Dux acie, & justo Dux metuende foro.
 Bella gemunt, fractamque fidem, te iudice, fontes!
 Fallaces cohibent vincula athena viros.
 Listorem metuunt ausi sprevisse phalanges:
 Armorum peragit stricta securis opus.
 Miles Jö ingeminat præcinctus tempora lauro:
 Acer Jö ingenti voce triumphæ canit.
 Ante tuos currus fracto Moldavia cornu
 Decolor incedit sanguine tincta suo.
 Fertur summisso, tristisque Bohemia vultu,
 Quas nutrit, passis pulverulenta comis.
 Numina redduntur templis, altaribus ignes,
 Numinibus cultus, thurea grana focis.
 Primus & ante aras Princeps inducit honores,
 Hostilesque aptat postibus exuvias,
 Arma fugacis equi, servantia signa cruorem,
 Et de languenti spicula lapsa manu.

Ingentes pendent hastæ, infelicia tela,
 Et frustrata suos scuta cruenta duces.
 Sacra redux celebrat Romanâ in veste Sacerdos,
 Edit & arcano verba timenda sono.
 Dein animata Deo delibat munera mensæ,
 Et, memorans Christi funera corde, litat.
 Monstra fremunt Erebi, Cocytia regna resultant:
 Horrendum Hussitus sibilat ore draco.
 Magnus Cœlicolûm plaudens tibi Carolus aulâ,
 Hæc secum tacito in pectore versat avus:
 O vere eductam Francorum e stemmate prolem!
 Prælia sunt testes sanguinis ista mei.
 Prosequitur plausu stellantis regia cœli,
 Gaudet & Aligerum templa per alta chorus.
 Quare age præceptis pubes imbuta Latinis,
 Rite operata Deo munera mente refer.
 Grates Cœlitibus, quorum immortalibus armis
 Debetur pulchro parta labore falus.
 Ferdinande, tuo victor lætare triumpho:
 Gaude Cæsareis fascibus aucta domus.
 Victa sub Augustis rediit provincia virgis,
 Externumque jugum se coluisse dolet.
 En tua sidereæ veniunt ad classica turmæ;
 En tua Cœlicolûm prosperat arma Pater.
 Non tibi dat metas rerum, non tempora Cœlum;
 Terrarum imperium sed sine fine dedit.
 O benè culta pio Cœlestia Sacra Rodulpho!
 Qualia creverunt omine regna tuo!
 Exoriens, moriensque tuas Sol aspicit undas:
 Auster, & Arctoi te colit ora soli.
 Concinit Austriacos Siren Tyrrhena triumphos,
 Et plaudit faustâ, cum tonat, Ætna face.
 Belgica concreto per stagna rigentia tergo
 Arma, & plaustra tuus stridula miles agit.
 Feta tuis sceptris alios Sors parturit Orbes,
 Transque fluentifonum regna dat Oceanum.
 Peruvios tua jura domant, & Mexican ingens,
 Teque Thyestæâ Brasili pasta dape.

CÆSARINII.

7

India quin aurum, captivaque cinnama mittit,
 Memnonii baccas & tibi dona freti.
 Gangaridum Hispanæ sunt hospita littora puppi,
 Servit & Eöæ fertilis ora Gox.
 Gaude Relligio, soboles dilecta Tonanti:
 Ire per Æthiopas ad tua templa licet.
 Auroræ tellus veneranda oracula poscit:
 Sacra niger patrio thure procurat Arabs.
 Occiduis Phlegeton longe detruditur aris,
 Patagonum luci præmonuere fugam.
 Qua tenet imperium, Romanos Austria mores
 Edocet, & victos ad pia sacra vocat.
 Tu cælo populos, Superi tibi regna rependunt;
 Nec magis es ferro, quam pietate potens.
 Hæc ego magna canam Vates tua signa sequendo:
 Gloria det vires, carmine magnus ero.

AD GREGORIUM XV. PONT. MAX.

Bellicos Italiae tumultus pacantem.

Projice tela manu bello furiosa Juventus:
 Linquite Cænomanum Martia castra duces.
 Cornipedisque leves cesset glomerare recursus,
 Lugubri galexæ luce timendus eques,
 Romanus vetat arma Pater, Martemque relegat,
 Sanguineamque sitim trans pia regna fugat.
 Compescant litui, compescant classica murmur:
 Cantentur pacis sola tropæa tubæ.
 Devecat e cælo, felicia munera, pacem,
 Qui referat cæli limina athena Pater.
 Ausonias solvi decernit in otia gentes:
 Itala pallenti liberat arva metu.
 Drusorum manes, Augusti nominis umbræ,
 Gaudete: hæc vestri est pompa laboris opus.
 En iterum reduces Capitolia ad alta triumphi;
 Nec tamen hic ullo est sanguine partus honos.
 Alpibus impositi Rhæti sensere tremendis
 Agmine non fracti jura Latina togæ.

Cemite tranquillos devolvat ut Abdua fluctus,
 Et Phaëtonæas purior auctet aquas:
 Serius ut torquens per opima novalia cursum
 Roscida triticeâ cornua cingat ope.
 Larius indigenâ crines umbratus olivâ
 Splendidior gelidis exerit ora vadis.
 Hunc circum Nymphæ, glauci gens humida regni,
 Desuetos ducunt uda per antra choros.
 Eheu quot scelerum mœrens Infubria vultus
 Cœperat! heu quantum pertimuisse nefas!
 Et sibi funestas acies plebs ægra canebat,
 Et cædem, & prædas augure docta metu.
 Ille situ turres muris fulcire labantes,
 Et terræ infossas credere avarus opes.
 Tristibus excubiis hinc cingere mœnia miles,
 Atque alii externâ quærere sede lares.
 Fataque præmonuisse Deum crudelia signis,
 Bellaque narrabant significata polo,
 Cum triplici Phœbus fulsit mirabilis orbe,
 Pallentique diu lumine sparsit humum;
 Cumque catervatim stragem demisit Averno
 Depopulatrici falce cruenta lues;
 Et viduas passim Cereali munere terras
 Solata est prisca quercus opaca cibis.
 Prodigia hæc trepidum terrebant nuntia vulgus,
 Omnia Gregorius cum meliora dedit,
 Publica vela regens Mundi, clavumque ministrans,
 Promisit faustum Navita puppis iter.
 Extemplo gravidi bellis cecidere fragores:
 Detonuit scopulis: unda quievit iners.
 Quam cito, ubi antennis græci effulsere Lacones,
 Stagna modesta jacent, murmuris aura silet.
 Quam cito, cum crepitans lapidoso verberare grando
 Dissicit & vites, & sata læta boum.
 Diffugiunt imbres, mitescunt flamina Cauri,
 Iris ubi roseis æthera tranat equis.
 Gratia multa tibi magnorum maxime Regum:
 Depositis clypeis otia mundus agit.

Pax ardor Superum, Cœli mitissima proles,
 Omine cum fausto Diva salubris ades.
 Huc ades, atque Padi curru perlabere litus,
 Et tibi casta regat frena pudica Fides.
 Quacumque ingrederis felici Copia cornu
 It comes, & læto in gramine balat ovis
 Incustoditæ Zephris agitantur aristæ,
 Et teritur valido sole perusta Ceres.
 Te sequitur Bacchus: per te servantur apricis
 Collibus ad domini musta vehenda lacus.
 Sarcula pace vigent, rubigo amplectitur hastas:
 Cedit ruricolis gloria bobus equi.
 Fas graditur tecum, tibi rident oppida, & urbes:
 Tu maculosa gravi crimina lege domas.
 Justitiam folio pulsam tu reddis eburno:
 Illius horrendas instruis ense manus
 Pacatum hinc volitat mutandis mercibus æquor,
 Nec timet a nigris nauta pericla Notis.
 Et tranquilla quies curas ornare recentes
 Gestit, & inventâ fertilis arte nitet.
 O mortale genus, quid letho in damna ruenti
 Nostra, juvat celeres Marte aperire vias?
 Quis furor est claras lauros nutrire cruore,
 Pectoris ut fossi vulnera nomen emant?
 Cognatis parcit maculis jejuna leonum
 Ira, nec agnatâ gaudet hyæna dape.
 Ecquando tigris gelido bacchata Niphate
 Parthica turpavit comparis arva nece?
 Proh pudor! humana est rabies asperrima ferri:
 Humana indomitis sævior ira feris.
 Quod si tantus amor cædis corda aspera pulsat,
 Desinite in patriæ stringere tela latus.
 Thrax vocat Ausoniæ resides in bella catervas,
 Et poscunt Siculas Bosphora bina rates.
 Vos pia busta vocant fœdo calcata Tyranno,
 Inque Palæstinis sacra litata jugis.
 In Scythicas plaustro turmas, pharetrâque potentes
 Vulnere sit pulcher figere certa labor.

Aut vos adfcensis comitentur præmia Sufis
 Bellica, odoratis thuraque rapta viris.
 Aut veftra in Parthis lætetur ftragibus hafta,
 Matribus Eöis hafta gemenda diu.
 Ite agite, atque Afiaë felicia regna triumphis
 Luftrate, & capto dicite jura Syro.
 Vobis ferra dabit florum nutritor Orontes,
 Perducet veftras unguine myrrha comas.
 Græcia barbaricè fævis onerata catenis,
 Implorat focias femifepulta manus.
 Oenotrias claffes æftivas Nilus ad undas
 Totâ vefte vocans pandit in amne finus.
 Se laniant Orientis opes, fibi diffidet ingens
 Aurora, invalido fcepra tenente duce.
 Et fremere infolito prætoria cafta tumultu
 Vidimus, in Regem pilaque miffa fuum.
 Ille, veIut Boreæ procumbens viribus ornus,
 Occinit, & trunco corpore planxit humum.
 Difcite ab exemplis hoftilibus inclita facta:
 Victimæ erat noftris hæc jugulanda focis.
 Parcite cognatas in bella laceffere gentes:
 Sanguinis abftineas, Aufonis ora. tui.
 Quodd te jamdudum laceras difcordibus armis,
 Nofta peregrino fub pede colla jacent.
 Pauperiem, morbosque viris lacrimabile bellum
 Omne parit, cæcus cùm movet arma furor.
 Verùm cùm lituos inflat civilis Enyo,
 Ipfâ quatit Stygias torva Megæra faces.
 Acrior infrenat Mars in certamina currus,
 Et pejora illum monftra fecuta ruunt.
 Hellefpontiacos utinam tibi, Roma. triumphos
 Ante meos obitus monfret amica dies.
 Quâ videam Patris aufpiciis turbata Latini
 Sacra Arabum, & Latio reddita fcepra foro.
 Gregorii hoc pietas, hoc auri prodiga poſcît
 Dexteræ, & affiduo culta labore fides.
 Hujus ab aufpiciis jam nunc per templa propagans
 Relligio ante aras facta pianda docet.

Et Vaticanæ de culmine creditur arcis
 Ægida concutiens tela ciere Deus.
 Hæc precor eveniant. Lauro tunc victus ovanti
 Tractabo auratæ consona plectra lyræ.
 Conaborque tuas laudes diffundere in ævum,
 Exiguus nostro sit licet ore sonus.
 Nec me tardabunt raucæ mala murmura linguæ,
 Quin bellator Jö voce triumphæ canam.
 Jusserit hoc Clio, mutum genus omne natantum
 Edet cycneos per vada falsa modos.
 Sic ope Piëridum gelidas trans audiar Alpes,
 Trans tepidam Meroën: tu modo, Phœbe, velis.
 Et vincam æternâ clamantem Stentora voce,
 Nec mea cum Zephyris verba caduca fluent.
 Non me perpetuæ carpent oblivia noctis,
 Non omnis moriar, tu modò, Phœbe, velis.

*GREGORIUM XV iterum laudat,
 ob Triumphum Pragensem.*

Virtutis legumque parens, celeberrima regnis,
 Condita septenis Romula terra jugis:
 O Patria æternùm felix, fecunda triumphis!
 O bellatorum prole beata virùm!
 Tu quamvis gemino Solis metuenda sub axe,
 Margine sidereo clausuris Urbis opes:
 Mille licet Tuscum Tybris regnator in æquor
 Sceptra triumphali barbara veftet aquâ;
 Hannibalisque fugæ, & regalia vincla Jugurthæ
 Dardaniæ fuerint pompa cruenta manus:
 Grata tamen lauros ne dedignare recentes,
 Quas tibi de Rheni littore, Diva, fero.
 Gregoriique sacros præcingat adorea fasces,
 Quasque apices terni circumiêre comas.
 Tu late horrendo sacrorum numine pollens,
 Transcribis jussu perfida regna gravi.
 Deturbas folio reges, adimisque curules,
 Nec falsâ populos plaudere voce sinis.

Ecce Palatinus, magnæ te vindice linguæ,
 Eversus regnis præmia digna tulit.
 Consiliisque tuis justissima Cæsaris ira
 Transtulit in Boios regna caduca lares.
 Ille ferox nobis dementes corde ruinas
 Dum parat, a patriis excidit exul agris.
 Quas tu sperasti exuvias, dedit ipse Quirino:
 Pendent è nostris signa Bohema tholis.
 Nec tantum Ausonias augent Mavortia prædas
 Tela sed & capti, Palladis arma, libri.
 Cecropias, sapiens vixit queis Græcia, chartas,
 Hostibus ereptas Romula cura legit.
 Heidelbergæ, tuis clarescet Roma ruinis,
 Dum vivent artes, ingeniique decus.
 Tu quondam adversas in nos hortata phalanges
 Infandas poteras ære onerare manus.
 Calvinusque tuis conflabat dira cavernis
 Hæsuræ in nostro tela ferox latere;
 Argivæque aciem verborum fraude polibat
 Gorgoneo explorans tincta metalla lacu.
 Non ita Cyclopum, si vera est fama, camini
 Informant rapido fulminis igne minas.
 Pro re Cœlicolum, pro majestate Tonantis,
 Ictibus horriferis saxa Sicana gemunt:
 Miscuit & nudus candentia telu Pyracmon
 Centimanum ardenti clara futura nece.
 At tu terrigenis Rheni fabricata sub antro
 In cœli exitium tela rotanda dabas.
 Tibridis o castæ pubes operata Minervæ,
 Gaude Socraticæ pignore læta domus.
 Hæc tibi sufficiet sternendis hostibus arma:
 Hinc illis terror, morsque cruenta venit.
 Quis scit, an & nostris hinc olim excussa iacertis
 Inficiet fusus spicula ab hoste cruor?
 Petre fave, miles Christi dum prælia tento:
 Et mihi de Petri munere surgit opus.
 In tua monstra feror, Germania feta colubris:
 Et mihi sunt arcus, & mea dextra nocet.

Vipereos rictus, latrantia colla refringam,
 Et sparso pharetræ pondere, victor ero.
 Interea dulces Phœbi redeamus ad artes:
 Me cytharæ imbelles, plectraque Lyda vocant.
 Rex ô sacrorum tibi plebs, tibi curia plaudat:
 Castalii plaudant per juga bina chori.
 Et, benefactorum merces, tibi gloria detur,
 Et memores titulos fama superstes alat.
 I felix, puppique sacrâ pete regna per undas,
 Mercibus Eöis perge onerare ratem.
 Vise pharetratas gaudentes cæde Moluccas,
 Hospitibusque feræ littora Brasiliæ.
 Trans Indum, & Gangem, nascentis & ultima Solis,
 Cæruleas certo sidere curre vias.
 Xaverius magno ante aras dignatus honore,
 Auspice te, Superum, lintea tuta vocat.
 Legifer ille Euri Ledæis clarior astris,
 Ostendet fido lumine puppis iter.
 Crede mari pia lina Pater: jam sternitur unda,
 Pura repercussâ marmora luce nitent.
 Jam non de septem specubus effusa Trionis
 Naufraga tempestas in tua vela ruet.
 Nimborum illa olim sedes disjecta tumultu est
 Æolia ingenti, nostraque jura timet.
 Hostes hinc soliti Cauris immittere habenas,
 Ut quaterent alis aspera dorsa freti.
 Atque indignati turgentia regna Tridentis
 Romanæ inferrent ultima damna trabi.
 Visum aliter Superis: navis, navisque magister,
 Post victas hyemes littora tuta tenent.
 Navita Gregorius nunc regnat & Æolus idem;
 Hic novus Hippotades murmura rauca domat.
 Tolle Ithaco mendax frenatas utre procellas
 Clio: Romani est remigis illud opus.
 Hic Vaticanis includit flamina claustris,
 Et rabiem, & furias providus ære ligat.
 Mœnia Pontificum, Divisque habitabile bustum,
 Dædaleisque minis templa imitata polum:

Ruraque Phæacum silvis certantia cultu,
 Naiadum choreis udaq̄ue semper humus:
 Porticibus vestris ô qui me sistet & umbris
 Noscere quærentem Graia reperta senum?
 Ut tacirus vulgo reptare incognita Tempe,
 Et possim vestro rore levare sitim.
 Hic ego Mopsopii vel ducam pocula mellis,
 Curvaque Piræi littoris arva legam.
 Vel cupiens dubias naturæ accedere causas,
 Ingrediar Macedûm culta Lycea duci.
 Persequar aut tragicum spirantia carmina Vatum,
 Cæique Alcæique aurea plectra lyræ.
 Tunc ego despiciam stultæ mala gaudia mentis,
 Dona que gemmiferi despiciam pelagi:
 Quod formidatus vestigat classe Batavus,
 Qua matutinas Java colorat aquas.
 Sardinia segetes, bene olentes fruge Sabæos,
 Hermum despiciam, despiciamque Tagum.
 O valeant fascès, spinosa que purpura Regum:
 O valeant miseri, quos levis urget honor.
 Quos vehit ad trabeas ventosis Gloria bigis,
 Pectora quæ furdo verberè cæca ferit.
 Tu Bellona vale, & vos ô fera bella valete,
 Et Martis furias docta ciêre tuba.
 Alter pila rotet campis, hastasque coruscet,
 Quà magnus nautis emicat Oarion:
 Oceani Oarion pedibus qui stagna peragrans
 Æquoreis humeros altior extat aquis.
 At me fallentis carpentem commoda vitæ,
 Parnassi adspiciat lenis alumna quies.
 Sic ego Musarum devectus præpetè pennâ,
 Eripiar populis, & super astra ferar.
 Major & invidiâ per postuma carmina vivam,
 Virtutisque tuæ, Roma, Poëta canar.



*Nicolaus Ludovisus, Isabella Gesualda Sponse,
Venusii Principi.*

Accipe Trinacriis è Regibus edita Virgo
 Conjugis ingenuâ scripta notata manu.
 Accipe: concessos narrabit epistola amores,
 Sollicitique animi nuntia verba feret.
 Non tot arundineis armantur terga sagittis
 Parthica, quot lacero pectore tela gero.
 Nec sic ardet ager, ventis æstare coortis,
 Pastor ubi flammis pinguibus arva coquit;
 Ut mea tabificis torrentur viscera tædis,
 Fervidus ut nostrum molle cor urit Amor.
 Unica tu nostræ causa es pulcherrima curæ,
 Unica tristitiæ fonsque modusque meæ.
 Uritur omnis amans, sed aperti conjugis ignes
 Suscitât, ut vivant, penniger ipse puer.
 Felices, sociæ jungunt quos fœdera dextræ,
 Jungit & ad thalami gaudia pacta Venus.
 Me tibi connubio puerum data dextera nescit:
 Non vacui nesciunt frigida regna tori.
 Te Campana tenet felicior hospite tanto
 Tellus; me invitum Romula regna tenent.
 Heu mihi quàm longè meus à me dissidet ignis!
 Ignis abest longè, sed ferus ardor adest.
 O utinam optato coram consumerer æstu,
 Explerentque avidam lumina amata sitim!
 Maceror, & nostro non fit medicina dolori;
 Acer & in latebris pectoris hæret Amor.
 Quid faciam? celerare fugam, sedesque paternas
 Deserere, & fratris limina cara juvat.
 At vigilis patruï pia me custodia servat,
 Quam cœlum, & terræ, fuscaque regna timent.
 Hic mihi discessum optatum, veniamque roganti,
 Causatus puero multa, negavit iter.
 Te tamen invenio, quamquam his regionibus absis,
 Blanditiisque tuis, qua datur arte, fruor.

Mente agito vultus ad nostra incendia natos;
 Artificis video lumina Amoris opus.
 Et meditor flavos crines, & eburnea colla,
 Quique, precor, niveos, sint mea præda, sinus.
 Cum vero hæc meditor, cælum contingere plantis,
 Et videor celsi templa habitare Jovis.
 At cum te absentem agnosco, mea gaudia cessant,
 Et videor tristi trans Scyga puppe rapi.
 Solamenque mali, misero quod restat amanti,
 Legatos qui te, multa, adiêre, rogo.
 Quid facias posco, de me quodcumque locuta es,
 Quæque scio quæro, mox repetita peto:
 Qui vultus, quam forma decens, quam dulcia verba:
 An desiderio tu moveare mei:
 Num cytharæ cordi tibi sint, num Palladis artes:
 Saltanti ut soleas molliter ire pede.
 Ecquid in antiquam virtutem gloria regum
 Te rapiat: quænam sit tibi culta parens:
 Hæc tunc sæpe meo reddunt responsa dolori:
 O felix tali vulnere quisquis amat!
 Fulva coma est illi, niveo pulcherrima fulget
 Corpore, & incessu numen, & ore patet.
 Illius ex facie contorquet fulmina Cypris:
 Dum loquitur, vernas spargit ab ore rosas.
 Illius in digitis, plectrisque loquentibus artem,
 Musica Phœbei gloria fulget avi.
 Seu choreas ducit, sive est operata Minervæ,
 Pone illam triplex Gratia subsequitur.
 Et memor illa tui est, & multa interrogat illa
 Te super, & roseo, dum rogat, igne micat.
 Casta pudicitiam mater, sanctosque penates
 Servat, & in pacto fœdere amare jubet.
 Ipsa genus factis testatur sanguinis hæres,
 Atque animi ante alias prima puella nitet.
 Hæc mihi respondent cupientes fallere curam:
 Ast alimenta furens hinc sibi sumit Amor.
 Gliscit in immensum, nec se benè continet æstus,
 Fletibus attenuor, pallor & ora subit.

Et me cunctarum capiunt fastidia rerum:
 Non pila, non disci, aut flectere ludus equos.
 Non cursus me palma juvat, pulvisque palæstræ:
 Nare per æstivos non mihi cura lacus.
 Quo rudior primos mens non intelligit ignes,
 Sævior in teneram spicula figit Amor.
 Læditur a primo detrectans taurus aratro,
 Primaque languescit sub juga missus amans.
 A te principium nostræ duxere favillæ:
 Ultima tu curvo es flamma futura seni.
 Per tua tela, arcus, & per tua, lampadas, arma,
 Sic tibi de Superis sæpe triumphus eat.
 Parce puer, puero nulla est me gloria victo;
 Parce, sed ut parcas, cuspide læde magis.
 O me felicem, hic cinerem si fecerit ardor!
 Sit mihi tam pulchro laus in amore mori!
 Gratia sit Superis, talis, quod gratia formæ
 Me cœpit, cupidis mille petita procis.
 Quæ te ex ingenti Ausoniâ, matresque, virique,
 Natorum tædis non cupiere nurum?
 Non tot Dulichii proceres, errante marito,
 Ausi sunt nuptæ sollicitare fidem.
 Si te fecisses crudelis præmia pugnæ,
 Elide nobilior nunc tua terra foret.
 Herculei mallent pro te certasse lacerti,
 Teque dolo aurigæ Phryx rapuisset equis.
 Quique tulit celeris munus Schœneida plantæ,
 Auriferâ mallet te superasse fugâ.
 In te laudantur mores, vultusque, genasque,
 Et tibi quas campus dat Venusinus opes.
 Sunt quos divitiæ, sunt quos tua regia tangit,
 Et quæ Lucanis jugera bobus aras.
 Me tua forma rapit, non mœnia Vatis Horati,
 Et casti mores sunt mihi flamma decens.
 Non tamen hîc vestros ausim damnare triumphos,
 Majorum laudes, & benefacta mari.
 Te tua, te veterum comitatur gloria: priscos
 Appula Normannos regna loquuntur avos.

Exuviis Arabum, pulsis & victor Achivis,
 Robertus patrios auget honore lares.
 Illum angustantem cumulatis funerum acervis
 Vidisti ripas Aufide lente, tuas.
 Turbidus & quatiens validam Rogerius hastam,
 Armatae retulit regia ferta comae,
 Chalcidicos campos, & rura Typhoidos Aetnae,
 Et Capuam hic sceptris pressit. & arva Lami.
 Quid memorem Suevas materno è stemmate lauros,
 Fluminibus centum quas pater Ister alit?
 Hæc alii jactent dulcis præconia famæ:
 Tu fulges titulis conspicienda tuis.
 Tu mihi devictis melior provincia turmis;
 Exuvie & reges, tu mihi currus eris.
 Ah modò sis facilis, neu connubialia differ
 Gaudia, & invisæ tædia rumpe moræ.
 Sed cur, ut venias, frustra mea vota laborant?
 Non tu causa moræ, sed negat annus iter.
 Torrida cœlestis rapidus per brachia Cancri
 Phœbus anhelanti sidere ducit equos;
 Atque herbæ sitiunt morientes, & cava ficcis
 Stagna arent ripis, omnis & aura filet.
 Pontinæ halantes cænosâ uligine valles
 Æstivam prohibent fœda per arva viam.
 Nec tutum Cumas, Circesque vel Anxuris arces,
 Aut Læstrygonium radere puppe salum.
 Non benè Campani mutantur Tibride colles:
 Hic vitio cœli nam furit atra lues.
 Corpora grassantes sternunt juvenilia morbi:
 Ignea vis Urbem dat populata neci.
 Te servent potius cognatæ regna Casertæ,
 Neu subeas dubiæ tanta pericla viæ.
 Me miserum! vellem tibi non suadere, quod oro;
 Ut maneat istic attamen ipse precor.
 Tutius æstivos istic perferre vapores
 Icarii poteris, dum micat ira canis.
 Te gelidis foveant Tifata uberrima rivis,
 Qua niger umbrosas lucus opacat aquas.

Alcinoi superant vestræ pomaria silvæ,
 Felix qui agricolâ Principe gaudet ager!
 Non liquidi defunt fontes, non mollia prata:
 Arbor habet frondes, gramine vernat humus.
 Quæque per immensas sunt semina didita terras,
 Pandunt insolitas rura per ista comas.
 Narcissusque, crocusque, & gramina, Solis amores,
 Regum & de vario funere iurgit honos.
 Fama est per vestros errare animalia montes,
 Et cicures plumæ versicoloris aves.
 Sive igitur pictis rhedâ spatiabere in hortis,
 Seu canibus quæres præmia, sive plagis:
 Sive pharetrata ritus imitata Dianæ,
 Torquebis gracili Gnoſſia tela manu;
 Dent tibi plaudentes argentea lilia Nymphæ,
 Et faveant Satyri, Naiadumque chori,
 Adſitis nemorumque Dææ, rurisque puellæ:
 Pulchrior in vestros Cynthia nigrat agros.
 Spargite humum foliis, manibus date roſcida plenis
 Serta: fluant fuſæ per nemus omne roſæ.
 Huic nemora, & saltus, fontesque recludite puros,
 Ut gelida arentem temperet unda ſitim.
 Tu quoque de Getico, Borea, celer axe faveto:
 Per dominæ placido flamine curre ſinus.
 Defendunt nimios tuus illi ſpiritus æſtus,
 Illa tuis animis purpurea ora ſubi.
 Sed cave ne noſtris committas oſcula labris;
 Attica amatori ſit tibi præda ſatis.
 Campani montes, & formoſiſſima prata,
 Uxoris niveo paſcua teſta pede,
 O utinam vestros poſſem penetrare recessus,
 Aſpicere & Dryadum veſtra per antra choros!
 Tecum unâ falices inter, mea vita, jacerem,
 Tecum unâ in ſilvis vellem agitate feras.
 Et modò captarem frigus, legeremque liguſtra
 Candida cœleſtes implicitura comas.
 Et modò penderem dolci cantantis ab ore,
 Miratus doctæ carmina à vita lyræ.

O quoties, medio cùm Sol altissimus orbe est,
 Acciperet fessos quælibet umbra duos!
Non quereret. teneros æstus quòd læderet artus,
 Fœdarentque meas retia torta manus.
Vana sed æriæ rapiunt mea vota procellæ:
 Proh dolor! en silvas, me sine, sola vides.
Ah saltem capiant te nulla oblivia nostri,
 Et dicas: Conjux, heu mihi! fidus abest.
Cura sit illicibus nostros incidere amores:
 Fac legar in multo cortice scriptus ego.
Hæ tibi sũnt artes: longum sic falle laborem:
 Parce per hos æstus, vita, nocere tibi.
Interèa lectis te somnia nostra reducant:
 Luminibus nostris umbra benigna veni.
Tunc ego perpetuo vellem languescere fomno:
 Tunc matutinos odero Solis equos.
Te tamen & vigilans spectabo: perfruar absens
 Vultibus optatis, quos mihi cera refert.
Non respondentis simulacraque vana figuræ
 Alloquar, & labris oscula mille dabo.
Felix Pygmalion, signi qui captus amore,
 Vota ferens Veneri, vivere vidit ebur.
Nostrum vivit ebur, spirantia membra puellæ:
 En erit, ut possim hoc dives amore frui?
Et fruar, & nostro pones vestigia lecto:
 In mea tu venies brachia, dulce caput.
Spes bona, promissis tristes quæ ducis amantes,
 Ingredere ô tandem pectora fessa malis.
Tuque ô decurrens animosa per astra Leonis,
 Axe moraturas contrahe, Phœbe, faces.
Teque citò accipiat redeuntem flexibus actis.
 Quæ pensat somnos lumine Libra pari.
Tunc molles campi, tunc clementissimus annus,
 Qui discessuros carpere suadet iter.
At tu, sæva Lues, succincta Pavoribus alas,
 Sub patria infandum Tartara conde caput.
Solve metu Romam, fugiens Saturnia regna:
 Splendeat hîc roseo lumine pura dies.

Tunc,

Tunc, mea lux, venies nostrorum finis amorum,
 Sive velis terris, æquore sive vehi.
 Ipse tibi faciles undas, ventosque precabor,
 Nereidumque regant ut tua lina manus.
 Aspiciensque tuam tranquilla per æquora pinum,
 Illa vehit, dicam, numina nostra, ratis.
 Non me fallenti tardabit litus arenâ,
 Non brevia alternis stagna refusa vadis;
 Oscula quin tibi dem properata sine ordine multa,
 Oscula amanti trans mare digna rapi.
 At tu Romuleas arces invec̃ta triumpho,
 In Latii venies patrua regna senis.
 Quæ te pompa manet, cum tu pulcherrima rerum
 Ibis inauratis per fora plena rotis!
 Dardanii occurrent proceres, festæque catervæ:
 Tempa fremunt plausu, lætitiâque viæ.
 Aspicias Urbem, victricia mœnia mundi,
 Alternæ Solis quam tremuere domus.
 Hæc legum bellique parens oracula terris
 E Vaticano culmine sancta canit.
 Hic Patruus dat jura meus, qui fœdere nexos
 Nos iterum junget per nova sacra manu.
 Hic vir, hic est, Italis pacem qui reddidit arvis,
 Nondum tergemino cinctus honore caput.
 At nunc sceptrâ tenens, irasque, atque impia bella,
 Criminaque invicto vinc̃ta adamante ligat.
 Hujus ab auspiciis Divorum altaria crescunt,
 Templaque Cœlitibus ture vaporat Iber.
 Hic senium emendat legum, & suffragia patrum:
 Hoc duce per Latium prisca metalla fluunt.
 Non ego ventosus trabeas generisque tropæa
 Hic refero, ut titulis perfruar ipse meis.
 Mens meliora monet: magna hæc tibi gaudia narro,
 Ut citius stimulis acta ferare novis.
 Quin te purpuræ redimitus tempora vittâ,
 Optatam frater plausibus excipiet.
 Hunc fama est meritis ostrinos vincere honores:
 Fortunam didicit tam bene ferre suam:

Seu rem Romanam statuit plaudente Senatu,
 Sive rudes populos Romula sacra docet.
 Hic defueta diu revocavit ad otia Musas,
 Fraudentur celebri ne sua facta lyrâ.
 Te centum, aut plures tollent ad sidera Vates:
 Nam centum, aut plures Tibridis arva colunt.
 En citharas, & plectra citant, thalamisque precantur
 Ut faveat nostris lampade clarus Hymen.
 Quid memorem, quæ nostra parat tibi munera mater.
 Arabio nitcas ut nova nupta mari?
 Et claros lapides, Erythrææ & germina conchæ,
 Quæ peperit Ganges, quæ Comorina Thetis?
 Jam tibi depectunt foliis sua vellera Seres,
 Et tunicas auri fulgure pingit acus.
 Flammea net parvo fecunda Bononia Rheno,
 Optat virgineus quæ sibi vela pudor.
 Et viridi zonam variant tibi luce smaragdi,
 Quæ tandem est nostrâ dissolvienda manu.
 Quare age, cum mitis patientur frigora brumæ,
 Cumarum Euboico littore solve ratem.
 Interea pro me tecum mea littera vivat,
 Occupet & partem charta recepta tori.

*Antium, vetustissimam Volscorum Urbem,
 nunc dirutam, celebrat.*

O qui Tyrrenum celeri trabe curritis æquor,
 Quorum tranquillis vela tument animis;
 Ostia seu Tiberis, seu saxa Ligustridis oræ
 Linqvitis, & Jani mœnia jacta manu;
 Sive Dicarchæâ nautæ solvistis ab actâ
 Puppim, Parthenopes dulcibus aut scopulis:
 Sistite velivolum cursum, cohibete faventes
 Auras: vela cadant: parcite remigio.
 Cernitis insanâ constratum mole profundum,
 Spumea quam circum murmure fervet aqua;
 Quâ pelagus per saxa furit, fluctusque laborat
 Dejectum oppositas aggeris ire moras?

Hæc

Hæc quondam celebres testantur mœnia portus,
 Atque Austri in furias obdita claustra mari.
 Arripite has prorsus terras: monumenta docebo
 Vos veterum priscis eruta ab historiis.
 Non tantum sanctis instructæ legibus urbes,
 Tætaque divitiis luxuriosa suis
 Mortalem alliciunt pulchra ad spectacula visum,
 Sed placet annofo squalida terra situ.
 Oblætat pavor ipse animum: sunt gaudia curis,
 Et stupuisse iuvat, quem doluisse piget.
 Littore in hoc quondam surgebant divitis Antl
 Arces, Volscorum regia celsa patrum.
 Urbs populis florens, felix & pinguibus arvis,
 Audaces ventis credere docta rates.
 Aufaque Romanas per bella laceffere turmas,
 Spernere & armati Consulis imperium.
 Volscæ cohors pastos abigens a Tibride tauros,
 Roma, tui quondam militis horror erat.
 Pauperis ô semper memoranda infantia regni,
 Quo se felici sustulit alta gradu!
 Tunc Anio fuerat celeri pro Tigride Romæ,
 Extremique hominum Crustumeri, & Gabii.
 Hercyniæ saltus, Cymini vos antra fuistis;
 Nile pater fontes, lympha Velina, tui.
 O quoties Volsci bellum instaurastis, & acres
 O quoties fudit Martia Roma duces!
 Sæpius impositum regni cervice rebelli
 Detrectastis onus, servitiumque ferox.
 Vicit Roma tamen, Martis justissima cura,
 Martius & victo jura dedit Latio.
 Cum mare sanguineo perrumpens Astura fluctu,
 Æstibus involvit corpora cæsa virum.
 Tristior & fluxit valles Amasenus in imas,
 Inficiens Saturæ stagna cadaveribus.
 Contudit Æquorum nomen, Volscosque Camillus,
 Moxque triumphalis Quinctius agricola.
 Antium & æquoreas vetuit tractare carinas,
 Et fortunata merce onerare rates.

Robora tunc primum prorarum, captaque rostra
 Suggestum Latii composuere fori.
 Anne parum fuerat fluctus audisse minantes,
 Atque precellosi iurgia rauca fori;
 Heu tempestates Urbis, legumque tumultus!
 Auditura novum rostra mare imbuicis.
 Attamen ô gaudete rates, gaudete, Latinum
 Vestras eloquium sustinuisse trabes.
 Chaoniæ Vatum celebrantur carmine quercus,
 Quod visæ Euro sint concutiente loqui.
 At vos felices, Ciceronem audire loquentem
 Queis datum & ingenti Cæsaris ore frui!
 Nonne fuit fatius tanta mercede domari,
 Atque hæc perfidiæ præmia ferre trucidis?
 Ast Latium puduit sacras coluisse secures,
 Romulidum & forti subdere colla iugo.
 Invidiæ stimulis urit nos proxima virtus,
 Et malè finitimos fœdere jungit amor.
 Quid fugis ô demens victricia sceptrâ Quirini?
 Hoc bellante capi, crede, triumphus erit.
 Hæc, quæ nunc brevibus spatiis sua regna coercet,
 Hæc bellatorum rustica turba patrum,
 O quam felici fatorum lege fruetur!
 O felix niveis Romulus alitibus!
 Non tantum Ausoniæ victrix dominabitur omni,
 Sed feret imperium trans mare, & Oceanum.
 Agmina Romanos horrebunt Cimbria fasces:
 Ditabit Latium Cypria præda Jovem.
 Non Pyrrho virtus, non Pæno proderit astus:
 Corruet ante tuos, Roma, Jugurtha pedes.
 Tu duces currus utroque ab littore ovantes,
 Pallidiorque fluet sub tua Regna Tagus.
 In Latias aquilas frustra latrabit Anubis,
 Cum Ptolomææ tu potiere Pharo.
 Ah tandem, Volsci, fatali cedite Romæ:
 Cedite, & hostiles ponite mente dolos.
 Hæc vos excipiet gremio, civesque vocabit
 In sceptrum, & socias ducet in arma manus.

Hæc

Hæc vobis pia mater crit : facietis utramque
 Unam animis urbem, conjugiiſque ſacris.
 Evenere : ſuos huc miſit Roma colonos,
 Hoſtibus & victis civica jura dedit.
 Veſtraque marmoreis donavit numina templis,
 Juſſit & ornatu cuncta nitere novo.
 Addidit & turres, & propugnacula muris,
 Signaque Phidiacæ detulit artis opus.
 Prætulit & Tiberi dilectum Caius Antium,
 Inferre auſpicium huc grande, Deoſque parans,
 Quid referam portus, ſævi monumenta Neronis,
 Et vetitas patrium tundere litus aquas?
 O quantum ante alias Romana potentia gentes
 Viribus egregiis conſpicienda nites!
 Helleſpontiaco minitantem vincla profundo
 Xerxem indignatum Græcia riſit ovans.
 Id Romæ licuit : potuit nam molibus alte
 Jactis, frenatum continuiſſe mare.
 Indomitum clauſit nec tantum carcere pontum,
 Sterneret ut tutum puppibus hoſpitiū;
 Verum ut torpenti piſcis ſecurus in unda
 Luderet, hibernas negligeretque minas.
 Ingluvies Romana ſibi ſic prodiga portus
 Struxit, ut inſanam paſceret arte gulam.
 Aſpiciſte has rupes, Centaurica ſaxa : Gigantum
 Dicetis validas hæc ſtatuiffe manus.
 Nil intentatum dives ſollertia linquit :
 Stultitiā nimie nam patiuntur opes.
 Omnia ſed victrix audet ſuperare vetuſtas,
 Nil mortale diu ſubtrahiturque neci.
 Eheu Volſcorum nil ſunt niſi nomina terræ!
 Heu ubi nunc ædes, atriaque alta jacent?
 Duſti templorum periere ad ſidera ſumtus :
 Paſcitur herboſas tarda juvenca domos.
 Perque theatrales horrenti clade ruinas,
 Fortis aratra manu curva bubulcus agit.
 Quā cantus, molleſque jocis viguere choreæ,
 Ad fontes potum ſiſtula ducit oves.

Magnanimùm Heroum insultant armenta sepulchris :
 Ossibus illis grandia rastra sonant.
 Quid iuvat audaci montes tenuasse securi?
 Umbris antiquum quid spoliasse nemus?
 Quidve Carystæas optare in fulcra columnas,
 Ut niteat diti fronte operosa domus?
 I nunc, tolle animos, ô spissi littoris Antium :
 Urbs meditare tuam femisepulta necem.
 Ah miseram! versæ tardaris imagine formæ,
 Teque tuo stratam littore non reperis,
 Quis me Fortunæ doceat quâ nobile templum
 Jam steterit priscâ religione sacrum?
 Fama est hinc dubiis petiisse oracula rebus,
 Et responsa domum certa tulisse patres.
 Vana superstitio regnantem credidit olim
 Fortunam, atque illi numen inesse Deæ.
 Extaque taurorum, Nabathæaque tura profanis
 Reddebant aris, dum sibi fata rogant.
 Hic multas optabat opes; ast alter honores,
 Stantiaque in plausum plena theatra suum.
 Hic sibi velocis poscebat dona quadrigæ,
 Præmia Circensis pulverulenta fugæ.
 Nauta leves auras, mercator lucra petebat :
 Durus fecundi ruris arator opes.
 Sic natum in curas hominum genus, ægraque mentis
 Somnia, liba tulit numen inane colens.
 Non ego te Superum, Fortuna, in sede locabo :
 Vota mihi ante aras nec nocitura feram.
 Non ea mens animo : pereat qui divitis auri
 Ponderus amat, vincitum gloria quemque rapit.
 Sanum posco animum, virtutis amore calentem,
 Fortiaque in vitæ munera membri peto.
 Dum bene sit capiti, mentis sedemque tumultus,
 Cetera deripiant irrita vota Noti,
 Has mihi non audax vires in prælia posco,
 Adversa ut superem castra timendus eques :
 Totus & ære nitens fulvo, cristisque decorus,
 Scandam veloci mœnia capta pede.

Non

Non ut marmoreos postes miratus adorem,
 Limen & infomni milite sollicitum.
 Viscera sint alii Regum, felixque vocetur,
 Curarum Princeps cui grave credit onus.
 Nil semper reticenda moror, trepidusque potentis
 Sit procul a nobis pallor amicitiae.
 Me coluisse sacras Parnassi in vertice Musas,
 Et veterum scriptis invigilare juvat.
 Hæc fuit, hæc nobis a primâ cura juventâ :
 Infitus hic nostro pectore fervet amor.
 O utinam valeam, corpusque fidele labori
 Prospera Palladio dent mihi fata seni !
 Tum mihi Naturæ libeat cognoscere causas,
 Cur celer obliquum permect annus iter :
 Quam teneant elementa fidem : quæ femina rerum :
 Corpora diffusum num per inane volent.
 Noscam ego, quæ tellus, & quæ miracula ponti
 Salsa fluentifonis occulit unda vadis.
 Herbarum vires discam, succosque salubres :
 Rimabor ditis fulva metalla foli.
 Quî coeant, vastaque iterum fornace liquecant
 Artifici lymphâ : cur labefacta fluant
 Sulphura : fecundumque salem, roremque fugacem,
 Balsamaque, & flores nosse laboris erit.
 Vulcano monstrante viam, flammisque magistris,
 Experiar clausos rerum aperire sinus.
 Sic ego, sic doctæ traducam tempora vitæ,
 Si longæva mihi tempora fata dabunt.
 Hei mihi ! quid cupidam mentem spes lætat inanis,
 Nuntiat extremos si mihi Parca dies ?
 Angor jam multos obsessis faucibus annos,
 Mentis & interpret sanguine lingua tumet.
 Ipse dolor prohibet dulcis commercia vitæ,
 Elidens rauca, guttura . vocis iter.
 Huc ades ô multo tandem exoptata dolore,
 Si qua daris nostris ; ô medicina, malis !
 Huc venias miserata : tuos modulabor honores,
 Quæ me naturæ, restituasque mihi.

GABRIELI CABRERÆ.

Æthera Romuleum ut linquam solemque palustrem,
 Atque intempesti noxia rura soli,
 Cabrera, hortaris, cœlum spondesque salubre,
 Qua Zephyri nutrix intepet ora Ligus.
 Testarisque viros, quos jam damnaverat Orco
 Atropos, horribili falce minata necem,
 Pæoniâ fractos curâ, morboque rebeli,
 Istic non longâ convaluisset mora.
 Hæc mihi tabentis præbes solatia curæ;
 Artibus his miserum, dulcis amice, levas.
 Desine, jam didici nullam sperare salutem:
 Spes mihi vicini funeris una salus.
 O ego, ne tali torperent membra dolore,
 Quam mallet aërio in monte rigere lapis!
 Stare flagellanti pinusve obnoxia Cauro,
 Aut rupes, vasti quam ferit ira maris.
 Felicem Nioben, cujus per viscera sensum
 Obtundens fertur diriguisset silex.
 Vos quoque populo flentes sub cortice fratrem
 Felices Nymphæ, quas alit amne Padus.
 Ille ego sum, saxo qui non includor in ullo:
 Ille ego, cui misero robora silva negat.
 Robora silva neget, ne fiam immobile saxum,
 At saltem in cineres ossa minuta ruant.
 Quid faciam patriâ demens tellure relicta?
 An puto mutatis posse valere locis?
 Mecum causa mali latet hoc in corpore pestis,
 Et nisi post lethum non abitura lues.
 Pectore transfosso Gortynia tela gerenti
 Quid cervo prodest carpere prata fugâ:
 Alcidae induto feralia munera nuptæ,
 Nil varii cursus, profueruntque viæ,
 Sic mihi, sic auso Romanâ excedere sede,
 Nil dulces jovit deseruisse lares.

Me modo conspexit piscosis in littoris Antium.
 Me modo Circæi culminis alta domus.
 Et Læstrygonios nutrix Æneia fluctus
 Mirata est nostrâ diffiluisse rate.
 Non Cajeta mihi, non urbs gratissima Cajo,
 Aut dedit optatam filia Solis opem.
 Vos septem gemini colles, regnata Quirino
 Mœnia, Tarpeius tu Jove dignus apex;
 Accipite hanc animam: sint hîc mea funera posco,
 Et busta accumulet noster avita cinis,
 At quondam antiquos jovit liquisse penates,
 Et nova per longas quærere fata vias.
 Ingenium scrobibus mutatis exiit arbor
 Silvestre, & decorat lætior arva comis.
 Quamque sub umbrosa cernis languere parente,
 Gaudet mutato laurea silva solo.
 Quid foret Æneas, quid clari nomen Juli,
 Flumina apud Xanthi si genuisset iners?
 Illum, fumanti postquam discesserat urbe,
 Per maria errantem septima vidit hyems.
 Tandem dotales Laurentum venit in agros,
 Gessit & Ausoniæ sceptrâ timenda manu.
 Batto Cyrenas, & Cadmo condere Thebas,
 Juppiter exiliis arva petita dedit.
 Nilus & excipiens longis erroribus actam
 Donavit templis, Inachi, te profugam.
 Me quoque fata vocant alio meliora sub axe;
 Ibimus, ô socii: me quoque fata vocant.
 Vertuntur species mentis, versante dolore,
 Mensque brevi sensus accipit ægra novos.
 Spes bona, si qua Dea es, virides huc flecte volatus,
 Et desueta diu numine corda fove.
 Te colit agricola, expectat te compede vinctus,
 Votaque mortalis te duce turba facit.
 Tu quassas reficis puppes, ut navita remis
 Naufragus impellat, quâ modò navit, aquam.
 Tu, Dea, post vacuas cœlesti numine terras,
 Justitiæque fugam, sola moraris humi.

Diva veni, facilemque mihi promitte quietem,
 Neve iterum morbi damna timere velis.
 Longum iter aggredior: date læti candida amici
 Omina: eat dextrâ libera puppis avi.
 Lunaï ut videam portus, purique metalla
 Marmoris, & Geticas saxa imitata nives;
 Ingaunos, Macramque inter, Varumque repostos
 Apenninicolas, Tiguliosque sinus:
 Delphini portus, Seggestam, arcemque Monœci
 Scrutaborque tui, Ruruba. fontis aquas.
 Aspiciam Genuam, læti & prætoria ruris,
 Quæque decent Superos lucida templa suos.
 Hæc Tartessiaco pallefcunt littora fluctu;
 (Aurea nequicquam flumina jactet Iber)
 Peruviæque amnes, alieni flumina mundi
 Transfuga ab Oceano rura per ista fluunt.
 Lydia, Pactoli, Baccheia munera, arenas
 Victa sile, & ripas, aurifer Herme, tuas.
 Dure Ligur, meritoque animis elate superbis,
 Quâ tibi divitias sedulus arte paras;
 Non tibi sunt culti colles, non pingua rura;
 Sed claustra Alpinis non adeunda jugis.
 Difficilis natura negat segetesque, ferasque;
 Non negat audaci mente vigere viros.
 Hæc trahit ignotas pretiosa in fœdera gentes,
 Cæruleasque docet currere puppe vias.
 Deest hic terra viris, at non Neptunia desunt
 Arva petituræ lucra beata rati.
 Scit Cypros vallata mari, scit Taurica tellus,
 Et Ligure epotus milite, scit Tanais.
 Testes Alpheæ Tyrreno in littore Pisæ,
 Testis Cynræi prægravis ora sali.
 Ast ego non dites veniam spectator in oras,
 Ut moveant auri lumina capta sitim.
 Non cernam attonitus fulgentia pondera massæ,
 Quæ mittit terris Hispalis Aufoniis.
 Sat Fortuna dedit census sine fraude parati:
 Æstuat infelix, qui potiora cupit.

Ingenium, Cabrera, tuum mihi carius auro,
 Atque erit eloquii plurima vena Tagus.
 Quando erit, ut liceat tecum consumere soles?
 Quando erit, ut docto pendulus ore fruar?
 Una aderit mecum Phocæo junctus amore
 Ciampolus, ille tuæ cultor amicitiae.
 O qui complexus, quæ mutua gaudia nobis,
 Et sermo in sicco littore qualis erit!
 Interdum celeri rapient nos effeda cursu;
 Tres modò cantantes picta carina vehet.
 Tunc mea se duplici jactabit Arione puppis,
 Non Siculâ puppis fallere docta fide.
 Cùmque mihi geminos Vates audire licebit,
 Parnassi geminum me ad juga sistet iter.
 Teque tenens dextrâ, versus, Cabrera, canentem,
 Hæc Clario dicam verba docente Deo:
 O quàm felici modularis carmina cantu,
 Quàmque lyræ docto verbere fila moves!
 Otia quærenti fulsit tibi dexter Apollo,
 Atque omnes haustus ex Helicone dedit.
 Cui tantum favere Deæ? canit ecce cruentus
 Prælia Mæonides; sed caret ille lyrâ.
 Alcæus Reges citharâ, non cantat amores:
 Est tantum Sapphûs carmine dictus Amor.
 Pindarus Aoniæ celebris testudinis arte
 Abstinet heroâ concinere arma tuba.
 Et Veneris dominæ si lusit Teius ignes,
 Mimnermusque jocans, gaudia sola canunt.
 Omnia tu misces, & quæ diversa placebant,
 Colligis, ô verè candide Cycne Ligur.
 Ausus es Ismeni primus recludere fontes;
 Lesbia nectareæ plectra ciêre chelys.
 Qui Methymnæ tentasti fulmina linguæ,
 Et Cæi lacrimas, Stesichorique minas,
 Si Florentinam circumdas mœnibus urbem;
 Non Amphionios invidet illa modos.
 Narseti Gothos cogis dare terga sepenti,
 Odrysiâque levas obsidione Rhodon.

Salve sancte senex, Bacchi, Phœbique sacerdos:
 Numinibus salve maxima cura novem.
 Per te Graiorum libris tumefacta superbit,
 Et certat Latiis Itala Musa choris,
 Sabbatæ gaudete arces, gratissima cœlo
 Mœnia, felici prole verenda virûm.
 Et quamquam egregium terris aluistis Julum,
 Indaque sunt vestræ littora dona ratis;
 Ultima non vobis accedet gloria Vates,
 Ignea qui vestrum nomen ad astra tulit.
 Appulit ignotis oris si classe Columbus,
 Hunc ad Cœlicolum limina fama rapit.

FULVIO TESTIO.

Quæritur, se loquendi usum morbo amisisse.

Vox animi interpres, fecundæ nuntia mentis,
 Quo fugis? an semper labra filere jubes?
 Tu dulci oblectas mortalia pectora cantu,
 Efferaque unanimi fœdere corda ligas.
 Tu plectri citharæque comes; tibi carmina curæ,
 Quæque colit foccus, quæque cothurnus amat.
 Te stupet undantis moderantem frena theatri
 Vulgus, & iratum sub tua jura venit:
 Pactaque sunt tenero per te cœmmercia mundo,
 Cum poterat quernum nos aluisse nemus.
 Quo fugis, & nullâ linquis te voce vocantem?
 Non voco, sed lacrimæ pondera vocis habent.
 Inter anhelantis suspiria pectoris, ægros
 Heu quos elicio rauca per ora sonos!
 Edere luctamur sterili revoluta palato;
 Sed singultanti murmure verba cadunt.
 Non secus optato per credita membra sopori,
 Cùm serpit dulcis nocte favente quies,
 Velle loqui, & vanis conatibus ora videmur
 Solvere; sed solito lingua vigore caret.
 Sæpè meas odi voces, sonitumque tremisco,
 Cogor & ipse meis auribus esse gravis.

Mugitus timuisse suos sic creditur Iö,
 Turpia dum mœrens induit ora bovis.
 O quoties conata queri tibi inutilis hæsit
 Lingua, nec humanos reddidit ore modos!
 Inachidas quoties auxisti fletibus undas,
 Ingrati plorans impia furta Jovis!
 Frondibus hirsutis, & amarâ carice pasta
 Pocula limosis stagna fuere vadis.
 Sæpiùs exhibuit decerptas Inachus herbas;
 Ast illa est patrias lambere visa manus.
 Felices quoscumque malis Fortuna laceffit,
 Nec sua per fletus damna referre vetat!
 O fortunati vos prata per Asia cynci,
 Dulciùs extremo queis datur ore queri!
 Condita silvarum latebris felicior Echo,
 Cujus pot' cineres vox rediviva viget.
 Me dolor assiduus vicino funere terret,
 Nec patet ad questus libera facta via.
 Testari fremitu docuit natura dolores:
 Solari curas hac jubet arte graves.
 Audi, mugitu quo verberet aëra taurus
 Ictus, ubi tepidam sanguine tingit humum,
 Quin leo per Nomadum silvas fremit ore cruento,
 Si fodit Libyci militis hæsta latus.
 Et gemitu tigris montes, saltusque fatigat,
 Ventris cui rapuit pignora Parthus eques.
 Atque ubi captivis venere in retia pennis,
 Emittunt querulo gutture murmur aves.
 Nec tantum exclamant viventi prædita sensu;
 Sed viduata animâ corpora pulsa fremunt.
 Dant percussa sonum vibratâ ligna securi:
 Stridet, dum cuncis fissile robur hiat.
 Et stipulæ crepitant campis, si incendia regnant,
 Obstrepit & rapidis laurus adusta focus.
 Aspice, quo sonitu ferventia littora plangant,
 Spiritus Eurorum cum ferus urget aquas.
 Septaque nimborum rutilus si dividit ignis,
 Murmure terrifico nubila fracta tonant.

Omnia muta sonos edunt, folique negavit
 Sors mihi communi munere posse frui.
 Me miserum! quantus de vertice profluit humor!
 In fauces quanto gurgite lingua madet!
 Spiramenta animæ nimium turgentia torpent,
 Sermonique fluens obstruit humor iter.
 Haud aliter citharæ languent, nervique loquaces,
 Cogit ubi pluvias Auster opacus aquas.
 Cordis anhelanti reboant penetralia tussi,
 Pectoris & crates dissiluisse timent.
 Quid me adeo spirare vetas, sævissima tabes?
 Cur fervens animæ claustra repulsa quatit?
 Hei mihi! dum scribo, morbi solatia, versus,
 Quam valido thorax impete concutitur!
 Mitius incudem Cycloperum brachia tundunt,
 Quæ vomit e scopulis Sicelis Ætna faces.
 Mitius adversas miles ferit ariete turres,
 Et grave balistæ mœnia quassat onus.
 Opprimet hanc animam rabidi violentia morbi:
 O utinam Di me falsa timere velint!
 Non lethum timeo; genus hoc sed lugubre lethi;
 Et doleo taciti tœdia ferre mali.
 Odrysia raptor postquam tibi forcipe linguam
 Abstulit, & stabulis, ô Philomela, lates;
 Sæpe optasse mori, palmasque ad sidera tendens,
 Diceris id summos sæpe rogasse Deos.
 Ah virgo infelix, pellex incesta sororis!
 O nimium sævo credita ferma viro!
 Hæcine, crudelis, pro virginitate reponis
 Erepta, tragici præmia concubitus?
 Tempus erit, Tereu, cum te peccasse pigebit,
 Oderis & sævâ gaudia rapta manu.
 Indicium sceleris, tua crimina, tela fatetur;
 Ingenium miseris suggerit arte dolor.
 En gestit patriis epulandum apponere mensis
 Infontem furiis percita mater Iryn.
 Tu nati condes viventi viscera busto?
 Mox tua per silvas fata dolebis Epops.

Exultat cædes inter Philomela, parenti
 Ostentans nati sanguinolenta caput.
 Evasti tandem furias, gladiumque tyranni:
 Vidisti plumâ præpete membra tegi.
 At nunc per lucos injusta silentia linguæ,
 Questibus argutis blanda rependit avis.
 Quos nunc ore modos nemoris dulcissima Siren
 Concinit? exiguo in guttore quale melos?
 Interdum voces per rostra loquacia torquet;
 Sibia nunc cæsâ garrulitate rotat.
 Et modò crispanti modulatu turbinat ictus;
 Secum visa loqui nunc taciturna gemit.
 Personat omne nemus, per frondea tecta querelas
 Mirantur Nymphæ, capripedesque Dei.
 Non mea me post fata manet facundia linguæ;
 Non iterum dulci garrulus ore fruar.
 Prô citharæ custos, & carminis auctor Apollo!
 Prô mea Pierides numina sacra Deæ!
 Reddite poscentis felicia murmura labris,
 Demite, quæ cogunt ora silere, moras.
 Vos regitis cantus, vos torrens copia fandi,
 Et celebrata juvant libera verba choris.
 Quid faciam, surdas præbet si Delius aures,
 Nec mea Castalia labra levantur ope?
 Carmina jam valeant Musâ meditata sinistrâ,
 Cum domino valeat iussa tacere chelys.
 Ausonii Vates. & concita pectora thyrso,
 Ausonii, Lycio nomina grata Deo;
 Ausonii nostras soliti laudare Camænas
 Desinite ad cantus turba venire meos.
 Tu vero ante alios frustra mea carmina quæras,
 O Fulvi, Mutinæ gloria magna tuæ.
 Tibia te, cantusque decent: mihi pleetra tacenti
 Hic paries, mutam sustineatque lyram.
 Non tibi sunt tristes curæ, lætusque iuventæ
 Purpureæ vernas stat vigor ante genas.
 Et tibi nascenti jucundo lumine Phœbus
 Annuit, & flavis Calliopeia comis.

Felix, seu dulces molli fide flebis amores,
 Seu gravis heroas flumine fundis opes.
 Tu tunc festivus per jura ludis amantum,
 Et jacta ad surdas ebria verba fores.
 Tu centum ludos, & dulcia prœlia misces,
 Haustaque de mensis libera vina refers;
 Utque ferens hyemes, ventosaque jurgia cœli,
 In nudâ recubet durus amator humo.
 Auguror: hoc miseros cantu solabitur ignes,
 Expectans lentum mœsta puella virum;
 Inveniensque suas referentia carmina flammæ,
 Immoritura labris oscula longa dabit.
 Huc varios flores, huc blandi veris honores
 Ferte citi juvenes, Italidesque nurus.
 Blanditi vestro date florea ferta Poëtæ:
 Cingite ridenti tempora docta rosâ.
 At Venus Idalio plaudens te cernet ab axe,
 Ambrosioque tuum rore rigabit opus.

Relictâ Urbe cupit rus secedere.

Egeriæ valles, mitique habitata Dianæ
 Pura Thoantæi nescia silva sacri;
 Vosque lacus Triviæ dices Nemorensibus undis;
 Æneadum sedes, Laviniumque meum;
 Confectum curis, & longâ tabe dolorum
 Accipite, & patriis sistite me laribus.
 Irrita Pæoniæ post tentamenta medelæ,
 Huc libet ægrotos nunc mihi ferrè pedes.
 Romulæ valeant arces, medicique valete,
 Quorum sæpe malo sedula cura favet.
 Desinite herbarum tandem, tristisque veneni,
 Ferte procul durâ pocula tincta manu.
 Me nemora, & saltus camporum, auræque patentes,
 Et trepidans rivo garrula lympa manent.
 Prata movent animum viridantia gramina læto,
 Et qui persultant pingua rura greges.

O mi-

O mihi sola quies, colles salvete Latini!
 Salvete, ô fratris regna vetusta mei!
 Sternite iter, gradimur dum vestra per otia dia,
 Mollius, atque avibus dulcius arva sonent.
 Quam juvat annosos luci penetrare recessus,
 Notaque ab historiis hæc celebrare loca!
 Hæc tophis laqueata cavis, & pumice vivo
 Antra, pius fertur jam coluisse Numa:
 Collis Aricini cultrix pulcherrima Nympha,
 Consilium huic olim, conjugiumque fuit.
 Hac duce Pompilius bellantem terruit Urbem:
 Hinc habuit patrios rustica turba Deos.
 Martis opus, pilis gaudebat Roma cruentis,
 Romula crispabat bellicus arma furor.
 Et fuerant sævas Mavortia pectora in iras
 Prona nimis, solas tunc meditata neces,
 Mollit hæc aris regnans lucisque sacratis
 Religio, ut possent legibus arma regi.
 Hinc vittæ, hinc fruges, hinc maxima victima taurus,
 Farraque turicremis vinaque sparsa focus.
 Tandem, sanguineâ discors quæ cæde fremebat,
 Palluit in patriis pendula Roma sacris.
 Nescia mens hominum! quæ te ludibria versant?
 Quid nos terrificâ fabula fraude ligat?
 Quem non vera tenent, mendacia ficta coercent;
 Et simulacra timet, quæ sibi quisque parit.
 Per pecudum fibras, præfagi & fulminis ictus,
 (Heu miseri!) surdos consulere Deos.
 Nuntia velocis servabant omnia pennæ,
 Cantibus & scævis quid docuisset avis.
 Templorum ambiguo monitu, dubiæque Sibyllæ
 Carmine credebant fata furente cani.
 Dicite, si Divi nolunt ventura latere,
 Non intellecti cur voluere loqui?
 Falsâ tamen Regis potuerunt dicta Sabini
 Romulidûm ingenium perdomuisse ferox.
 Nullaque dein fertur in Romanâ sanctiùs umquam
 Numinibus supplex gens operata suis.

Vester honos, Latii: vestra est ea gloria, silvæ:
 Horrui hoc victrix credula Roma nemus.
 Has etiam Hippolytum fama est latuisse per oras,
 Cui nevit duplici stamina Parca colu
 Ille, novercales rigidus cum sperneret ignes,
 Sancta timens patrii solvere jura tori;
 Injusta æternum dolituro victima patri
 Occidit attonitis dilaceratus equis.
 Ossa Corinthiacos jacuerunt sparsa per agros:
 Innocuo rubuit sanguine utrumque mare,
 At non hoc meriti funus miserata Diana,
 Cui curæ intactæ est virginitatis amor,
 Arte Coronidæ juvenem revocavit ab Orco
 Siccantem infernis vulnera dira vadis.
 Reddidit illa decus formæ felicibus herbis,
 Luminibus geminas restituitque faces.
 Quis mihi quærenti, quis nunc ea gramina monstrat?
 O utinam in vestris collibus ista legam!
 Germina, quæ referent adamantina limina Ditis
 Non posco aut mortis vincere regna paro:
 Gutturis obsessi longos sedare dolores
 Sat quæcumque mihi blanda medela potest.
 Adsis Phœbigena: hæc facilis labor ora mederi,
 Ne te fulminei terreat ignis avi.
 Servat fida tui Vates tutela parentis:
 Tu quoque jam Vates officiosus ama.
 Huc medicas adhibeto manus, tetrumque cruorem
 Aufer, quo fauces, scabraque lingua tumet.
 Spiramenta animæ, vocis liquidissima plectra
 En aperi, & septas tu mihi pande vias.
 Lætitia, plausuque fremens tunc carmina dicam,
 Cum linguâ potero liberiore frui.
 Nil pulsare placet viduas sine carmine chordas:
 Vox miscet citharæ non bene rauca sonos.
 Quid queror infelix? quæ mentem insania ludit?
 En rursus medicæ poscimus artis opem.
 In male tentatos iterum cur mittimur usus?
 Ah pereant, succos, gramina quique colunt!

Nulla venenorum sitis est: discedite tristes
 Cutarum stimuli, diffugite ex animo.
 Fallere sæpe juvat, sed non memorare labores,
 Ægraque mens ægri corporis auget onus.
 Quin potius læti patriæ succedimus arci,
 Qua juga celsa tuum, Cynthia, nomen habent?
 Hæc mecum ascensu dulces superetis amici:
 Ante alios nobis, Ciampole docte, fave.
 Pone graves Musas, vigilataque mente profundâ
 Itala Pindaricis carmina textâ modis:
 Tuque ades, ô cantu gaudens, fidibusque, Canali
 Francisce, æternæ cultor amicitiae;
 Grande Sabinorum columen, fontisque Velini,
 Huc age cum plectro, carminibusque veni:
 Neve hic potandi certamen mite recuses:
 Respicit hos toto numine Bacchus agros.
 Pocula Romanis sunt hæc gratissima cœnis:
 Albani assurgunt vitibus hisce cadi.
 Nequicquam his certent prælis elisa Faliscis,
 Tuscaque quæ viridi nectare musta nitent.
 Illaudata fluent firmissima vina Falerni;
 Seu Sinuessâ dabit, seu Tritolinus ager.
 Palmite sulphurei cedant lacrimata Vesevi,
 Atque Syracosii fervidiora lacus.
 Hæc generosa recens odit doctrina palati,
 Quæ possunt trepidos implicuisse pedes.
 Ridentur veterum fumi, servataque cellis
 Testa diu, & lentâ dolia tincta pice.
 Quare agite ô læti, vernarum turba, ministri,
 Dulcia non parcâ fundite vina manu.
 O quam jucundo violas imitantur odore!
 Quam vincunt flavo lumine chrysolitos!
 Naribus ista placent, oculis spectacula præbent,
 Et dant arenti gaudia grata gulæ.
 Ciampole, quid cessas pateram committere venis?
 Proposuit siccis omnia dura Deus.
 Hæc mihi lux atros pellet de corpore morbos:
 Largius ô cyatho, tu puer, adde merum,

Pura favent nobis Aquilonis flamina clari:
 Pervellunt linguam pocula acuta gelu.
 Me quoque me vultis Lenæo tingere, amici:
 Non nego: nostra capax proluat ora calix.
 Maphæi nomen sed quisque ad pocula festa
 Dicat Io! & mensis hunc adhibete Deum.
 Quamvis Socraticâ pectus ditaverit arte,
 Purpureosque inter splendeat ille Patres;
 Non hæc despiciet liberrima vota precantum,
 Quæ fundit multo mens referata mero.
 Adsis, Bacche, tuis hilarans convivia donis,
 Felli pax animi, lætitiæque dator.
 Sic teneræ viduas vites ducantur ad ulmos:
 Sic autumnali turgeat uva sinu.
 Sic non urantur torrenti sole racemi:
 Det pœnam admorsâ sic tibi stirpe caper.
 Et tua sectentur vestigia marcida semper
 Capripedes Panes, Bassaridumque cohors,
 Adsis, virgineosque favens hîc exere vultus,
 Quassans pampineo vertice cæsariem.
 Quacumque ingrederis, dulcis comitatur euntem
 Te Furor, & Somnus languidiore gradu.
 Me miserum! accipio nullos heu pectore somnos!
 Longa mihi gemitu nox vigilanda venit.
 Quod si, Bacche, tuo libato munere, nobis
 Clauserit optatus lumina fessa sopor;
 Dicam ego Threicii crudelia fata Lycurgi;
 Squamigeros nautas, pampineamque ratem;
 Littora Pactoli fulvis radiantia venis,
 Divitias miseras, impia vota Midæ;
 Auroramque triumphatam, Parthosque subactos;
 Medica thyrsigeris agmina fusa choris;
 Tigridis exuvias, maculosaque tergora lyncum;
 Oedipodionii membra cruenta ducis.
 Bacciferos ederæ semper viridantis honores,
 Lapsaque de quercu splendida mella canam.
 Tu puer æternus, Bromius, Nysæus, & Evan:
 Bis genitus, thyrsu tu metuende gravi.

Æra tibi Satyri, lascivaque tympana pulfant,

Stridet & attritis Faunus arundinibus.

Per te Gnosfiacis nox aurea fulgurat astris:

Vipera plaudenti sibilat ore tibi.

Ipsè, Giganteo fremeret cum terra tumultu,

Rhœtum stravisti dente leonis humi.

Hæc ego non humili meditabor carmina cantu:

Sollicitum somno tu modo vince caput,

CYNTHIO CLEMENTIO Archiatro Romano,

Cùm vocis usum recuperasset.

Dicamus bona verba: animum jam verba sequuntur,

Cur taceam surdam flebilis ante lyram?

En libet, en dulces imo de pectore cantus

Fundere: non renuunt ora reclusa loqui.

Vox mihi muta diu, vox longi causa doloris,

Venisti tandem, vox mihi muta diu.

O & singultu, ô & quæsitæ querelis!

Nunc te felici garrulus ore fruor.

Fallor? an has simulant ludentia somnia voces,

Quæque cupit vigilans, mens mihi nocte parit?

Sed fruor, & liber voces, linguamque resolvo,

Attonitus monstris dum rata vota nego.

Ite procul questus: comitis hîc Musa capillis

Adsit, & in niveis læta triumphet equis.

Nunc tempus faustis pulsare Heliconæ Camœnis:

Nunc redimire novo tempora flore juvat.

At te, magne, canam Clario dilectæ magistro

Cynthia, Phœbeo nomine, & arte potens.

Cùm tua vel mutis donent miracula vocem,

Vocalis citharæ præmia grata feres.

Per te hausî cælum moriens, mentemque recepi:

Pectoris arcta patet, te referante, via.

Ergò Castalii quodcumque è pectore rivi

Fluxerit, in laudes effluet omne tuas.

Si mihi Pæoniis implesti pharmaca succis,

Mella ministravit si miserata manus;

Nos tibi Musæo flaventia pocula melle,
 Et Charitum puro pinguia lacte damus.
 Hæc bibe, quæ nentum Parcarum fila morantur,
 Pocula, Lethæo non temeranda lacu.
 Tu domitor Fati, Pataræâ nobilis arte,
 Eripis è structo funera mœsta rogo.
 Tuque potestates herbarum, tuque metalla
 Chymica, tu miris pharmaca cocta focis
 Novisti, priscis quæ quamquam ignota magistris
 Mortem expectantum corpora fessa levant.
 Cum mihi tabentes macies exederat artus,
 Cumque ferè tenui corpore nullus eram;
 Jam tum spondebas dulcis mihi lumina vitæ,
 Gutturè ab obsessò libera verba fore.
 Nec mora: sulphureis medicatas viribus offas
 Artifici nobis sedulus igne paras.
 Hæ mihi mandenti latebras pulmonis anheli
 Fovere, & lentâ tabida niembra lue.
 Hinc validi ardentis flores rediere juventæ,
 Squalidaque afflavit pristinus ora color.
 Sulphura, cæruleis fulgentia sulphura flammis,
 Quando ego vos merito laudis honore canam?
 Vos tonitru terras, cælum vos omne cietis,
 Fulminibusque Jovis semina magna datis,
 Cum pater ingenti combusta Ceraunia telo
 Deiicit, & fracto culmine vertit Athon.
 Per vos exundant inimicis ignibus arces,
 Terrifico sonitu Martiaque æra tonant.
 Balnea quæque fluunt tristes pellentia morbos
 Gignitis: hic vestro truditur igne lapis.
 Intepet inde Aponus, medicisque salutifer undis
 Stagna Dicarchæus fervida sudat ager.
 Quin etiam vester magnæ per viscera matris
 Spiritus ignescens cruda metalla coquit.
 Fulgurat hinc aurum, atque argenti flumina vivi,
 Vulnificusque chalybs irriguo amne riget.
 Quid majora sequat? vos & primordia rebus
 Acri sufficitis sulphura mixta sali.

Quique fluit volvens tenuis se fluctus odorum,
 Perpetuas vestro sumit ab igne dapes.
 Quid memorem, Enceladi vivax post fulmina corpus
 Ardua sulphureis ut premat Ætna jugis?
 Et Jovis Inarime jussis imposita Typhœo
 Quanta rotet scopulis sulphura glauca cavis?
 Sulphur ovans pœnas fractâ de gente Gigantum
 Sumsit, & hoc cœlum vindice regna tenet.
 Nec non lustrali purgari sulphure fontes
 Relligio antiquis credita fertur avis.
 Actoriden, Peleu; sic Pelea solvis, Acaste:
 Amphiaraidis, sic, Acheloe, nefas.
 Sic ego, sic puro lustratus pectore tandem
 Carmina lætitiâ fausta docente cano.
 Adsitis Musæ, medicinæ talis, & artis,
 Vosque repertori mollia ferta date.
 Ah! gemat, antiquis si quis tantum adstupet annis,
 Spernit & ætatis dia reperta novæ.
 Omnia non potuit prudens reperire vetustas,
 Atque alia ex aliis extudit arte dies:
 Phœbigenæ cœptis potuit præcepta Melampus
 Addere, Phylliridis multaque cura dedit.
 Ulceribus tetrus nativi graminis herba,
 Vulneribusque cavis prima medela fuit.
 Mox & morborum tristes extinguere pestes
 Inventum est ausis, inclite Coë, tuis.
 Non adeo effeta est hominum experientia follers,
 Ut nova non possit cudere sæpe labor.
 Nî nova tentasse Tyrrhena per æquora Amalphis,
 Magnetum haud regeret nautica vela lapis.
 Hujus at auxiliis olim cantata Poëtis,
 Ridetur veterum gloria parta mari.
 Arctos nunc propior nobis, nec jam ultima Thule,
 Jam facilis lustrat navita Solis iter.
 Extra hominum famæque vias tentare reposita
 Ausus es audaci littora puppe, Ligur.
 Garrula cede novi tua sidera puppibus, Argo,
 Neu Regum jactes ad tua transtra manus.

Tristia junguntur veteris divortia mundi,
 Naturæque patent, quæ latuere sacra.
 Nascentem populis licuit te, Nile, videre,
 Et scit cui tantas debeat orbis aquas.
 Novimus, æstivæ fecunda licentia lymphæ
 Solstitiis hyemes cur ferat amne suas:
 Zona rubens nimis non torreat æstibus Indos.
 Illic perpetuo rore virefcit humus.
 Non Eöus ager pluviali supplicet undæ:
 Indica continuis imbribus arva madent.
 Hæc Zephyri alarum plausu loca fervida mulcent,
 Mitis ubi halantes Eurüs alit segetes.
 Taprobane testis, testes freta sparsa Moluccis:
 Ora Helenæ insignis nomine testis erit.
 Arvaque, qua Ganges auratâ pinguis arenâ
 Egerit in dominum fulva tributa mare.
 Quid? quod & Arctoi laxantur claustra profundi,
 Qua fluctu, & ventis æquora dura carent.
 Dilectæ Thetidi Belgarum stantia naves
 Marmora sulcarunt non adeunda rate.
 Illic, ut perhibent, torpescit frigore pontus,
 Atque intempestus stat sine luce dies.
 Hic rerum finis, chaos hic, atque ultima mundi
 Natura, hoc tristi limite fessa riget.
 Vela Batava sequi haud potuit Phœbeia lampas:
 Omnia cæca illic: omnia triste silent.
 Informes phocas incano corpore turpes
 Videre, atque urfos, quos alit Ursa gelu.
 Quam sæpe optarunt ventorum prælia nautæ,
 Perque p ocellosum pandere vela fretum,
 Excuterent tandem sese ut torpentibus undis!
 Edocet ire recens in nova vota timor.
 Indomito tandem regnans in pectore virtus
 Vicit concreti sæva pericla sali.
 Ite animæ egregiæ, fortunatæque laborum,
 Ite in fata alacres, quò nova fama vocat.
 Ite citæ, & vestras meditando exponite vires,
 Quà veterum nullo semita trita pede est.

Gloria multa manet. Quis te, Galilæe, flebit?
 Longa tibi in chartis regna futura cano.
 Non tantùm radio veterum describere cœlum,
 Sed vitro superas ausus inire domos;
 Perque novas artes tradis nova si era mundo,
 Non Ptolemæis sidera nota libris.
 Pleiadamque, Hyadamque choros sine nube videmus
 Et tua per cœlum splendida damna, Venus.
 Vidimus, ignoto quondam quæ lacte nitebat,
 Stellarum spissâ luce coire viam
 Admovisti oculis nostros fugientia visus
 Per varios obitus astra secuta Jovem.
 Medicea Heroùm soboles, cape læta triumphum:
 Astris insereris, concilioque Jovis.
 Ipse etiam nigrâ tinctum ferrugine Solem
 Pallentes maculis jungere vidit equos.
 Quid triplex sidus Saturni, aut, Cynthia, vultus
 Fabor scruposâ nocte latere tuos?
 Hæc priscis ignota olim prudentia major
 Repperit auspiciis artis, opisque novæ.
 Ite citæ, & vestras meditando expromite vires,
 Ite animæ egregiæ, quâ via nulla patet.
 At tu Musa procax, elegi tenuisque valete:
 Non hæc sunt gracili facta canenda lyrâ.

*AD JOANNEM CIAMPOLUM
 morbo recrudescente.*

Ergò hos assiduè gemitus in pectore volvam?
 Perpetuo lacrimæ nostra per ora fluent?
 Et roseo Phœbus me decedente videbit
 Lumine mœrentem, me veniente die?
 Flebimus heu miseri! luctus, solatia damni
 Exigua ingentis, postulat ipse dolor.
 Ille Philocteten docuit per Lemnia saxa
 Vocibus horrifonis vulnera dira queri.
 Halcyones Ceyca gemunt, & barbara regis
 Daulias Odrysii crimina cantat avis.

Sic

Sic ego, sic mea damna querar crudelia semper
 Lugubri citharâ, flebilibusque modis.
 Atque utinam in gemitus nunc libera verba darentur!
 Sed mihi posse queri fors inimica negat.
 Singultantem animam turgentes sanguine fauces
 Elidunt: voces aspera lingua premit.
 Jam quater ardentem sitienti Sirius astro
 Uffit humum; toties frigore læsit hyems;
 Nec venit ulla potens longo medicina dolori,
 Nec mea Pæoniâ membra levantur ope.
 Ipse meum specto moriens miserabile funus,
 Paulatimque animâ deficiente cado.
 Horrida languentes macies depascitur artus:
 Lutea pallescens inficit ora color.
 Cogimur & longam moriendo discere mortem,
 Dum præsaga mali mens sibi fata canit.
 Felices inopina dies quos funere mergit,
 Occupat & celeri mors properata nece!
 Heu quoties morimur, dum proxima fata timemus!
 Hoc pejus letho: nam mora mortis obest.
 Haud aliter Lapithas, mœstumque Ixiona terret
 Jam jam lapsuro pondere prona silex.
 Credite, deficio: jam pellis dura resistit
 Tractanti, & tristi viscera tabe fluunt,
 Sic cera admotis tabescit Hymettia flammis:
 Sic tepidis Austris cocta pruina madet.
 Languent sic, urens oculus quos fascinat, agni
 Sic tenera a Scythico læditur herba gelu,
 Nec tantum doleo compressis faucibus æger;
 Plurima quassato corpore damna fero.
 Ipsam animi sedem, regnantem corporis arcem,
 Nunc caput ignavo possidet igne vapor:
 Nunc acres stomacho ravidâ cum bile tumultus
 Fervent. & sævo pondere ditruciant.
 Lassum percurrunt ululantia murmura ventrem,
 Humida nec membris dant alimenta dapes.
 Vivo equidem parce, sed mox jejunia corpus
 Attenuant: epulis abstinuisse grave est.

Intolerabilibusque malis comes addita cura,
 Mollem animum æternis pascitur ulceribus.
 Hanc peperit morbus, morbusque augetur ab illâ:
 Hæc me tristitiæ lurida felle rigat.
 Hinc sæpe extimui graviora pericula veris,
 Et sensi falsâ suspitione trahi.
 Hinc animi victus damno quemcumque calorem,
 Quodcumque & frigus pallida membra quatit.
 Compositæ currant num vitæ ad munia venæ
 Exploro, & trepidans incaluisse puto.
 Seu quatiore tussi, fibras pulmonis anheli
 Excitas carie suspicor esse truci.
 Conveniunt crebro nos, ut solentur, amici:
 Spem vultu simulant, tristitiamque tegunt.
 Ah genio indulge, curas depelle malignas,
 Clamant: tu morbo, Virgini amate, faves.
 Ecquis erit finis lacrimis? lugubria mitte:
 Eja age linquntur mollia fulcra tori.
 Te silvæ, te rura vocant: age, rura petamus,
 Qua diffusa nitet mitior aura poli.
 Aucupio silvas, silvas venatibus aptas,
 Flumina, piscosos aspiciasque lacus.
 Hinc canibus lepores, canibus sectabere cervos,
 Latratuque feras retia ad alta premes.
 Scilicet è stratis tollam miserabile corpus?
 Committam Alpinis squalida crura jugis?
 Fortia non nostræ sunt hæc ad munera vires:
 Hi mihi sunt colles, hi mea regna, tori.
 Officium bona verba pium sed inutile tentant:
 Desinite, assiduis non saturor lacrimis.
 Quid? quodd me cœli lædit spirabile lumen,
 Quo regimur: quævis mobilis aura nocet.
 Lethiferi calidis spirant seu flatibus Austri,
 Sive agitata truci silva Aquilone fremit;
 Experior proprias hyemes, pluviasque rigentes,
 Exundans cerebro quas pituita parit.
 Sibila perque aures imitata tonitrua furdas
 Volvuntur, miserum concutiuntque caput.

Per madida ora liquor turgens me flumine largo
 Proluit: ampullis fervida sputa tument.
 Non fecus ardenti si fortè inclusus ahenò
 Ebullit multo fervidus igne latex;
 Ipse furit, niveamque fremens eructat aquæ vim,
 Sparfaque anhelanti gurgite flamma madet.
 Miror, inexhausto tribuat quis pabula fonti;
 Qui tantus fluitet sicca per ossa liquor.
 Mirantur medici, & fortem miserantur iniquam:
 Mille adhibent doctis pocula mista modis.
 Lacte arcere jubent inclusos faucibus ignes,
 Hordea dant, seris quæ maduere focis.
 Sanguine tentarunt salientem incidere linguam:
 Infecit tepidus brachia secta cruor.
 Poma coronato radiantia Punica crine,
 Languenti succos exhibuere suos.
 Et quo mala fluunt emuncta Cydonia mucò.
 Quo passæ ficus, perlita sæpè gula est.
 Sæpè bibi, urentes meditans avertere flammæ,
 Pocula pallenti cortice tincta nucis.
 Et modò silvarum foliis decussa Calabris
 Mella ministrarunt, helleborosque graves.
 Aggressique rosis sunt admiscere sapes,
 Quos mittit dives Trinacris Hybla favis.
 Fasciolas tenues, ægrum focalia collum,
 Et nidum pullis gessit hirundinibus.
 Quid referam quoties suffitu pectus odoro
 Lustravi, & fumis, turifer inde, tuis?
 Et quoties, siccum possem ut distendere corpus,
 Æstivi membris intepuere lacus?
 Victum infelicem cochleæ, cancrique dedere,
 Et testudineo squalida jura gelu.
 Quin sunt conati stomachum fulcire ruentem
 Arboribus gummi quod genit Arabia.
 Balsama miscuerunt diti Gangetide merce,
 Et quæ vicino cinnama sole rubent.
 Sinarum extremo divulsa ab littore radix
 Venerat, & nullâ me quoque juvit ope.

Aude animis, tibi certa falus promissa medentum,
 Dicebant: numquam venit amica falus.
 Obsticit auxiliis vivax in fomite labes
 Artis. & irrisit vana magisteria.
 Non hoc Phillyridis, non hoc laudata Melampi
 Cura Amythaonii pelleret arte malum.
 Tunderet in morbos Epidauria gramina frustra
 Inclita Phœbigenæ nos miserata manus.
 Non gemitus Superi nostros audire perennes
 Adjuncta quamvis sustinuere prece.
 Parce pium Numen, cœli quo templa reguntur,
 Cujus & imperium sidera fulva timent.
 Si non sacrilegæ mens est sibi conscia culpæ,
 Redditus est templis si tibi semper honos;
 Parce precor, vel saltem aliquam de fulmine partem
 Deme meo: sævâ proice tela manu.
 Nunc & amara dies, & noctis tristior umbra est.
 Quam mallet æterno diriguisse gelu!
 Ipsa quies rerum somnus, Deus utilis ægris,
 Me fugit, & lacrimis lumina fessa patent.
 Versamur stratis, & nox est annua nobis:
 Tarda nimis querimur sidera Luciferi.
 Quod si conciliant depasta papavera somnum,
 Me miserum hic quantis terret imaginibus!
 Occurrunt menti simulacra carentia vitâ,
 Visaque sunt tenui dicere voce veni.
 Ora virûm majora viris pallentia vultu
 Exanguis illudunt, discutiturque sopor.
 Tunc iterum ad gemitus eadem nos horrida morbi
 Damna vocant, nec jam falsa timere jubent.
 Lenta tenent animum fastidia: nulla voluptas
 Fleat: non Bacchus, non juvat alma Ceres.
 Squalent impexi rigidâ cervice capilli:
 Vestis inornatos defluit ante sinus.
 Non Urbis, non ruris opes, auri que talenta,
 Eoæque placent deliciæ lapidum.
 Ingratus mihi Sol, ingrata Aurora rubescit:
 Oblectant pectus tempora nulla meum.

Aspice, jam Zephyri florens genitalibus auris
 Felices fetus parturit almus, ager.
 Perstrepat omne nemus cantu, virgulta susurrant:
 Liquitur è summis tabida bruma jugis.
 In tepidos soles se roscida gramina credunt:
 Florea de vernâ pullulat arbor humo.
 Sed mihi nequicquam fulgent Nephelæidos Helles
 Sidera, ridentis gaudia summa poli
 Semper hyems nobis: sanguis si vere tepenti
 Æstuat, infelix in sua damna furit.
 Acrius & morbo fauces tentantur acuto:
 Nam claudit fervens arctius ora cruor.
 Non raucæ fontis scatebræ per saxa cientis
 Murmura, non possunt prata movere animum,
 Atque greges, atque arva nocent, atque ardua silva:
 Non læti colles, pascua nulla juvant.
 Et doleo, pingui pastos seu gramine vidi
 Mollibus in pratis luxuriare greges.
 Sive quis ediderat pastoria sibila cannâ,
 Odi signa bonæ sibila lætitiæ.
 Et dulces avium per frondea tecta Camœnæ
 Heu visæ tantum sunt mea fata queri:
 Seu viridi taurus projectus mugit herba,
 Dixi: Mugitu me vocat ad gemitus.
 Frumenta aspexi verno turgentia lacte;
 Arens tunc subiit, quæ premat ossa, cutis.
 Omnia læta, mihi sunt instrumenta doloris,
 Materiamque mali mens sibi dura parit.
 Et meditor: tellus non hæc mihi verna colores
 Submittit; rident prata benigna aliis.
 Vos legite ungue rosas, Tyrio queis fulgurat ostro,
 Quæ flagrat niveis gratia mista genis.
 Vos decet iste color, vobis sint lilia curæ:
 Pratorum nitidum vos manet omne decus.
 Ipse legam flores veterum monumenta dolorum.
 Et ferrugineis te, Hyacinthe, comis.
 Pallentes carpam violas, mœstaque cupressu,
 Quæ laurum optarant, tempora vincita geram.


Impulerat nostras sonitus si gurgitis aures,
 Purior electro fons ubi volvit aquas:
 Conspiciens dixi: Non hæc mihi frigida currit
 Sedatura gravem flumine lymphæ litim.
 Ora quidem sitiunt, quæ nunc incendia pascunt,
 Non pandit latici sed gula pressa viam.
 O nimium, nimiumque fugacis dona juventæ!
 O quàm veloci laberis acta pede!
 Tardiùs è Scythico cornu decussa sagitta,
 Aëra per liquidum cuspide scindit iter.
 I nunc, ingentes laudato in corpore vires,
 Atque lacertosos firma per ossa toros.
 Aut illas ætas annorum pondere frangit;
 Morborum aut ictu fortia membra cadunt.
 Quique color malis Pæstana rosaria miscet,
 Et quod nativum lilia vincit ebur;
 Marcescunt subitò, ceu cum labefacta caducum
 Sole gravi curvant alba ligustra caput.
 Olim qualis eram (nunc me mea fallit imago,
 Si jam præteritos mente revolvo dies)
 Cùm dives gregibus, memini, me Parma tenebat!
 Nam puerum celso nutriit illa lare.
 Quod mihi tunc robur, quàm gaudia multa fuisse!
 In fessò numquam corpore quanta salus!
 Non me terruerant hyemes, solesque potentes,
 Et poteram pluvium vertice ferre Jovem.
 Quos ego non colles, quos non indagine cinxi.
 Lucos, hortatus tesqua per alta canes!
 Tunc celeres potui damas, tunc figere cervos:
 Vidi de fluviis humida lina trahi.
 Et modò fortis equi luctantia colla recurvans
 Confraga sectabat per juga montis apros.
 Interdum molles pedibus plausisse choreas
 Juverat: & digitis increpuisse lyram.
 Cura fuit Martis simulacra ciere sub armis,
 Et pugilum ludis implicuisse manus.
 Gallica quid memorem quoties per flumina navi
 Adversa obnixo pectore stagna seco?


Me Taurus, gelido lavit me Nicia fluctu:
 Me Phaëthontæo sustulit amne Padus.
 Nec mihi solus amor corpus durare palæstrâ,
 Sed mentem egregiis artibus excolui.
 Vidit Palladiis nos impallefcere chartis,
 Inter laudatos nox vigilata libros.
 Multaque Cecropiis trutinabar scripta magistris;
 Non renuit mecum Græcia docta loqui.
 Tentabam umbrosi latebras penetrare Lycei,
 Quasque alii monstrant edidicisse vias.
 Sæpe animum docti ceperunt scripta Platonis,
 Cujus Mopsopio pagina melle fluit.
 Et modo scrutabar Samii dictata silentis;
 Nunc florem ex hortis legi, Epicure, tuis.
 Insomnisque gravi fovit me Porticus umbrâ,
 Arcesilæus detinuitque labor.
 Latratus decuit Cynicos audire legentem,
 Nec me pacati terruit ira canis.
 Democrito arrisi, novi præcepta Cleanthis,
 Et Chrysiptææ stamina mentis opus.
 Gaudebam meditans ineant quot prælia sectæ,
 Grajorum in quas est didita turba senum.
 Materiem hic componit aquis, hic aëre gignit;
 Alter Apollinei sideris igne creat.
 Ille Chao latuisse docet vaga semina rerum,
 Omni que arcanis nectit amicitiiis.
 Æternum est aliis mundi versatile templum,
 Machinaque hæc nullâ dissoluenda die.
 At natum ille refert, ausus restinguere solem,
 Et dare perpetuæ fata diurna faci.
 Sunt quoque rore levi, & nebulis qui sidera pascant,
 Et qui non uno se putet orbe regi.
 Casibus hic sceptrum donat, Divosque relegat,
 Exiit & mentes relligione Deûm.
 Spernit Tænarias, incendia postuma, pœnas
 Impius hic; trepidans manibus illa litat.
 Nec detunt sensus qui damnent, omnia fassî
 Nesciri, tenebras seque latere suas.

Omnia mirabar, sed tunc plus arte movebar
 Socraticâ, & scriptis, Stoica turba, tuis.
 Quæ bona sint animi, certus quis limes honesti,
 Quas sibi divitias vita beata petat:
 Et didici sanctos formet quæ regula mores;
 Æstus quæ valeat vincere vis animi:
 Quæ tristes iras virtus, quæ frangat amores,
 Quæ desideriiis pectora anhela levet;
 Pallentesque metus quæ fortibus induat armis,
 Ignavæ prohibens terga dedisse fugæ.
 Solum turpe malum sapiens putat, ille dolores
 Perfert, consilii, prop- sitique tenax.
 Hic pede proculcans lethalia fata superbo,
 Humanis major creditur esse malis.
 Ære Perillæo clausus fera iussa Tyranni
 Sperneret, & nullos ederet ore sonos.
 Hæc olim novi, quæ nunc me flagitat usus:
 Utar præceptis, quæ mea fata petunt.
 Agmina mœrentum circumstant sæva dolorum;
 Aggreditur fessi vincere corda timor.
 Quid faciam? unde petam trepidi solatia luctus?
 Quis bellaturo fortia tela dabit?
 Ite procul questus, animi oblectamina vilis,
 Ite procul: jam nos ingemuisse pudet.
 Non lacrimis durum novit mansuescere fatum;
 Parcarum inflexo fila adamante rigent.
 Te supplex adeo, supplex tua munera posco,
 O sola humanis mors medicina malis!
 Tu portus, placido qui naufraga corpora mundi
 Amplexu rursus non agitanda foves.
 Adsis, horribilesque ferox huc flecte volatus,
 Hoc pete Tartareâ falce cruenta caput.
 Quo moriture ruis? quæ te dementia cœpit!
 Parce miser verbis, ominibusque malis.
 Scilicet in primâ florens carpere juventâ?
 Nec te spes famæ quantulacumque tenet?
 O ubi mens studiis quondam gavisa Minervæ,
 Et quæ scribendi gloria dulcis erat?

Non adeo usque mori miserum est : non segnior ibo,
 Ibo animis contra : mors miserata veni.
 Nec totus moriar, lethi custodia nostri
 Te penes, Italiæ, Ciampole, grande decus.
 Carminibus celebrata tuis mea fama legetur.
 Et ferar extinctus docta per ora virum.
 Auspice te mortis victor fata aspera rumpam :
 Te duce Avernali non cohibebor aquâ
 Quæ tibi cantanti non est permessa potestas?
 Nam tua Pindarico fulmine Musa tonat.
 Tusci scriptores tenerorum cedit amorum :
 Gaudet capta novis Ausonis ora sonis.
 Aldobrandinam relegis si carmine villam,
 En tibi festa cohors plaudit Hamadryadum.
 Sive Palæstinâs Piceno in littore sedes
 Concinis, Adriaci sternitur unda freti.
 Et te Cœlicolum cantantem exercitus audit,
 Quorum humeris templum dulce pependit onus.
 Prô pudor Italiæ, teneros quæ cantat amores,
 Carminis & grato fraudat honore Deum!
 Non tulit ingenti laudandus Ciampolus auso :
 Illius est nostris Musa operata sacris.
 Gaude : namque novis video tua tempora fertis
 Cingi, & Idumæâ fronde nitere comas.
 Tempus erit, læto tua cùm vestigia plausu
 Magnanimum Vatum turba secura colet.
 Tu modò perge alacer, semperque audentior ito,
 Nec tu corvorum rostra inimica time.
 Nam super astra volans niveis vestabere cycnis,
 Qua invidiæ telis gloria claudit iter.
 Nec minus heroi tangit te cura cothurni,
 Et potes Aoniâ dicere bella chely.
 Inclita facta virum vocis si munere donas,
 Munere tu signis das potiore frui.
 Hoc tibi Pegasides, hoc concessere Sorores,
 Teque potestates edocuere suas.
 Namque ferunt celso Parnassi in vertice, sacra
 Bellerophontæus qua rigat arva liquor,

Seclusum florere nemus, quo gratius ullum
 Non surgit Phœbo, Pieridumque choris.
 Hos Zephyri campos Etesia flamina mulcent,
 Arboribusque frequens roscida vernat humus.
 Pullulat ante omnes sed formosissima laurus,
 Quæ medio in luco conspicienda viret.
 Una nemus trunco ingenti quæ parturit umbra,
 Et latè foliis celat opaca diem.
 Hujus odorato sudantur balsama ligno,
 Dulcis & ambrosiæ cortice manat odor.
 Indictum refero: lacrimatas nectaris undas
 Excipit Aoniæ sedula cura manus.
 Hos Musæ servant latices, queis perlita durat
 Gloria Tænario non violanda lacu.
 Materno nequicquam astu servatus Achilles
 Occidit, & Trojæ funera morte luit.
 At benè Pieriâ perfusus nectaris undâ
 Martis equis rapidum trans Acheronta volat.
 Cópia felicitis tibi, Ciampole, credita fucci est:
 Fac mea cœlestis proluat ora liquor.
 Ah socii fato miserere cadentis acerbo!
 Fer non casurum nomen ad astra meum.
 Tristia sic facili curabis funera sumptu:
 Non posco in cineres Perlica dona meos.
 Non mihi Orontæâ tumulos aspergite myrrhâ,
 Bustaque secundæ mercibus Assiriæ.
 Si mea Castalio stillabunt ossa liquore,
 Invida post mortis fata superstes ero.





JANI CÆSARII

COSENTINI.



Ad Venerem.

Non te follicito votis, Dea mater Amorum,
 Quæ Golgos, sanctum quæ colis Idalium.
 Ille tibi templum statuat, tibi dedicet aras,
 Quem latices Bacchi, lautaque mensa juvant,
 Et qui Pompejâ lentus spatietur in umbrâ,
 Percussus telis corda, Cupido, tuis.
 Ast ego, cui tantum satis est fluviusque Ceresque,
 Et quem Pieridum per juga raptat amor:
 Cœlestem veneror Venerem, quæ pectora flammis
 Excitat æthereis ad pia sacra Deûm.
 Et jubet obscuro contemnere præmia vulgi;
 Quæ rapit, & sensit devorat ipsa dies.

De Victoriâ puellâ.

Altera nunc felix Romæ Victoriâ floret:
 Discessit nigrâ quæ Styge nata fuit
 Viribus illa hominum fuit, illa obnoxia fraudi
 Fortunæ, alternat quæ malefida vices.
 Hæc orta est Superûm jussu felicibus astris;
 Perpetuum claræ quæ decus urbis erit.
 Illa cruenta fuit, populisque invisa superbis,
 Quin perferre diu non potuere jugum.
 Hæc mihi ingenio, hæc vultu spectanda decoro,
 Mulceret Libycas, Armeniasque feras.
 Adde quod, hanc Titan stupidus dum spectat ab alto
 Immemor Hesperis Tethyos esse solet.

De

De Camilla.

Bellatrix fuerat, Volscorum fama, Camilla:
 Nostra sed hæc etiam tela cruenta gerit.
 Illa olim Teucris infixit vulnera: figit
 Hæc armis juvenum corda Cupidineis.

Ad Paulum IV. P. M.

Ut si plus solito Phœbus latitaret in undis,
 Orba suâ tellus lampade, mœsta foret,
 Ille sed auratos si promeret æquore crines,
 Lætior hæc esset, floribus aucta novis.
 Non tua per multos non spectans lumina, Paulle,
 Roma dies doluit, rectaque nube fuit.
 Ast ubi gemmato transisti mœnia curru,
 Ac tua frons visa est sidere lucidior;
 Lux redit, & cunctos perrentant gaudia cives,
 Exultantque viæ, templa, theatra, domus.

In Claricem.

Tantus in ore vigor, tantum tua lumina fulgent,
 Ut durum veritas quemlibet in lapidem.
 Tantus in ore lepos, tanta est tibi copia fandi,
 Defuncto ut possis reddere cuique animam.
 Non est cur dicam, Clarix, te femine natam
 Mortali, ingenio, corpore, voce, Dea es,

Tumulus Cynthia.

Constituit tumulum tibi Cynthia pulcher Jolas,
 Quo laurus virides explicat alta comas.
 Hæc ut frondeat, non rivo, non opus imbre:
 Fletibus assiduis nam fatis ille rigat.
 Qui lugens, ardensque, manet sub tegmine lauri
 Frondoso, vel dum frigida sævit hyems.

De Jesu Christo Salvatore.

Ut Phœbus, postquam Capri est ad cornua lapsus,
 Paulatim nitens surgit, & alta petit;
 Et sensim tenebræ decrescunt noctis opacæ,
 Longior ac terris nascitur alma dies:
 Sic ubi tellurem cœlo descendit ab alto,
 Seque utero clausit Virginis ipse Deus,
 Prodiit in lucem, cujus dum cresceret ætas,
 Reddita vis minor est Mortis & aucta Salus.

Et Davoli Merina.

Exultat frondens, tua dum videt ora Taburnus,
 Sublimemque suo vertice vincit Atho;
 Atlas tam longo qui tempore sustinet axem
 Stelliferum, tales fundit ab ore sonos:
 Sub viridi jam nunc possum requiescere pinu,
 Tu cœlum subeas jure, Taburne, tuo.
 Hoc unum invideo: Charitum tibi cura Merine
 Pulchra dabit vires, hinc leve pondus erit.

Ad Liviam cecam.

Redderet ut Phœbum vindex Cytherea minorem,
 Surripuit fronti sidera clara tuæ,
 Inferuitque polo, quibus obscuratus Apollo,
 Descendit valles tristes ad Æmathias.
 Livia, ne doleas, jussu tibi lumina Patris
 Reddet, luciferem jam Venus ulta Deum;
 Nam si vix unum poterat perferre perusta
 Terra, duos Soles qua ratione feret?

Fuga Turcarum.

Turcarum classis prope littora nostra tonabat,
 Cum pisces imo delituere mari;

Regia progenies speculâ caput extulit altâ
 Junia, quæ regis tecta superba colit.
 Turcæ mirantes non umquam lampada visam,
 Confestim rapidis vela dedere Notis:
 Et dixere; locum non fas violare: tuetur
 Hunc Dea, Numinibus non licet esse pares.

Ad Parthenopem.

Nympha magis dilecta oculis pulcherrima Siren,
 Carmine quæ cunctas vincis & ore Deas:
 Ad tua si dabitur mihi littora sacra redire;
 Persolvam reduci debita vota Jovi.
 Sed mihi cum taurus desit, mihi desit & agna:
 Illa ego dona feram, quæ mihi Musa dedit:
 Dona Deis accepta magis quam victima & aurum,
 Et quidquid sacris ignibus urit Arabs.

De Casare Lucano.

Cæsar bella gerens; Romanæ gloria gentis,
 Misit sub Latium barbara colla jugum.
 Lucanus frangens Fortunæ tela superbæ,
 Sidera virtutis noxia vincit ope.
 Quis non cernit inter majori laude triumphet?
 Hic cœli victor; sed fuit ille hominum.

In Constantiam.

Non potuit servare virum Constantia; ut olim
 Alcestes: votum diripuere Noti.
 Hoc tamen obtinuit precibus, ne tabida fletu,
 Sola diu lecto viveret in viduo.
 Nondum signiferum Phœbus lustraverat orbem,
 Ipsa etiam ad campos en volat Elysius.

Ad Parthenopem.

Quod subito tua terra ignes eructet, & agros
 Pulvere sulphureo, pumicibusque, tegat,

Parthenope; non est cur mutes territa vestem,
 Prodigiumque tuis civibus esse putes.
 Mulciber ut nostri superentur Numinis hostes,
 Excudit chalybem, Cæsari & arma facit:
 Intentusque operi, percussa mente, veretur
 Bellipotens Venerem ne petat ille suam.
 Quare ventosis accendit follibus ignes
 Plus solito, ut citius perficiatur opus.

Ad Valliam.

Aliger ut feriat mortalia corda Cupido,
 Pervolat Eoas Hesperiasque domos.
 Tu caput e speculis non unquam, Vallia, profer,
 Inque animos latitans spicula cæca jadis.
 Sæpe mihi vitare licet quæ tela videntur;
 Sed quæ non video; quæ miser effugiam;

De Laurâ.

Frondosam in Laurum versum est Peneia Daphnæ.
 Jura pudicitæ ne violanda forent.
 Latous sed ubi cælum conscendit Apollo,
 In veterem formam pulchra puella redit:
 Quæ modo non Daphne, sed cunctis Laura vocatur,
 Et mihi solstitii tempore, ut aura, placet.

De cujusdam Cæsaris auricula.

Dum validi gladium Montani dextera vibrat,
 Abscidit infontem Cæsaris auriculam.
 Improba fors, pravique tenax, inimicaque recti,
 Hoc saltem poteras abstinuisse malo.
 Truncari potuere manus, quæ plurima dona
 E templis noctu surripuere sacris.
 Truncari potuere pedes, qui sæpe lupanar
 Ad fœdum festibus lucibus ire solent.
 In guttur potuit, torqueri cuspis acuta,
 Quod vomit in cunctos terra venena Deos.

Auricula infelix quid fecit? Sors fera, perdis
 Quæ bona sunt, rebus parcis inepta malis.

De natali Cbristi.

Hac nocte enituit Sol qui dat lumina Soli,
 Quem peperit salva Virgo pudicitia.
 Quis non miraculum sapiens mirabitur illud?
 Una potest cunctos Nox superare dies.

De statuâ Philippi a Leone posita.

Si statuæ posset mentem inspirare Leonis;
 Dædala mens, veluti filius Japeti;
 Spectaret geminum tellus suspensa Philippum,
 Nesciretque utri traderet imperium.

De Henrico II. Gall. Reg.

Cum Paci Henricus statuisset marmore templum,
 Gradivique patris munera nulla forent;
 Ille ferox præses Thracum indignatur, & inquit,
 Sic Henrice mei es, sic memor officii?
 Non impune feres. Certamen vinxerat hastis
 Rex puris, magna lætitia exiliens;
 Et dum concurrat tectus fulgentibus armis,
 Heu cadit, hastili tempora fractus equo.
 Tellus contremuit, gemuitque exterrita cursum,
 Et tanti Martem pœnituit sceleris.

Neptuno.

Cum liquidas, Neptune, mihi libet ire per undas,
 Atque subire feri fæva pericla maris;
 Te facilem præbe, & placidum caput exere ponto,
 Irati ne me sorbeat ira freti.
 I tibi non potero maestare in littore taurum,
 Marmore vel templum condere Tænario;
 Numquam se Pleias condet tamen æquore, numquam
 Lædecum surget sidus ab Oceano,

Quin

Quin laudes mea Musa tuas, camposque liquentes,
Ad fratris tollet lucida regna tui.

De funambulo.

Extensum procul a terra percurrere funem,
Et celsas audet scandere Turca domos,
Exultimque, agri velut æquore, in aëre ludit,
Atque ex arte cadens, surgit ut aura levis.
Juppiter ut vidit, primum dubitabat Olympum
Tentaret superum ne novus ire Gygas:
Schenobatae sed ubi prospexit membra pusilli,
Subridens; petat hic sidera nanus, ait.

De Catellâ Gonzagæ.

Gonzagæ cuperet cum Juno inferna catellam,
Quæ rarum fuerat delitium dominæ;
Mors tulit hanc illi, Plutonis amica rapacis,
Tergeminus mœret sed canis ante fores.
Namque videns pulchris Reginæ hanc ludere in ulnis
Ipse etiam fieri pulchra catella cupit.

De Glycere.

Avertit faciem Glycere: sed quo magis odit;
Me magis incendit, me magis urit amor.
Blanda minus poterat: versuta hoc novit, amantem
Me fugit, iratam quo magis ipse sequar.

De Jove & Venere.

Sæpe Venus patri dixit Cytherea Tonanti;
Me plures audent sollicitare proci:
Sis ultor, natamque precor defende pudicam,
Postulat hoc etiam qui tibi tela facit.
Juppiter amplexans hanc, dixit; filia cœlo
Tu digna es; tu me filia digna patre.
Sol sed ubi cæcum detexit crimen, & illa
Plurima cum Getico vincula Marte tulit:

Intumuit genitor, iustaque excanduit ira,
Et, nulla est fronti, dixit, habenda fides.

Amoris victoria.

Ardentis potui cælare incendia Amoris,
Pugnavit donec cum Ratione Furor.
Post ubi decessit Ratio, superante Furore,
Intus amor flagrans æstuat, atque foris.

Amor, loco anime.

Quid mea membra movet? num spiritus? ille volavit
In patriam, & Glyceres regia tecta colit.
Quid ciet in me igitur motum? vis ignea amoris.
Estne pote ut caleam deficiente anima?

Amor & Venus, in pisces.

Cum Puero Euphraten Venus aurea venit ad amnem,
Huc tulit horrendâ se quoque mole Typhon,
Centimanum ut vidit, nimio perculsa timore
Cum puero merfit se Dea mater aquis:
Sed metus haud cessit, gelido sub gurgite formam
In piscem donec vertit uterque suam.
Quàm foret, ô Superi, bene cum mortalibus actum,
Numen utrumque illis si latuisset aquis.

Ad Palenium.

Ut capiantur aves, quas transportavit Jason
Phalidos a ripis litrus ad Æonathium;
Non opus accipitris rostro, non ungue rapaci,
Non cane qui solers naribus esse solet:
Paleni, Aonio sic mulces aëra cantu,
Ut possis volucres sistere, & accipere.

De Aquilâ Cesareâ.

Pellere cum magnum cælo volucre Tonantem,
Qui juga præruptis imposuere jugis;

Mox

Mox Aquila æthereo suggestit fulmina regi,
 Queis dedit ille Gygen Enceladumque neci.
 Juppiter at cœlo cum nulla pericla timeret,
 Junonique suæ basia tuta daret,
 Jussit ut illa tuam penetraret, Cæsar, in aulam,
 Utque frequens ferret tela trifulca tibi.

Ad Violantillam.

Aut Violantillam nomen tibi fata dederunt
 Floridior violis quod tua forma viget:
 Aut quia defessi violenta Cupidinis arma,
 Ur ferias homines, dat Cytherea tibi.

Ad Glycerem.

Sic tibi scintillant oculi, qui nubila cœlo
 Pellunt, amissum, restituuntque diem;
 Ut quicumque vider, dubita non mente, minora
 Luce tuâ mundi sidera facta putet:
 Parsque hominum stupeat, fiatque immobile saxum;
 Aut tacito, Glycerem, sentiat igne mori.

Ad Jo: Austriacum.

Si dum pubescis, virtus te bellica cœlo
 Inferit, & Superis reddit honore parem;
 Quid tibi fata dabunt, fuerit cum firmior ætas,
 Cumque annis crescent inclita facta tuis?
 Non mare, non tellus capiet tua nomina; dicet
 Non etiam cœlum Juppiter esse satis.

Ad M. Antonium Columnam.

Fœdere qui certo junxisti pectora Regum,
 Ut simul in Turcas Marte furente ruant,
 Hostibus & cæsis victricia signa tulisti,
 Et facis, obducta fronte Tyrannus eat;

Per-

Perpetuo tua fama viget, te cortice fagi
 Describunt Fauni, Nereidesque canunt.
 Inter quas Galatea, suos dum cantat amores,
 Hos tibi purpureo fundit ab ore sonos.
 Te duce pacatum est æquor, te auctore, Columna,
 Nos undis tuto ludimus æquoreis.
 Præmia digna tuo quæ sunt solvenda labori?
 Telluris paucis tempore victor eris.

CÆLII CALCAGNINI

FERRARIENSIS.



Ad Herculem II. Ferraria Ducem IV.

Conuesti dare magna, teque digna,
 Atque isthæc bonitas, benignitasque
 Te in cælum evehit aureis quadrigis,
 Nos damus tibi forsan impudenter
 Et parva, & tenui cliente digna;
 At tu gloria sæculi recentis,
 Princeps optime, gloriose princeps,
 Hæc parva accipias lubente vultu:
 Et mentem hanc, animumque metiare,
 Tuo in sæcula Numini dicatum,
 Nam sic te facile probabis esse
 Dando, & accipiendo liberalem.

Horologium Fulminatam.

Nuper Saturni senis, horarumque quadrigas
 Telo igneo excussit Bonus Deispiter.
 Hic ergo stabit. Nam quo discedere posset?
 Curru absque, laneos pedes trahens, senex.

Epitaphium Margaritæ Cantelme.

Cantelmæ hac sita Margaritæ in urnâ est,
 Vere nomine digna Margaritæ,
 Si mores pretium, atque pondus addunt.
 Huic blandæ charites, lepos, venustas,
 Huic semper gravitas comes pudori
 Sese addixit, & una tam disertâ
 Ut dicendo animos ligare posset.
 Quæ modestia rebus in secundis?
 Quæ constantia mox reflante fato?
 At virtus facit illa singularis,
 Ut quam diximus esse Margaritam,
 Multo dicere præstet Unionem.

Ludov. Cælii Rhodigini Epitaphium.

Ludovicus ille Cælius, domi, ac foris
 Græce, Latineque omnium doctissimus;
 Vivet perennis: quodque paucis contigit,
 Vixit, suæque æternitati interfuit.

Ad Liliam Gregorium Gyraldum.

Juras te studiis renunciaſſe,
 Et Muſas Latias, Achaicasque
 Totâ, ut dicitur, expulſiſſe arenâ.
 Verum hoc tam bene, tam facis diſerte;
 Ut quanto acrius, ampliusque juras,
 Tanto & acrius ampliusque jurem,
 Te Lili, tua dicta pejerare.

Ad Auguſtinum Muſtum.

Effigies hominum cum deformaret Apelles,
 Ita, ut putares vivere:
 Id nullo ingenio potuit pervincere, vocem
 Ut penicillus redderet.

Cum,

Cum, Muste, in tabulâ nostri decora inclita sæcli
 Suis coloribus linis,
 Non fatis est veros calamo tibi reddere vultus;
 Vitamque, vocemque exprimis.

De Hymnis, Rhofeti poëte.

Hymnos ne metuas mei Rhofeti,
 Divinâ gravitate delibutos,
 Quis Pæan melior relevit omne
 Terrai vitium, interesse posse.
 Vivent crede mihi, nec iis nocebunt
 Cana sæcula; non enim deceret
 Immortalibus esse dedicata,
 Quæ dispendia temporum subirent.

Bona Fortuna, precaria.

Noli divitias tuas putare,
 Noli magnificos tuos honores.
 Illud jure potes tuum æstimare,
 Quod non subditur Antiatis orbi.
 Isthæc sunt tibi commodata tantum,
 Non, magno sine fœnore, ac dolore;
 Mox forsan repetenda creditori.

De Anterotâ.

Hic unus colitur, sed unus ille
 Implet munia Numinum duorum,
 Et potest geminus vocari & unus:
 Et quod vix licet æstimari, in illo
 Bis unum, duo non facit, sed unum,
 Hæc vis scilicet Anterotis illa est:
 Hæc vis mutua mutui est Amoris:
 Hæc binas animas coire cogit,
 Atque una geminum calere pectus.

In arrogantiam Hippoclidis.

Tantum Hippoclidēs, cum legit, scribit, canit,
 Sibi solet placere, tantum plaudere,
 Ut quæ legit, scribit, canit, divinitus
 Sibi putet dictata; quasi furor entheus
 Infanientis impetus adflaverit.
 Hinc jactat illa, & astra ad usque provehit;
 Et se beatum præ omnibus longe putat.
 At tu, Georgi, ne invidē, aut ne arguē,
 Neve hanc, rogo, felicitatem ademeris.
 Quum laude verâ non queat frui miser,
 Sine ut fruatur hac imaginariâ.

Anysii Carmen.

Quis non Anysii dulce carmen, & Musas
 Exosculetur? quæ adeo dulce dictarunt
 Carmen; cui invidere plurimi possint;
 Quod æmulari aut alter, aut queat nemo:
 Cui assibilat lætum nemus Citheronis,
 Cui blandi Amores invicem manu plaudunt.
 Quod ni evehat merita eloquens cohors laude;
 Aut invida, aut rerum sit omnium ignara.
 Certe poëma tam venustum, & exactum,
 Vel improbare ipse erubesceret Momus.

In Linum.

Non est quod dolcas, amice, non est,
 Quod possis, Line, postulare mecum:
 Nam laudes cupio tuas ad astra
 Usque provehere; inque summo olympo,
 Inque ipsis genibus Jovis locare:
 Sed tu materiam dato, indicaque
 Quo laudes lateant tuæ recessu.
 Nam per me nequeo invenire; sed tu

Quod

Quod est turpius, arrogantiusque
 Admisces precibus minas, minisque
 Vim juras comitem palam additurum:
 Sed frustra, Line; quando nemo laudes
 Extorquere potest; potest mereri.

Pulicis nuncupatio.

Æra, marmora, saxa, ebur, tabellæ,
 Quum jacent sine honore prostituta,
 Calcari pedibus solent profanis.
 Cum vero fuerint dicata templis,
 Actutum innumeros merent honores;
 Sic vilis modo, sordidusque pulex,
 Cœpit denique nonnihil videri,
 Cum Rhetor sua vota nuncupavit;
 Et scripsit breve carmen in tabellâ:
 Donum Antistis esto Vatiensis.

Ad Liliū.

Lili, præparo Principi dicare
 Ex nugis aliquid peculiare,
 Incultum licet, & minus disertum.
 Sed thure accipimus, molaque falsâ,
 De magno Jove gratiam parari.
 At quum sint aditus secretiores
 In Nysam tibi pervii frequenter,
 Et patrem Clarium, & novem sorores
 Compelles lepido tuo susurro;
 Pro te ne pigeat rogare paucis.
 Ne nostra hæc schedia imbuant filuri,
 Ne farcimina, ne tegant olivas.
 Quod si carmina forte non merentur,
 Meretur pietas tamen Poëtæ,
 Qui sacrum dedit, ut tulit facultas,
 Miti pectore fane, & integello,

Ad Benedictum Lampridium.

Seu dulces Elegos tibi Camœnæ,
 Seu dicent tibi syllabas Catulli,
 Adfurgunt Charites, & hinc & inde
 Cingunt tempora myrtheis corollis:
 Quando nil tibi Phœbus abnegavit,
 Et feliciter omnia experiris.
 Sic & Carpathii arbiter profundi,
 Novit, cum libet, esse versipellis,
 Omnesque induere undecumque formas.
 Verum hoc es, Benedicte, præferendus:
 Nam cum sæpe feras, & ignem, & undas,
 Isque immania monstra moliatur;
 Tu nihil nisi dulce, gratum, amœnum,
 Et doctum, & teres, exprimis canendo.
 Nec fat hoc tibi: nam bonus Cupido
 Mox pulchro linit illa penicillo;
 Ex quo mirificos cient amores,
 Et flammæ animis meras inurunt,

Ad Leonem X.

Vix admittere vota, vix rogari
 Se sinunt alii: nec erubescunt
 Quum rogaveris usque, pernegare;
 Aut, si dant, dare (Dii boni) arroganter,
 Ita ut displiceat tulisse votum.
 At nos maximo, & optimo Leoni
 Grates dicimus, antequam rogemus.
 O incredibilem, atque singularem,
 Quam nec sæcula viderint priora,
 Nec ventura dehinc tacere possint,
 Longa sæcula, liberalitatem,
 Dignam numine maximi Leonis.

Ad Herculem II. Ferrariæ Ducem IV.

Tempore quæ vario scripsit congesta in acervum.
 Dedicat ex roto Cælii asse tuus.
 Multis scripta uni, Princeps, tibi cuncta dicantur:
 Unus multorum scilicet instar habes.

Ad eundem.

Nox erat, & me ad se miratus nocte profectum
 Dux meus; huc Cæli, quæ te ait, aura tulit?
 Me Zephyrus, dixi, tuus, & tua pertulit aura,
 Adflatu cujus terra beata parit.
 Mutus agit reliquum tempus Meandrius ales;
 Quum spirat Zephyrus protinus ille canit.
 Sic tuus hic Zephyrus, tua sic mihi personat aura,
 Cum tacet hæc taceo; cum sonat illa, cano,

Philosophus in magistratu.

Ante mihi sopsiæ studium, & cognoscere cœlum,
 Quæque nitent cœlo sidera cura fuit.
 At nunc Romuleam demens adscendo curulem,
 Ut sublimis eam, conspicuusque foro.
 Memiserum, quo me mala mens male compulit ægrum?
 Evehor ima perens: cum peto summa, ruo.
 Quin age, scande iterum, mutatoque ordine rerum,
 Ut te descensus subvehat, ima pete.

Tumulus Hippolyti Card. Ferr.

Quod nihil inscriptum tumulo, ne sit tibi mirum,
 Hippolyti tumulos non capit hic tumulus.

Carmina non esse obtegenda.

At periisse tibi tacitas si constat Amyclas;
 Cur tibi Amycleo more perire placet?
 Barbata si Phœbi taceant, quas barbata laudet,
 Aut quis in iis usus, quidve leporis erit?

Si prædulce melos tacuisset Thracius Orpheus,
 Nec fera, ne cœptum sisteret amnis iter.
 Gemmatas nisi pandat avis Junonia pennas,
 Incassum tantas Argus haberet opes.
 Tu quoque Pieridum si munera sacra recondas;
 Munera Pieridum deperiisse puta.

Poëta quartana laboranti.

Te vexat quartana gravis: tu carmina condis.
 Hoc est hoc profus, Postume, bis furere.

Ad Hieronymum Aleandrum.

Incertum est, Aleander, utrum te dicere malim;
 Quum Græcum, atque Italum te tua lingua velit.
 Septem urbes Græcas natalem ingentis Homeri
 Immenti studiis asseruisse ferunt.
 De te lis major; cum te jam vendicet omnis
 Attica terra sibi, Romula terra sibi.

Lesbia amor.

Et vidi, & sensi, dum furtim Lesbia carpit,
 Me mihi: sed carpi me mihi dulce fuit.
 Haud vidi, haud sensi, dum furtim Lesbia carpit
 Me mihi: quis carpi se sibi dulce putet?
 Vel neutrum factum est, vel Amor facere audet utrumq;
 Qui, quod triste mihi est, reddere dulce potest.

De Statua Fabricii.

Hæc est Fabricii facies bene nota sodalis;
 Dat Lysippææ quam mihi cura manus;
 Tam bene, tam fabre, ut liceat tibi dicere: certe
 Vivus uterque viget, vel stat uterque lapis.

Encomium Culicis.

Ast ego magnanimum culicem quo carmine laudem?
 Certe hujus rara est gloria, rarus honor.

Cetera quæcumque a nobis infecta vocantur,
 Furtim ex insidiis figere tela solent.
 Ille, cave, exclamat, metuendaque classica pulsat:
 Diffidiæque notâ, qui dolet, ille dolet.
 In reliquis fraudem, atque astum causabere: nemo
 De culicis poterit vulnere jure queri.

De Hercule Duce.

Nox erat; at nostras magni jubar Herculis ædes
 Quum subiit, nobis protinus orta dies.
 Phœbe, tuos radios jam nil moror; Herculis ora
 En multo radiis sunt potiora tuis,
 Pace tuâ fari liceat, lux maxima mundi,
 Hic multo terris purior ignis erit.
 Tu segnes nebulas, tu sævos concipis æstus:
 Omnis ab Herculeo sidere noxa procul.

Perdix, munus Jacobelli Seraphini.

Si me alius quicumque epulis, ventrique parasset;
 Ingenuè dicam, mors mihi durâ foret.
 At cum me dulci Seraphinus mittat amico,
 Ingenuè dicam, sic periisse juvat.

Apes in pharetra Amoris.

Pallantes excepit apes modo Cypride natus
 In pharetram: e pharetrâ nunc nova mella legit.
 Quam bene apes, & Amor se in mutua fœdera jungunt:
 Quos Natura pares moribus esse probat.
 Nam sua spicula apes, & Amor sua spicula torquet,
 Tortaque in impresso vulnere fixa sinunt.
 Melle gerunt perfusa, gerunt perfusa veneno,
 Et sua spicula apes, & sua spicula Amor,
 Diversum hoc: sanabile apum, haud sanabile Amoris.
 Vulnus, apesque semel, non semel ille ferit.

De iisdem.

Pulsum examen apum pharetrâ se inclusit Amoris,
Et nunc in pharetrâ dulcia mella liquat.

At tu, hospes, ne tange, licet prædulcia mella;
Scilicet hæc inter spicula nata putes.

En sua spicula apes acuunt ad spicula Amoris:
En Amor ipse in apum melle venena finit.

De bono Epigrammate.

Malim Elegos, malim silvas contexere longo
Carmine, quam ductu cultum Epigramma brevi.

Quippe illic fas est spatioso excurrere campo:
Hic agilem angusto limite flectis equum.

Illa fat est plane, fatis est dixisse Latine:

Hic lepor, & brevitatis mixta lepore decet:

Ni lectum legisse juvet, ni pruriat auris,

Judice me, Carmen, non Epigramma, voces,

Ad Anton. Constabilem.

Magna petam, vel parva petam; par exitus instat:
Vos dare magna piget: vos dare parva pudet.

At tu, magnanime Antonii, dabis utraque nobis;

Parvaque ne pigeat; magnaque ne pudeat.

De insulâ Principis.

Hæc quæ fidereis festum caput exerit undis

Insula, & æthereas hîc quoque jactat opes:

Non est Mulciberi jussu, non arte Cyclosum

Condita, Apollineâ nec nitet illa manu.

Verum operâ aligerûm raptim succrevit Amorum,

Dum certat matri quisque placere suæ.

Ipsa Charis resoluta comas, succincta papillas,

Aggessit lapides, dives Erythra, tuos.

Cinnameos viden' ut flores fert dædala tellus,

Et viden' ut frondes blandius aura movet?

Hîc

Hic Venus & Mavors quantum lubet oscula miscent,
 Nec metuunt laqueos, invidæ claude, tuos.
 Quin etiam Alphonfus magni Herculis inclita proles,
 Se comitem ludis sæpe utriusque facit.
 Dum ludunt, Veneri cestos, Marti excidit umbo:
 Protinus illa heros induit apta sibi.
 Nunc cesto pectus, nunc lævâ umbone coruscat:
 Civibus inde amor est; hostibus inde metus.

In Titi Strozæ obitum.

Aonides mœstæ lauros. & barbata Pœbus,
 Mœsta Venus myrtos, tristis Amor pharetram,
 Mercurius virgam, Pallas congestit olivam;
 Atque Tito ex illis composuere rogam.
 Tum Charites stravere rosas, quas suada, leporque
 Molliri fletu non sinit irriguo.

Instructio ad mortem.

Ut tibi mors felix contingat, vivere disce:
 Ut felix possis vivere, disce mori.

Bacchus ex igne raptus.

Ardentis Semeles audens puer excidit alvo,
 Ardebatque uno mater, & ille rogo.
 Et spes nulla super miseræ succurrere matri:
 At puer in flammis non tamen ustus erat.
 Ogygis occurrit; sed non prius attigit illum,
 Succubuit multæ quam Jovis ignis aquæ.
 Ignis abit; sed non abiit vis ignea prorsus,
 Quique cuti summæ parcit, in ima furit.
 Nympha igitur procul, ô puerum, ne tangito, clamat,
 Quisquis es: ignis enim est, ni prius imbre laves.

Ad Herculem Ducem.

Tu mihi tu fateor tam magna, & rara dedisti,
 Quanta potest animus vix cupere, aut capere.

Nam

Nam me tot cumulis tua gratia largiter auxit,
 Herculis ut facile noscere dona queas.
 Nam quæ magnanimus dat Princeps munera, tantum
 Excellunt, quanto grandior ipse aliis.
 Quod si non aulim meritas tibi dicere grates,
 Agnoscas molem muneris inde tui.
 Nemo jure potest Princeps ingratus haberi,
 Qui tacet immensis attonitus meritis.

Ad Jo: Baptistam Gyraldum.

Quod cultum carmen, quod doctas impleat aures,
 Et secum multum Numinis esse probet,
 Herculei auspicia imperii quod flumine largo
 Explicet, & plebis mixtaque vota Patrum:
 Laus, Gyrâlde, tua est: tibi enim fas prodere quantum
 Lætitiæ populis attulit una dies.
 At mihi adhuc dubium est; hæc an tibi debita laus sit
 An potius raræ debita materiæ.

Raphaëlis Urbinatis industria.

Tot proceres Romam, tam longa exstruxerat ætas,
 Totque hostes, & tot sæcula diruerant.
 Nunc Romam in Româ quærit, reperitque Raphaël.
 Quærere, magni hominis, sed reperire, Dei est.

Ludovici Areosti Epitaphium.

Tu repetis cælum, & terras, Areoste, relinquis,
 Et loca jam meritis inferiora tuis.
 Nos miseri, & curis longe mortalibus acti,
 Non tibi, sed nobis fundimus has lacrimas,
 Gloria te niveis subducit in æthera bigis:
 Nos sine te luctu perpetuo opprimimur.

Amor victo Hercule conquiescens.

Hic Amor Herculeâ sopitus pelle quiescit;
 Pulvinum capiti subdita clava facit.

Has nunc exuvias præfert, magno Hercule victo:
 Pro clavâ gestat sed Deus ille colum.
 At puerum Veneris somno, & sudore madentem,
 Praxiteles Parium transtulit in lapidem.
 Tu vero, hospes, abi, aut leni fac verba fufurro,
 Ne somnum excussum forte queratur Amor.
 Ille quidem abjecitque facem, abjecitque pharetram:
 Pro face, pro pharetrâ clava timenda tibi est.

De Violanthide.

Non ipsa a violis nomen Violanthis habebas,
 Verum abs te violæ nunc quoque nomen habent.
 Figebas quocumque pedem, quæcumque locuta es,
 Hinc molles violas sparsit, & inde lepor.
 Has legit probitas, Charites legere pudorque,
 Atque ex his tumulo grata corona datur.
 Balthasar & gemitu & miseris singultibus adflat,
 Et cogit lacrimis usque virere suis.

Natura accusatio.

Crura Lycus scopulo properans impegit acuto,
 Cum mandata sui jussus obiret heri.
 Inde dolens clamat: vere Natura noverca es,
 Atque homini semper, quâ potes arte, noces.
 Par scopulo, par plaga mihi, par vulnus utrique:
 Verum ego cum doleam, nil dolet ipse lapis.

Ad Phlegiam.

Si Phlegia est; nequit esse bonus: quod si bonus idem est,
 Illum tu Phlegiam naviter esse nega.

De Niobe.

Hæc Niobe, non jam Niobe, sed flebile saxum,
 Sic Nemesis jussit, sic gravis ira Deum.
 Te lapis hortatur, fletus ut fletibus addas;
 Ni facias, hospes, durior es lapide.

Casus Icarî.

Dædalus infuetis scindat licet aëra pennis,
 Non cessat natum voce monere tamen:
 Icare, per medium: medio tutissimus ibis.
 Icarus exclamat: mi pater, adfer opem.
 Ne frustra repetas miseri præcepta volatus;
 Jam rogo, jam dicta quâ ratione natem.

Nemesis.

Sum Nemesis, hominum cubitores metior omnes,
 Neve quis abscedat limite, frena gero.

Iconica Herculis Ducis imago.

Exprimit in tabulâ Phaëthontem Cous Apelles;
 Sed lucem, & radios non potis exprimere,
 Sic tua, mi Princeps, Doffus forte exprimit ora:
 Virtutem, & mores non potis exprimere.

Neronis impietas in matrem.

Cum Nero in exitium properaret matris apertum,
 Dicitur hac natum voce rogasse parens:
 Non oculos, non ora petas: pete viscera ferro;
 Viscera tam magnum quæ peperere nefas,

Ad Nemefin.

Frena manu, normamque geris, Rhamnusia virgo;
 Ut tarde properes, ut tueare modum.

In senem ferulâ utentem.

Quid ferulâ moliris iter, quid te magis urges;
 Ad mortem gemino non fatis ire pede?

Cæcus & claudus juncti.

Non potis est certo cæcus procedere passu:
 Nec mirum est; oculos non habet ille duces.
 Non potis est claudus recto procedere cursu:
 Nec mirum est; firmos non habet ille pedes.
 At cæcus, claudusque ineunt commercia; & ægre
 Unius possunt munus obire duo.
 Claudum humeris cæcus; claudus per devia cæcum
 Dirigit: hic oculos commodat, ille pedes.

Amor in fonte.

Huic Amor infedit fonti, quis credere posset:
 Quod mediâ tantus pascitur ignis aquâ?

Item.

Qui puerum statuit muscoso in margine, tolli
 Magnum ignem tenui posse putavit aquâ.

Bucula Myronis.

Plumbea vincla Myron injecit, quid mihi frustra
 Impingis stimulos? vincula solve, sequar.

De eadem.

Ventre boves pariunt fœtus: ego credo Myronis
 Me quoque non factam, sed genitam esse manu.

In eandem.

En vitulus frustra trahit ubera: dextra Myronis
 Cum dederit vitam, lac dare non potuit.

Item.

Vacca Myronis agros adiens decerperit herbas,
 Si non vinxissent plumbea vincla pedes.

Item

Item.

Quod non sit vivæ similis, sed bucula vivat,
 Multa & aperta, hospes, dat tibi signa Myron.
 Admugit vitulus; bos adsiliit, arcet ab uvis
 Vinitor, in mandram cum grege pastor agit.

Item.

Mugio, sed quod non veniat mugitus ad aures
 Causa moræ lapis est, non manus artificis.

Item.

Si me quærentem pastorem videris, hospes;
 Dic, precor, injecit quod mihi vincla Myron.

Item.

Ecce homines perdit conversâ Gorgone Perseus;
 Ecce facit cælo vivere saxa Myron.

Equus Lysippi aeneus.

Lysippi sonipes longos porrectus in artus
 Se parat, ut cursu conficiat stadium.
 Atque tuos tantum nutus, qui frena ministras,
 Expectat: calcet subde, vorabit iter.

Amor loquitur.

Perfringit, penetrat, cremat omnia, fulmen adactum:
 Juppiter hinc nomen, *τερψεκέραυνος* habet.
 Perstringunt, penetrant, urunt mea spicula fulmen:
 Scilicet hinc nomen est mihi *πανδαμέτωρ*.

Imago Alcibiadis in auro.

Causa malique, bonique aurum: dux Græcus in auro
 Æque virtutes, æque habet & vitia.

Calamus ad scribendum aptatus.

Candida succisis qui nunc fecat æquora pennis;
 Rheni olim Aufonii vilis arundo fuit.
 Ore caret: sed cum laticem potaverit atrum,
 Cuncta potest, quæ tu jusseris, ore loqui.

De filiis Herculis Ducis.

Non opus est speculo: natum dum spectat utrumque
 Alcides, vivo se videt in speculo.

De imagine ejusdem.

Parrhasii arte potest pingi Phaëtonius ardor,
 Non facile radii, vel nitor ille potest.
 Si facile exsculpi possunt ora Herculis auro;
 Non facile virtus, ingeniumque potest.

Calendis Januarii nivosis.

Optabam, Janum ut niveum produceret annus:
 Albentesque mihi promeret usque dies.
 Ecce cadit toto nobis nix plurima cælo;
 Sic vere niveos dicimus esse dies.
 Quod si qua auspiciis vis est, si credimus illis;
 Totus ab auspicio candidus annus erit.

Echo.

Incola rupis ego, vocis meta, æmula linguæ
 Quâ primum incipies parte tacere, loquor.

Ad Heliodoram.

Texta corona rosâ cingit caput Heliodoræ,
 Et dubium est majus det, capiatve decus.
 Jam certe rutilat magis, & nunc suavius halat;
 Et rosa, per Charites, Heliodora rosæ est.

Victoriæ alæ, decussæ fulmine.

Nescia perperuas Victoria sistere pennas,
 Cum meditaretur Martis ab urbe fugam;
 Fulmine decussit fugitivas Juppiter alas;
 Figat ut æterna semper in urbe pedem.

Item.

Amisit volucres præpes Victoria pennas;
 Magnâ ex urbe Remi ne queat effugere.

Glyceres pulchritudo.

Æthereus decor, & pulchri cœlestis imago,
 Ut se mortales promeret ante oculos;
 Ut sacræ Veneris nos inflammaret amore,
 Ad cœlumque animos igne suo raperet;
 Ora subit Glyceres, pulchrosque accommodat artus,
 Imposuitque oculis, sicut in arce locum.
 Emicat hinc fulgor divinus, & entheus ardor,
 Cui sit fas animos furripere ex animis.
 Ergo hanc miramur, Solem ut miramur, & astra.
 O stulti, Glycerem creditis esse? Dea est.

De Ant. Leva.

Hexaphoro Levas vehitur, contractus in artus,
 Nec facit officium pesve, manusve suum.
 Spargit lingua minas, oculi multo igne coruscant;
 Præcedit terror, subsequiturque timor.
 Rem miram! Dii magni, animus sine corpore pugnat,
 Atque tot armatos unus inermis agit.

Niobe.

Qualis eram, me talem opifex effinxit, & olim
 Me lapidem factam, nunc lapidem esse vides.

Item.

Vivam olim in lapidem verterunt Numina sed me
Praxiteles vivam reddidit ex lapide.

De Aquila, uxore Loxani.

Olim Aquila e terris Ganymedem invexit Olympum,
Hinc ales magni dicitur esse Jovis.
At nunc Loxano quæ præmia digna dabuntur,
Qui de cælo Aquilam transtulit in thalamum?

Horologium fulminatam.

Cum soleant Horæ rapido trahere effeda cursu,
Temporis & celerem præcipitare rotam;
Res bene habet: pater omnipotens rapida effeda fregit,
Fulmine currentem devoluitque rotam.
Hinc regnum Alcidæ, Alcidæque nepotibus olim
Stabit, & æterno gloria fixa pede.
His ego nec metas rerum, nec tempora pono,
Prædixit magnus Juppiter igne suo.
Ergo suas Fortuna vices, & tempora vertet,
Hic modo quam vertat, non habet illa rotam.

In organum Musicum ex alabastro.

Mirati veteres resonas in Memnone chordas,
Promere divinum Sole oriente sonum.
Quo primum in saxo cæli chelys Orpheos hæsit,
Edocuit saxum reddere dulce melos.
Non hæc vana putes: testis mihi Mantua, testis
Princeps Palladii magna Isabella chori.
Audimus candentem alabastrum, audimus ophitem
Dulces concentus edere sponte sua.
Credibile est illis citharam appendisse Maronem,
Atque hinc tam miros saxa bibisse modos.

De Roma, & Bononia.

Quo Romæ dispar sit docta Bononia dicam:
Hæc facienda legit: illa legenda facit.

Epitaph. Ludovici Pannoniæ Regis.

Rex ego Pannoniæ Ludovicus fortiter urgens
Turcarum regem, fortiter occubui.
Nec grave pro regno, fateor, cecidisse putavi;
Sed grave cum regno me cecidisse meo.

De Antonio Constabili.

Ad tumulum stat Fama, tubâque hinc personat, atque
Antonii, in laudes innumera ora movet.
Constabile inde genus (virtutem hic audit Eous)
Hinc large impensas Hesperus audit opes.
Hinc sancti benefacta animi procul excipit Auster;
Hinc longe Boreas fortiter acta notat.
Antoni late reboant præconia, at ipse,
Ipse ingens orbis non tamen illa capit.
Fama tubam in laudes, in laudes ora fatigat:
Tot tamen in laudes se negat esse parem.

Quod sit amice mancipatus.

Quid mihi vobiscum ô focii? mea pectora frustra
Pescitis, Euphrosyne vendicat illa sibi.
Euphrosyne sibi habet, sibi possidet; omnia secum
Abstulit, atque suo condidit una sinu.
Nam dum sæpe rosas, commistaque lilia miror;
Infertosque onyces murici inesse puto:
Illa mihi incauto rapuit cor, & intima profus
Pectora lacteolâ est depopulata manu.
Me miserum, qui nunc sine corde, & pectore vivo:
Si non est potius hæc mihi vita mori.

Sed

Sed mihi mors melior foret atque optatior: at nunc
 Vivere nec fas est, nec bene posse mori.
 O Superi, si non aliter fas tollere flammæ,
 Una sit & flammis, & mihi summa dies.
 Illa dies felix, & fausta vocabitur a me,
 Excutiam a sævo quæ mea colla jugo,
 Libera in Elysiis nostra umbra vagabitur arvis,
 Ni modo in Elysiis jus quoque habebit amor.
 Me miserum, frustrâ queror, & magis ingruit ardor,
 Sævit & in misero pectore flamma magis.
 Ah crudelis, & ad nostras tam furda querelas!
 Te nihil iste dolor, mœstaque verba movent.
 Quoque magis frustra lamentor, acerbius uris,
 Atque in me tanto sævius ignis agit
 Denique quid faciam ignoro: tu sola salutis
 Spes mihi: tu vitæ maxima causa meæ.
 Namque ego ne duros properarem abrumpere nodos,
 Obstetit illa mihi gratia, suada, lepos;
 Ille decor vultus, quo me persæpe cadentem
 Faucibus ex Orci restituisse potes.
 Tene ego desererem? te cara relinquere possem?
 Ah mihi acerba dies, ah mihi dura dies!
 Possem ego purpureis ergo caruisse labellis?
 Possem ego tam pulchras destituisse comas?
 Possem ego Ledæis certantia lumina flammis,
 Et tam mellito linquere verba sono?
 Ante Cupidineos penitus consumar in ignes;
 In cineres potius deliquisse velim.
 Tu tamen, ô si te semper vehementer amavi,
 Et vehementer amo, mitior esse velis.
 Quandoquidem tua sunt, quæ tam crudeliter uris
 Pectora, & hæc tua sunt quæ male corda domas,
 Sum tuus, & tenses si fors dissolvat in auras,
 Quidquid erit damni, crede erit omne tuum.

Ludus Nympharum, nivis tempore.

Nuper Hyperboreis Aquilo de cautibus haustus
 Irriguo late sparserat ore nives.

Horrida nocturnis canebat terra pruinis,
 Flumen concretis omne rigebat aquis.
 Atque adstricta gelu labentia vellera cœlo,
 Sublustris circum caussa nitoris erant.
 Hoc igitur blande candore illecta Melænis;
 Huc, inquit, comites, huc, Galatea, voca.
 Huc agite, ô Nymphæ, seu stagna liquentia curæ,
 Seu mage furtivis culta fovetis aquis.
 Huc Nymphæ Aonides, quæque inter lustra ferarum
 Montivagæ colitis innuba signa Deæ;
 In numerum hibernas juvat exercere palæstras,
 Et nive suffartas conseruisse manus.
 Hæc vix fata, & jam relinquunt spelæa Napeæ,
 Decurrunt Dryades, Naiadesque jugis.
 Lipientesque globos volucrem meditantur in orbem,
 Et compacta gelu protinus arma parant.
 Inque vicem Nymphæ gelidos luctantur in ictus,
 Perque sinus fluidos lubrica tela cadunt,
 Thespia florentes suras evincta cothurno,
 Concreto Ægeriæ perculit imbre genas;
 Percussaque genæ dulcem traxere ruborem:
 Scilicet in niveo plus decet ore rubor.
 Tum vero Ægeria, non hoc impune feremus
 Dixit, & ultrices tendit in ora manus.
 Thespia sed fugiens, sibi quo nova tela pararet,
 Labitur, & reteggit nobile lapsa femur.
 Riserunt Nymphæ, risit nemus omne propinquum;
 Adfurgit celeri protinus illa pede.
 Tum festinantem moles glomerare nivofas,
 Ægeriam rapidâ Cyrrha morata manu est.
 Illa autem in Cyrrham totum jacet agmen aquarum,
 Et munus, dixit, hoc pietatis habe.
 Tum docta Eurymene certamen triste diremit:
 Dum dirimit, pressit fluxa ruina comas,
 Disiecitque omnes sublimi a vertice crines:
 Disiectis Aquilo suavia mille dedit.
 Concitaque Eurymene nunc hanc, nunc provocat illam,
 Atque hostem, quoniam nescit, ubique putat.

Nec minus Ædone proles generosa Calypeus
 Deturbat Clio clam pede adorta pedem.
 Nyssa inter corylos, inter myrteta Lycoris,
 Se Nemesis lauro, se salice Hyla tegit.
 Atque locum noctæ modo in hanc jaculantur, & illam,
 Et jaciunt furtim, seque deinde tegunt;
 Dum sociâ Dryades arbusta indagine cingunt,
 Atque illas latebris devoluere suis.
 At tunc præcipiti prorumpunt agmine Nymphæ,
 Atque omnes prope mutuus ardor habet.
 Hybla Thoen, Charitessa Nedam, Lydam adpetit Ægle;
 Et post se longum quælibet agmen agit.
 Certatim fugiunt, certatim deinde sequuntur,
 Alternoque errat Laurea utrimque gradu,
 Ecce vides victas, modo, quas vicisse putaras;
 Nec fors una manet, nec manet unus honos.
 Dumque ita decertant, dum ludicra prælia miscent,
 Misceri audierunt omne fragore nemus.
 Protinus arrexere aures, atque omnia lustrant;
 Congestæque manu procubuere nives.
 Ecce adsultantes Satyros de vertice montis,
 Atque hilares Panas profluisse vident.
 Nec mora, festino complerunt omnia cursu;
 Et raptim instructos deseruere choros.
 Tum rupes prope, & solitos petiere recessus;
 Et trepidæ latebris delituere suis.

Masinissa Sophonisba.

Quod nullam primâ scripsi tibi fronte salutem;
 Hoc primum duri carminis omen habes.
 Ipse quidem solitum morem servare volebam;
 Sed mihi scribenti non erat ulla salus.
 Quod licet, ô conjux (utinam mihi plura licerent)
 Do tibi; ne longum sit cupienda salus:
 Et cum felicem nequeam te reddere, certe
 Vindice me, infelix non potes esse diu.
 Hac servare fidem tantum mihi parte relictum est;
 Cetera cum nobis invida fata negent.

Nec cecidisse mihi genialia pacta putato,
 Neve datam credas me violare fidem
 O sicut memori manet; & mihi mente manebit,
 Possit ita ex animo tuta manere fides!
 Si mihi pro voto fortunam fingere detur,
 Consiliumque mihi non aliunde petam;
 Pars quota curarum jubeat tibi cura salutis,
 Scilicet hæc miseros sollicitare solet,
 Sublimis longeque viri felicior ausis,
 Inter Getulas conspicienda nurus
 Ires, participem mecum ductura triumphum;
 Nuper ab incauto, præda relicta viro.
 Captivumque unâ scires hac parte Syphacem,
 Quod solitâ major conditione fores;
 Tutior & multo rerum tutela mearum,
 Nec rursus hostili diripienda manu:
 Denique quidquid amans juravi victor amanti,
 Ex nullâ nosse parte carere fide.
 Stat in hi adhuc animo præsens tua flentis imago,
 Obvia cum primo limine facta mihi es.
 Addebant lacrimæ decus, & vox ægra movebat,
 Et scissæ vestes, & sine honore comæ.
 Quid dicam? cum tu præbens mihi pectus apertum,
 En jugulum, dixti, quem petis, ense feri.
 Illum ego ne jugulum, mea lux, mea vita, ferirem?
 Quippe meus sanguis non tuus inde fluat.
 Quid fles, quid miseros, dixi corrupis ocellos?
 Nullus ab hoc prorsus imminet ense metus.
 Nostra eris, & fidei tibi sit mea dextera pignus;
 Tu modo sollicitos pectore pone metus.
 Non tu vincita manus Capitolia celsa videbis,
 Nec tibi servili pensa trahenda manu.
 Et modo quæ mansit, posthac fortuna manebit,
 Et quod vir fuerat, hoc tibi semper ero.
 Neve aiquod possit promissa resolvere fatum,
 Juncta meo vives, & moriere toro.
 Annuit his partim Venus, & partim irrita fecit:
 Non vives nostro, sed moriere toro:

Cumque tuæ nequeam vitæ servator haberi,
 Nec reus invisæ proditionis agar.
 Non equidem scepro mecum potiere recepto,
 Sed nec victrices experiere manus.
 En propinabit tristem cratera minister,
 Atque adfertori pocula sacra Jovi.
 Hæc tibi connubii certissima munera sunt;
 Hac dotis numeros accumulamus ope.
 Ebibe, & auspiciis calicem felicibus hauri:
 Degeneres animos non timor ullus agat.
 Sic docet Hasdrubalis sobolem, sic patria victrix,
 Sic magni Hannibalis fortia facta monent.
 Hoc Gisgonis avi votum est, hoc suadet Hamilcar,
 Hoc tibi Barchinæ gloria gentis opus.
 Factio quid cupiat diversa, quid adpetat Hannon,
 Conjectare etiam me, reticente, potes.
 Sume age, nec quidquam generosos terreat ausus,
 Neve reformides nomen inane necis.
 Mors etenim est homini communis meta laborum;
 Et mala cum solvat, nil habet ipsa mali.
 Res una est, quæ te vel sola offendere possit,
 Si fuerit lethi forma pudenda tui:
 Si timida, & Stygias invisas degener umbras,
 Et famam, & vitam tempore mensa pari.
 Ah quanto satius fragilem contemnere vitam,
 Ut te post cineres fama loquatur anus.
 Res brevis, & faciliis, mortem constanter adire;
 Sed brevis hæc, longi causa decoris erit.
 Non poterunt hostes ipsi non facta probare,
 In sexuque animos deteriore mares.
 Quales deinde viros, quantosque in bella putabunt,
 Audeat hæc quando fortia molle genus?
 Romam etiam famam hæc celebris penetrabit, eritque
 Matribus Ausoniis nomen in ore tuum.
 Nescio quas multum celebrant heroidas illæ:
 His, reor, accedet mox Sophonisba comes.
 Canaque cum Cyrtham post sæcula venerit hospes,
 Hic olim, dicet, quanta puella fuit!

Quod

Quod si fera ætas tam claros nesciat actus,
 Nec tibi contingat posteritatis honor:
 Attamen est melius invisam abrumperè vitam,
 Et longè præstat deperiisse semel,
 Quam perferre diu Romani opprobria fastus,
 Arbitrioque hostis fanda, nefanda pati.
 Nec tamen intactum quidquam immotumve reliqui,
 Ut te perfruerer sospite sospes ego.
 Sed Deus invidit nostro minus æquus amori,
 Et qui post Superos regna Latinus habet.
 Scipio factum odit, me Lælius increpat ultro,
 Et non temnendas addit uterque minas.
 Et jam nulla potest damnis medicina parari:
 Mors sola ærumnas absoluisse potest.
 Sæpe mihi, fateor, fuit impetus ire per ensẽ,
 Et vix se a jugulo continuere manus,
 Continuere tamen; quod nec peperisse salutem,
 Nec mea mors poterat consuluisse tibi.
 Et discrimen erat, si me mea fata tulissent,
 Ne tua res staret deteriore loco.
 Nec vivam, quod sit post te mihi vivere dulce,
 Omnia cum tecum gaudia nostra cadant,
 Sed mihi in invidiam Fortunæ vivere certum est,
 Ne prorsus nostris gaudeat illa malis.
 Multaque cum videat, non funera bina videbit;
 Nec geminâ tinget cæde superba rotam.
 Adde, quod ex aliquâ fuero dum parte superstes,
 Tu quoque vel magnâ parte superstes eris.
 Ipseque dum vivam, medio mihi pectore vives;
 Ac neutrum, aut idem finis utrumque trahet.
 Multa tuos etiam tangent hinc commoda manes
 Nam veniet cineri debita cura tuo:
 Et vernos flores violis pallentibus addam;
 Nec patiar lacrimis illa carere meis
 Inscribam tumulo carmen miserabile luctus
 Quod nostri, & nostri testis amoris erit:
 Vir Masinissa, uxor Sophonisba, perivit uterque:
 Vivus hic, hæc fato fortiter usa suo.

Penelopes Nox prima.

Ite agite, ô radii, textumque retexite pensum,
 Ut fiant nostræ tempora longa moræ.
 Nec vos insolitus labor, & nocturna fatigent
 Tempora, & ad noctem continuata dies.
 Cernitis ut tacito labantur sidera cœlo,
 Et semper notum Luna recurrat iter?
 Et polus assidua se se vertigine flectit,
 Cunctaque pernici concitus axe rotat.
 Iple pater, qui audit, qui conspicit omnia Phœbus,
 Impulit audaces qua prius urget equos.
 At numquam repetunt veterem mea gaudia cursum,
 Quæ mihi plus nimio deperiere semel.
 Ite agite ô radii, textumque retexite pensum:
 Ut fiant nostræ tempora longa moræ.
 Nec pigeat dextræ, nec vos parere sinistra; ;
 Indefessa suis utraque facta malis.
 Annus agit rapidi sinuosa volumina cursus,
 Æternasque suo conficit orbe vices.
 Tristis hyems late gelidis tegit arva pruinis,
 Tempore quæ verno mox subeunte liquent.
 Ver ditat violis campos, & floribus aureis,
 Qui victi æstivo deinde vapore cadunt.
 At mihi semper hyems madidis superincubat alis,
 Semper & in gelido pectore bruma riget.
 Ite agite ô radii, textumque retexite pensum,
 Ut fiant nostræ tempora longa moræ.
 Notum iter hoc distat, quod quæ modo trita secundo
 Orbita, nunc vobis prima terenda datur.
 Cincta caput radiis ardentibus excoquit æstas
 Poma, sub autumnii tempore digna legi
 Nec minus autumnus tot gratis fœtibus auctus
 Protinus hiberno frigore perdit opes.
 Atque ita per numeros, hyemi ver, torrida veri
 Æstas; autumnio mox subit acris hyems.
 At me urit semper curis ardentibus æstas:
 Veris, & autumnii tempora nulla mihi.

Ite

Ite agite ô radii, textumque retexite pensum,
 Ut fiant nostræ tempora longa moræ.
 At tibi ne grave sit rursus, mea tela, retexi,
 Quod tibi nox adimit, reddet amica dies.
 Sic modo lascivi tondebant gramina tauri,
 Gramina quæ virides deposuere comas.
 Sed quoniam terræ vivis radicibus hærent,
 Terra potest primum restituuisse decus.
 Perdit, & amissum solita est reparare colorem
 Deliciis felix dædala terra suis.
 Me miseram! postquam primus mihi deperiit flos,
 Omnino spes est floris adempta novi.
 Ite agite ô radii, textumque retexite pensum,
 Ut fiant nostræ tempora longa moræ.
 Vos quoque non adeo felici ex arbore cæsi,
 Arboreâ nostis conditione frui:
 Et frondes motare novas crispantibus Euris,
 Et languere iterum succutiente Noto.
 Nostis uti pinus Cybeleia poma remittant,
 Nostis uti rursus sæpe remissa parent.
 Vidistis quoties cyparissos vertice conos
 Gestantes? quoties & sine honore suo?
 At postquam Boreas nostrum decussit honorem,
 Mi Zephyrus nullam ferre valebit opem.
 Ite agite ô radii, textumque retexite pensum,
 Ut fiant nostræ tempora longa moræ.
 Quo magis attrivit labor insuperabile lignum,
 Adsuevit vobis hoc minus esse gravis.
 Quo magis exposita est sævis Aquilonibus arbor,
 Hoc multo reliquis durior esse solet:
 Indurat quoniam venas penetrabile frigus,
 Materiemque gravem, perpetuamque facit.
 Si qua autem fracto tepidos tergo excipit Austros,
 Illa verustate mollis inersque cadit.
 Hac pressam ratione diu superesse dolori,
 Cum me perpetuo sollicitudo premat.
 Ite agite ô radii, textumque retexite pensum,
 Ut fiant nostræ tempora longa moræ.

Nos decet adfuetos pro tempore vertere mores,
 Porrigere & victas utilitate manus.
 Donec enim nostris obsisteret Ilion armis,
 Ilion Argolici fama dolorque soli;
 Pæfæpe accepi, ut voto fortuna faveret,
 Argivos proceres adfinulaffe fugam.
 Sæpe etiam nostros peteret cum navita portus,
 Adverfis vidi vela dediffe Notis.
 Sed mea per scopulos vexata adlifaque puppis,
 Quid fugiat novit, non ubi sistat habet.
 Ite agite ô radii, textumque retexite pensum;
 Ut fiant nostræ tempora longa moræ.
 Saxa etiam, saxa Actæo quæ in littore cernis,
 Et quæ Noritio vertice cæsa cadunt,
 Viva prius fibris terram, & radice tenebant;
 Nunc nudum ventis exeruere latus.
 Quin & in adversas se obfirmat populus undas,
 Cum sudum, egeritur tota saburra sinu.
 Et sacri pisces tranquilla per æquora ludunt:
 Fluctibus immineat si qua procella, latent.
 Nostra caret vicibus Fortuna; sed in mea semper
 Damna tenax, tantum hic mobilitate vacat.
 Ite agite ô radii, textumque retexite pensum;
 Ut fiant nostræ tempora longa moræ.
 Neve adeo pigeat vos per subtegmina nota,
 Pernici toties ire, redire gradu.
 Hanc operam præbete mihi; juga dura juvenci
 Cum bene protulerint, mox quoque ferre solent.
 Et quamquam injustum cervicem adtrivit aratrum,
 Attamen attritâ grandia plaustra trahunt.
 Hauserit & postquam cupidus plena ubera pastor,
 Improba lanitii damna subibit ovis.
 Sic caret induciis noster dolor, atque vicissim,
 Una est perpetui meta, gradusque mali.
 Ite agite ô radii, textumque retexite pensum;
 Ut fiant nostræ tempora longa moræ.
 Annua mortales celebrant solemnia Divis,
 Atque aras festâ cingere fronde solent.

Ipsa suum queritur mœrens Ægyptus Osirim;
 Et mox invento numine læta redit.
 Publica lætitiæ lux est sacrata quotannis;
 Publica mœstitiæ stat quoque dicta dies.
 Summa suos servant cursus, atque inde recursus
 Ambages servant non minus ima suas.
 Omnia cum redeant, numquam redit unus Ulysses;
 Cumque meo numquam dulcis Ulyssæ salus.
 Ite agite ô radii, textumque retexite pensum,
 Ut fiant nostræ tempora longa moræ.

Penelopes Nox secunda.

Ite agite ô radii, textumque retexite pensum,
 Ut fiant nostræ tempora longa moræ.
 Arduus umbrosâ confurgit in æthera fronte,
 Multifido findens ore Citherus aquas.
 A dextra magnum cingit latus ardua lotos,
 Cœruleisque abies conspicienda Deis.
 At lævam quæras, & plurima pinus obumbrat,
 Atque acer, atque bono fagus amata Jovi.
 Cetera pars longe tumidum prospectat in æquor,
 Obiicit & querulis fluctibus omne latus.
 Hac Euri, Zephyrique solent configere parte,
 Cumque ima annosas vellere caute trabes.
 Ite agite ô radii, textumque retexite pensum,
 Ut fiant nostræ tempora longa moræ.
 Hac puto, qua venti, qua certant murmura Ponti,
 Et levis allisâ rupe remugit aquâ,
 Innumera buxus componit imagine frondes,
 Unde suæ Triton Doridi ferta legit.
 Hinc etiam vobis vestra est, nisi fallor, origo,
 Indicium macies, & color ipse facit.
 Perpetuus quoniam qui vos circumstrepit horror,
 Pallida plus nimio reddere membra solet.
 Exemplo esse potest conjux tua, fortis Ulyssæ,
 Non conjux verum conjugis umbra tuæ.
 Ite agite ô radii, textumque retexite pensum,
 Ut fiant nostræ tempora longa moræ.

Quod

Quod si vera canunt vates, si credere dignum est,
 Quæ loquor, haud frustra nunc mea verba cadunt.
 Namque animam, & sensum vobis testantur inesse,
 Quo præfagiri sæpe futura solent.
 Quod si forte sacris aliquis vos ignibus infert,
 Contractæ frondes signa doloris habent.
 Et si aures votis faciles bona Numina præbent,
 Hoc vestro crepitu testificante probant.
 Heu, heu, venturo quoties crepuistis Ulyssè?
 Lusaque sum demens credulitate meâ.
 Ite agite ô radii, textumque retexite pensum:
 Ut fiant nostræ tempora longa moræ.
 Quin & Tenarias vulgata est fama per urbes,
 Fama ingens, cui non demo, nec addo fidem;
 Hanc sane rumor multo adfertore tuetur,
 Buxum olim puerum, Persephonea, tuum;
 Jussum abs te, Mynthæ ceu Ditis munera ferret,
 Munus ferre, sub hoc pallor, & horror erat:
 Ut simul atque esset perfusa hoc munere nympa,
 Decolor, atque oculis jam minus apta foret.
 Me miseram! numquam petii connubia Ditis;
 Hei quasi sim pellex par mihi pœna data est.
 Ite agite ô radii, textumque retexite pensum,
 Ut fiant nostræ tempora longa moræ.
 At puer imperium dominæ studiosus obibat,
 Sollicitâ gestans munera sæva manu.
 Heu puer infelix, heu mens ignara futuri;
 Nescis hæc, nescis quid sibi dona parent.
 Namque ferunt illum passu dum concitus iret,
 Ad silicem læso procubuisse pede.
 Procubuit: lapsu distracta est lignea pyxis,
 Quæ nunc de pueri nomine nomen habet.
 Scilicet hîc etiam miseros Fortuna fatigat,
 Quod nequeant summis delituisse malis.
 Ite agite ô radii, textumque retexite pensum;
 Ut fiant nostræ tempora longa moræ.
 Ille autem jacet attonitus; nec surgere curat,
 Nescius an redeat, vel breve pergat iter.

Hinc

Hinc metuit dominam, hinc frustra se pergere sentit;
 Ergo Deûm auxilium segnis, inersque vocat.
 Interea totos pallor gravis occupat artus,
 Nec jam quæ fuerat pristina forma manet.
 Nam pater ipse Herubi, gemitus miseratus inanes,
 Frondibus, & viridi cortice membra tegit.
 Dure jaces, penitusque tuis stupor ossibus hæsit;
 Nec multo melior fors tua, forte mea est.
 Ite agite ô radii, textumque retexite pensum;
 Ut fiant nostræ tempora longa moræ.
 Atqui debuerant aboleri morte dolores,
 Et tua jam tandem fata carere malis.
 Ecce etiam tua post obitum præcisa bipenni
 Membra gemunt, miseris mox quoque adacta modis.
 Namque brevem in modulum te sævus utrimque redegit
 Dædalus; in medio cetera lintre cavat,
 Spondæ extrema tegunt, Rodius ceu navita fluctus
 Arcet, & e gemino margine vela regit.
 Nec mirum, quod vestra adeo mihi constet imago,
 Illa voluptatis portio summa meæ.
 Ite agite ô radii, textumque retexite pensum,
 Ut fiant nostræ tempora longa moræ.
 Addimus huc longum qua se se porrigit axem,
 Quem circa tereti vertitur orbe rota.
 Hæc vomit adsiduo latentia fila rotatu,
 Quasque hausit, refluxo turbine reddit opes.
 Scilicet hinc facili currunt sub tegmina lapsu,
 Quæ nixu alterno lubrica trama rapit.
 Non aliter tenues emittit aranea telas,
 Ipsa suo pariter pondere, & usa manu.
 Quis putet? hic nostræ versatur summa salutis,
 Hæc dabit, aut adimet gaudia longa mihi.
 Ite agite ô radii, textumque retexite pensum,
 Ut fiant nostræ tempora longa moræ.
 Tandem ne qua mali facies incognita vobis,
 Denique pars ævi ne qua dolore vacet;
 Vos mihi mancipio crudelia fata dedere,
 Et gemitus testes vos statuere mei.

Namque decent nostras lingua infelicia curas,
Et miseros miseris Dii sociare solent.

Alternis igitur solari fata querelis,
Et licet alternas indoluiffe vices.

O summis fors plena malis, lenire dolorem
Hunc nihil excepto quippe dolore potest.

Ite agite ô radii, textumque retexite pensum,
Ut fiant nostræ tempora longa moræ.

At ne vos pigeat tantum perferre laboris,
Neve mihi hanc operam sit meruisse grave.

Nam si quando Ithacam vester remeabit Ulysses,
Attigeritque bono patria regna pede;

Grata ego vos reduci domum sacro Minervæ;
Ut vestros titulos postera sæcla legant.

Dicet & adveniens externis hospes ab oris:
Hi dominæ illæsam sustinuere fidem.

Dicet, at in longum vestri ibit gloria tempus,
Nec partus vobis emorietur honos.

Ite agite ô radii, rextumque retexite pensum.
Ut fiant nostræ tempora longa moræ.

De Joviano Pontano.

Creditus occubuisse Maro; secesserat olim,
Ut cæli motus, labentiaque astra videret;
Mox rediens ad nos Joviani nomine, terris
Quid felix profit, quid noxia stella minetur,
Exposuit, nostrisque oculis substravit Olympum:
Scilicet hoc deerat; petudes, Styga, prælia, turmas
Scripserat: extremum votis fuit aureus axis.

Imago D. Hieronymi in nucis cortice expressa.

Ecquis in angusto spirantem margine fixit,
Te, pater, incurvumque genu, impexumque capillos,
Et multâ illuvie squalentem, incanaque menta,
Pallidaque ora fame, & multo membra horrida tabo
Promentem e sacco, & maculosa nebride cinctum,

Et duro toties plangentem pectora saxo?
 Pectora tot fecunda bonis, quæ flumine largo
 Fuderunt nobis arcana volumina Mosis,
 Divinas & opes, prischorum oracula vatum,
 Unde salus, unde & vitæ melioris origo
 Panditur in cunctas præscripto ex tempore gentes,
 Cum vero nullus tanti pomeria limes
 Ingenii, nullus vim linguæ includere possit;
 Nunc tamen & nucis in tenui stas cortice totus,
 Et nucis area magna vacat: quando altera tantum
 Pars bifidæ molis fuit acri obnoxia ferro:
 Altera adhuc riget, & focia manet indiga laudis,
 At tu, docte senex, totus non solus in illa es:
 Nam tecum adfurgit faxis impervia rupes
 Horrida, & attollens ad cælum immane cacumen;
 En etiam nemus umbriferum gravis aura fatigat,
 Atque huc, atque illuc steriles provolvit arenas,
 Cumque ipsis angues sinuosos miscet arenis,
 Parte aliâ pendet sacrati ex more trophæi
 Ostro inlignis apex, duplici quem tenia nodo
 Alligat, atque abjuratos testatur honores.
 Hinc viden' ut totam longe procumbat in alvum,
 Et defendat herile latus, vastosque recessus
 Occupet ille Leo, timor ille Libystidis oræ:
 Nunc jacet, atque intra thesauros colligit ungues:
 Illos olim ungues manantes cæde frequenti.
 Adspicis ut positâ nunc se cervice reclinet,
 Exertaque, senis lambat vestigia lingua?
 At te, sancte pater, nec saxa, nec horrida rupes,
 Nec fera, nec nemoris fragor avocat, omnis olympum
 Mens inhiat, totum pectus suspirat Jesum.
 Illum animo, illum oculis, illum omni concipis ore;
 Illum unum adspectas pendentem e robore celso,
 Suffixasque manus, perfossaque pectora, & heu, heu,
 Omne caput lacerum crudeliter ostentantem:
 Atque hæc perpeffum nostras ut sanguine noxas
 Eluat, & miseros Geniis cœlestibus addat.
 Ergo tantarum te nunc miracula rerum,

Nunc

Nunc pietas, nunc summa movet clementia patris,
 Muneraque, & promissi animo obversantur honores.
 Scilicet æthereas præclarum est scandere sedes,
 Et tandem numerum magnorum augere Deorum.
 Sic bene habet; tua cana fides, tuaque inclita virtus
 Me juvat, & sanctis mens sancta exercita factis.
 Hoc piget; ipse insons, atque omnis criminis expers,
 Hei mihi, te nimium exemplis crudelibus urges.
 Tune adeo pius erga omnes, in te impius unum?
 Quid male mulctatum tergo, quid livida cervix
 Commeruere? quid in Superos committere tantum
 Hæc potuere genæ? flagris fletuque, rigentes
 Quid latera hæc Cilicum crudeliter obsita fetis,
 Et spinis implexa? quid enthea pectora tantum
 Admisere nefas? quid mens cœlestibus hausta
 Ignibus? atque olim cœli pars magna futura?
 Nunc quoque nil spirans nisi cœlum in carcere tetro.
 Ausa quid est? tantis quæ digna piacula pœnis?
 Quam lacrimis, & sollicitis singultibus usque
 Nocte die crucias, en vix cutis arida membris
 Nititur, attritaque hærent compagine costæ:
 Nec jam ille es, gelidum qui quondam natus ad Istrum
 Arva Palæstino petiisti torrida cancro.
 Illius tenuis nunc vix agnoscitur umbra.
 Cur tantum licuit de te tibi? non ferus hostis
 Hæc ausit; non monstra istis errantia silvis.
 Tun' monstris, sævoque in te crudelior hoste?
 Parce, pater, tibi parce pater: nos verbera, nos hæc
 Flagra decent, quos mille modis rapit impetus amens,
 Dum cœlum toties, Superosque laceffimus ultro,
 Hinc vocat ambitio, trahit hinc vesana libido:
 Hinc movet ira suos stimulos, timor inde coërcet:
 Hinc premit, illa animo semper rediviva voluptas.
 Nos ergo exultantem, atque in diversa trahentem
 Castigemus equum; ut spatii inclusus iniquis,
 Et mores ferat, & leges patiat heriles.
 Sed quoniam sine præsidio, sine numine Divum,
 Nitimur incassum, vis & humana fatiscit;

Heus age, & infandos animo miserate labores,
 Huc ades ô pater, & propius res adspice nostras:
 Atque tuæ nobis plagæ, tua verbera profint.

Hæc ego, cum, Bernarde, tuum admirabile munus
 Adspicerem mecum meditabar, & omnia circum
 Lustrabam exili calyci nucis addita; quamvis
 Nec labor exilis, tenuis nec gloria, quondam
 Sic Callicratidæ Graii, & Myrmecidis artem
 Mirati, & magnum vitreâ sub imagine Mundum.

De vini origine.

Terrigenæ victi, victor Saturnius, actis
 Undique Phlegræis molibus horror erat.
 Mœsta parens Tellus in vites ossa redegit
 Cæforum, & vinum est qui modo sanguis erat.
 Ah ne quis mala vina bibat: de sanguine nata
 Qui biberit, cædes, exitiumque bibet.

Hymnus in Sanitatem.

O qua nec altera vetustior est Cœlitum,
 O una cunctis expetita Sanitas;
 Quodcumque reliquum est vitæ tecum utinam
 Agam, & una omnium contubernalis sis mihi:
 Quicumque enim fortunis fruitur, aut liberis,
 Aut est aliter obnoxius Volupix;
 Favente te unâ, cuncta habet faventia;
 Adstant & illum Charites: etsi media hyems
 Rigeat, tamen ver illi flosculos parit.
 Absente te, sunt cuncta dura & aspera,
 Nec grata prorsus cetera est felicitas;
 Quin esse plane desinit felicitas.

Jano Patri votum.

Jane pater, radiis aperi felicibus annum,
 Atque jocos plenos delitiisque dies.

Pauca precor paucis; sed sint magna votis:
 Sis bonus Hippolyto: sit bonus ille mihi.
 Tu facilis mea vota Deum rogo perfer ad aures,
 Atque meas facito pondus habere preces.
 Sic divina tuo accedant fastigia templo;
 Deneget amplexus nec tibi Carna suos.

Super Antonii Constabilis elogio,

Ingrata mens, ac degener,
 Nulla expiari victima,
 Nullis precatibus potest;
 Meritisque nullis tangitur,
 Quin semper obstinatus
 Se promerentes adpetat
 Infensiore aculeo.
 Hanc hanc sodales eminus
 Eliminare ab ædibus,
 Exterminare a pectore,
 Nos diligenter convenit:
 Numenque Amoris mutui
 Non desinamus poscere;
 Ut nostra vota vinciat
 Uno & perenni fœdere.
 Nam multa multos legimus
 Exempla morum tradere.
 Hic ferre vitam cœlibem,
 Hic vulgum inanem spernere,
 Hic abdicare gloriam,
 Levesque curas admonet:
 At illud esse clarius,
 Multoque luculentius
 Dictum videtur omnibus,
 Quod dixit ille Antonius,
 Fautor bonorum civium,
 Defensor unus patriæ,
 Tribunus ille maximus,
 Auroque equestri splendidus;

Cui ni genus nomen daret,
 Nomen daret constantia;
 Qui longe avorum gloriam
 Virtute prævenit suâ.
 Rogatus ille publice,
 Quo more summum principem,
 Quo pharmaco omnem patriam
 Ad se se amandum adlexerit:
 Respondit alto ex pectore:
 Me diligentes dilige.

Ad Hippolytum Estensem, Cardinalem.

Sane opus hoc fuerat parvum, nunc maxime Princeps,
 Ingens auspiciis incipit esse tuis.
 Sic sacra mox fiunt, Superis quæcumque dicamus;
 Numinis, & ratio Principis una eadem est.

Ad Fusci tumulum.

Fusce; tibi Musæ Pallas tibi vel nascenti
 Attulerant largâ florea ferta manu.
 Et cum te mater luco peperisset opaco,
 Protinus illustri te statuere loco.
 Famaque, & ad cunas blandis Honor adstitit alis:
 Illa caput myrto cinxit, at illa rosâ
 Regibus hinc magnis, hinc magno gratus alumno,
 Et rerum, & regni munia solus obis.
 At nunc, Fusce, jaces, & tot bona perfluxerunt;
 Totque animi flores deperiere tui.
 Una dies nobis longum decus abstulit; & tot
 Annorum frugem colligit umbra brevis.
 At populus putat in primo te limine raptum,
 Cum vixisse diu te tua facta probent.
 Quod si metimur rerum monumenta tuarum;
 Nulla ætas potis est, nulla abolere dies.

Ad grallatorem.

Cum tibi Myrmicinus grallator ἰῶτα vocetur:
 Te, qui magnus homo es, num bene λάμβδα vocem.

Orpheus in Eurydicen nondum suam.

Plectrum age si potis es, si quid te gloria tangit,
 Flectaturque sono dura puella tuo.
 Traxisti, fateor, vicino è vertice cautes;
 Vidimus ad cantus obstupuisse feras.
 Adcurrit, ceu quæque fuit tibi proxima, quercus,
 Cum fibris quercus sponte revulsa suis.
 At tibi nil actum: Eurydice nil carmine mota est,
 Cautè, feris, quercu durior Eurydice.

Ad tumultum Quintia.

Desse, Amor, ad tumultum, solve Elegeia comas.
 Myrrha, tuos crines pone, Hyacinthe tuos.
 Quintia obiit; sed non Quintia sola obiit:
 Rifus obiit, obiit Gratia, Lusus obiit.
 Quintia obiit, sed cum Quintiâ & ipse obii.
 Nec mea nunc anima in pectore, sed tumulto est.
 Hei mihi, non posthac decipietur Amor;
 Cui mater crebro Quintia visa fuit;
 Inque hujus posuit nescius arma sinu:
 Arma, inquam, quæ me surripuere mihi.
 Heu heu, triste jugum quisquis Amoris habet;
 Et prius, ac norit se periisse, perit.

Poëta Apollini.

Cura mihi Aonides, semper mihi numen Apollo,
 Nocte dieque illi barbata nostra sonant.
 Sed mihi quid fructus dulcissima barbata præbent?
 Quâ tandem, Aonides, utilitate juvant?
 Pauperies me dura premit, sævique labores;
 Atque arcere hyemem vix toga facta potest.
 Nonne fuit satius medicas excurrere ad artes?
 Nonne fuit satius civica jura sequi?
 Da rogo consilium, votorum inspector Apollo:
 Nam te dulce sequi, sed mihi egere grave est.

Apollo poëta.

Quod jugulare hominem, quod defraudare clientem
 Non datur, ingrato nimirum es carmine questus.
 Unde etenim aut famam aut incipem producere vitam,
 Aut aures mulcere hominum sine carmine posse;
 Unde tibi spes nulla vices evertere fati?
 Nec tibi pauperiem, nec favos pleetra labores
 Conciliant; sed jure tuis contraria votis
 Pallas, oliviferâ numquam redimita coronâ.

Encomium Rîsus.

Mœror abi, subeat Rîsus: mihi pectora Rîsus
 Impieat, & læto saliant præcordia rîsu.
 Rîsus enim Divum atque hominum est æterna voluptas,
 Nam si quid fidei magno præbemus Homero,
 Ἀ'σθεες & δ' ἀρηῶτο γέλως μακάρεσσι θεοῖσιν.
 Quin etiam fuerat sancitum lege Lycurgi,
 Ut Lacedæmonii post bella exhausta litarent
 Lætitiæ, atque bono facerent solennia Rîsu:
 Illius & lapide e Pario substruxerat aras,
 Hîc ubi post Mavortis opus, gens aspera bello,
 Ponebat vigiles curas, fuetosque labores;
 Cum faciem adtritam galeâ, cum pulvere fædos
 Porrigeret vultus, & frontem nube levaret,
 Ipsa comes Rîsus aderat sine casside Cypris,
 Et largos hilari fundebat pectore rîsus.
 Vos quoque Romulidæ, quondam vos inclita rerum
 Imperio soboles, genitabilis aura Favoni
 Cum primum duro concretas frigore terras
 Laxabat, vernis intexens floribus arva,
 Ardua magnarum solvistis pondera rerum
 Rîsibus; & grandes mirata est Roma cachinnos.
 Scilicet hæc populos, hæc magnum continet orbem
 Temperies, gravitas simul, & lascivia vitæ,
 Et Rîsus curis, & nexa Modestia luxu.
 Hæc quoque me procul a patriâ, adspectuque meorum
 Per

Per maria, & terras tot tempestatibus actum
 Soletur, dirique levet dispendia fati,
 Donet & optatos post longa incommoda Risus.

Tumulo Anacreontis.

At te, sancte senex, acinus sub tartara misit,
 Cycneæ clausit qui tibi vocis iter.
 Vos hederæ tumulum, tumulum vos cingite lauri,
 Hoc rosa perpetuo vernet odora loco.
 At vitis procul hinc, procul hinc odiosa faceffat,
 Quæ causfam diræ protulit uva necis.
 Creditur ipse minus vitem jam Bacchus amare,
 In vatem tantum quæ fuit aufa nefas.

De annulo expoliendo.

Tornabis annulum mihi
 Et fabre, & apte, & commode.
 Exporrigesque bractæas,
 Quincunciales aureas:
 Et sole multo torridos
 Folle excitabis fomites,
 Omnemque circuli ambitum
 Decircinabis provide.
 Circumque nec dulce imprimes
 Nomen Melissæ: nec faces
 Improvidi Cupidinis,
 Non Cypridis cestum appeto,
 Non Martis arma, & cassidem.
 Non Pallados favam Ægida,
 Nihil mihi cum amoribus,
 Nil cum Cythera sit mihi,
 Non bella sanguinem, & neces,
 Non cetera id genus mihi.
 At illud, illud appeto
 Hæc summa votorum est mihi.
 Hoc imprimi volo ambitu:
 Spem, quæ ex olympo pendeat:

Spem,


Spem, quæ invocet magnum Jovem:
 Quæque huc, & illuc pinnulis
 Me pervagetur aureis.
 In arduum evehens polum,
 Qua freta mens ad sidera
 Ignobile exerat caput.
 Hæc signa, & hæc emblemata
 Tornabis annulo mihi:
 Quæ impressa voto sunt prius,
 Atque intimis præcordiis.

Archimedis Epitaphium.

Sphæra, & Cylindrus Archimeden indicant,
 Illum Archimeden Syracusis editum
 Terras jacentes mente, & alta sidera
 Lustrasse quondam dum superstes viveret
 Nunc illa late pervagari mortuum.

De Pistofilo.

Adeste o Charites, adeste Musæ,
 Omnes deliciæ explicare frontem,
 Molles undique personent chachinni:
 Larga promite pocula, Euhjumque
 Rogate, ut pede libero frequentet
 Hæc convivia, quæ bene auspicato
 Jocis, lætitiæque comparamus
 Fæstis vocibus obstrepamus omnes,
 Venit Pistophilus meus, rediit
 Meus Pistophilus; patronus ille
 Musarum decus, atque spes bonorum
 Certe hoc incolumi putabo numquam
 Casu res hominum regi, vel auri
 Omnes reliquias perisse sæcli.



Ad Herculem Stroziam.

Alcida, patriæ, atque litterarum
 Salus, ac decus omnium leporum,
 Commendat tibi Cælius colonum
 Egenum, miserumque, squallidumque
 Qui sævi boreæ calumniator
 Infortunia ruris obsoleti
 Numquam desinit imputare cœlo,
 Qualem tu poteris prope intueri
 Fortunæ effigiem suæ offerentem,
 Hunc pressum quoque fraude publicani,
 Ni tu suppetias feras præcanti;
 Hunc quum videris, ipse dejerabis
 Nil æque miserum, atque inauspicatum.

Ad Marcum Antonium Antimachum.

Sunt tibi vina, quibus nec jugera Massica certent,
 Nec Methymneo palmite dives ager.
 Sunt tibi pleetra, quibus deducas montibus ornos:
 Et rapidæ possis sistere flumen aquæ.
 Vina tibi Liber, tibi promit carmina Phœbus:
 Suppeditatque suas alter, & alter opes.
 Felicem Antimachum, cui dulcia carmina viris,
 Dulcia carminibus jungere vina licet.

Cubiti Nili.

Ille ego sum Nilus, nostris Ægyptia tellus
 Vel sexageno fœnore dives aquis,
 Sedenos alimus natos, unum insuper adde
 Tarda seges, unum deme, timenda fames.

Ad Seraphinum Jacobellum.

Quem tibi præbuerit prolem Lucina recentem,
 Et generi addiderit nunc nova pensa tuo,

Me sacrum ad fontem iusti producere natum,
 Crimina qua pura prima luuntur aqua.
 Me tibi fons notum fecit Permessius olim,
 Unde tibi suave est ebibere, unde mihi.
 Hic vero sacer æternis fons præditus undis
 Æterni nobis fœdus amoris erit.

Joannis Manardi Epit.

Qua patet Oceanus, qua terras plurimus ambit,
 Cognitum erat nomen, docte Manarde, tuum.
 Inque animis hominum monumenta æterna locaras,
 Qualia non poterit longa abolere dies.
 Nunc demum posito terrarum pondere, virtus,
 Gloriaque in meritam te revehit patriam.

JULII CAMILLI

FOROJULIENSIS.



Ad Petrum Bembum.

Bembe decus Venetum, cui circum ruscida culta
 Aonidum arse est, ex quâ æternum ducis honorem,
 Quid quæso hoc est? quid? multos ego multa per annos
 Congessi ex scriptis veterum; multa otia rupi
 Mentibus, ut juvenum per me labor omnis abesset
 (Si possem, atque ausis divina his numina adestent)
 In rebus, verbis, arte, artibus, articulisque
 At genus est hominum, vulgo quod sustulit ante
 Assentum nobis, & dicta admovit acerba,
 Quam lustravit opus sensu, quo sæpe tenax mens
 Cum gestum ratione videt quid, cum ordine gestum,
 Consentire solet: quoniam dat vera fidem res.
 Fac elementa (quibus paucis variata figuris

In.

Innumeris legimus quam multa volumina chartis)
 Ignorare homines, librosque extare per orbem,
 Atque ex ignaris tandem unum existere, qui se
 Spondeat hæc parvum, quæ non finita videntur,
 Acturum in numerum ; quis, Bembe, huic crederet uni?
 Inque notas unquam quis scripta putaret easdem
 Recidere assiduè ? at sunt invidiosa reperta .
 Te cultrix nemorum testor, te pinniger Hermes,
 Te Venus, atque uno qui cernis lumine cuncta,
 Te belli, te cœli rex, te falcis aduncæ,
 In quorum septem hæc moles tam dædala mundi
 Numine tota est, atque simul mea machina tota est :
 Vos certâ mundi versatis mœnia lege,
 Vos certa nostri regitis loca picta theatri .
 Nam si quod sub, supraque est, circumque videmus,
 Quidquid in amplexu est vestro, natura creatrix
 Perfecit, non est naturæ a lege remotum,
 Me fines rebus, verbis, artique parare :
 Hæc quoniam quæcumque locum tria vincla tenebunt,
 Divitiæ casti sermonis, materies, ars .
 Verba etenim ipsas res signant, quas vestra potestas
 Continet, extra quas aliis sunt avia claustra .
 Et quamvis primâ suscepti mole laboris
 Et res, & verba, & minima horum, & maxima quæque
 In promptu poterunt studiosis omnibus esse :
 Delectus tamen horum obscurus, iudiciumque
 In tenebris, nisi lux (quæ semper in arte magistrâ,
 Et media est inter res, & rerum inter amictus)
 Scriptorum mentes cæcis arceret ab umbris .
 Quin etiam ars alia est illi, qui verba solutis
 Contextit numeris populo, aut spectante senatu,
 Infanove foro, vel nunc tu qualia, Bembe,
 Æternæ mandas famæ, sæclisque futuris,
 Inclita describens Venetum tot gesta tuorum :
 Atque illi, qui plena Deo, sacroque furore
 Ad raucum fontis murmur, laticisque perennis
 Aut cinctus Paphio, aut vietrici tempora ramo
 Serpentine hederâ, circum ludentibus auris

Inter odoratos flores canit, inter & umbras,
 Cui pulsi resonant luci, amnesque sonori:
 Quorum quis major, tu qui æmula dignaque Phœbo,
 Bembe, facis, melius poteris quandoque referre.
 Hoc ego: res numquam verborum luce niteret,
 Luminis in puras ni ars certa educeret oras,
 Materiem quæ alte mentis pernicipibus alis
 Attollit secum. Sapiens, qui firma reliquit
 Prima solo vestigia, deinde potitus apertâ
 Planicie, socios jam cursu præterit omnes:
 Mox animo exultans Divùm sublimia tentat.
 Atque Plato Superum qui oculos in numine fixus,
 Hisque inhians, divinam ingenti pectore curam
 Concipit, ad terrasque docens descendit ab alto.
 Atque aliter sacrum fulvi os auri, aurea lingua,
 Sacrorumque alii proceres: quorum (ô ego possem!
 O lethi incertos casus mea vinceret ætas!)
 Cuncta simul tandem digesta in sede paterent
 Dicta suâ, fuerant quæ jam dispersa per omnes.
 Sic eadem sedes præberet cuncta legenti,
 Dissidium tandem sic linguæ, & cordis abesset.
 Sed modo me moveant, quæ ultro Rex maximus olim
 Munera promisit tantis dignissima cœptis,
 Forte ego multorum auxilio, duroque labore
 Præripiam morti immortales primus honores.
 Hoc volui scires, dum res abitumque pararem,
 Distentus, totiesque Italis revocatus ab oris:
 Ne de me incertus rumor, variusque feratur
 Amplius, hæc scriptis committo: cetera coram.

Damon Ecloga.

Damon crudelis, Damon, quem pectore toto
 Nequicquam misera excepi, patriamque perosa
 Ut tibi serva forem, vernantia Lemnis arva,
 Adriacas Nymphas, & Daphnin dura reliqui.
 Ergo ego Nympharum non ultima, spreta revertar?
 Ergo ego quæ toties Musis immista Latinis,

Lumi-

Luminibus Faunos cœpi, Phœbumque canendo,
 Nunc patrios saltus Musis male grata Latinis
 Luminibus cantuque simul contempta revisam?
 Mene fugis Damon? Damon mea maxima cura,
 Cura Deum, pastorque hominum, cui Celtica rura,
 Rura immensa, immensis parent pascua campis.
 Quam fugis ah! Nympham, Damon, cui lilia cordi
 Sunt, tibi quæ cœlo misit Venus aurea quondam:
 Aurea ne spernas contextis lilia virgis.
 Possum ego, cum varios tibi ducunt prata colores,
 Et cum fluminibus glacies retinacula tendit,
 Arbuteis violas halantes ferre canistris.
 Ni refugis, possum vitæ immortalis honorem
 Ambrosium, & longum mortis demitura soporem
 Mistâ papaveribus: Damon, mea mystica nescis.
 Sunt mihi cœlestes haustus, arcana Deorum,
 Quæ tibi, crudelis Damon, tibi debita servo.
 Te tamen abducit venatum Delia semper,
 Hei mihi te semper venandi cura fatigat.
 Me miseram, in silvis sunt multa pericula, multæ
 Intentæ mortis facies, multa ora ferarum
 Plena minis, & plena fame, vel cæde cruentâ.
 Hîc spumofus aper, qui se se in prælia semper
 Suscitât: hujus tu spoliolorum incensus amore
 Ante alios audes semper crudescere pugna.
 Nulla fides telis; nam sæpe immanior ursa
 Dentibus exertis crepitât: non ursa pericli,
 Telorumque memor totam se in vulnera jactât.
 Ah ne te incautum lædat, ne se offerat ultro,
 Ah tua ne excipiat neu frangat cautior arma.
 Damon crudelis. Damon, quem pectore toto
 Nequicquam misera excepi; patriamque perosa
 Ut tibi serua forem, vernantia Leminis arva,
 Adriacas nymphas, & Daphnin dura reliqui.

Theocrenus ad potentissimum Regem Franciscum.

Jam primos Aurora ortus patefecerat orbi,
 Sidera sed nondum roseo præstrinxerat ore,

Quæ

Quæ pulchre tremula in divino fonte natabant,
 Ludebantque simul florum simulacra per undas,
 Flores vernantis simulacra imitantia ripæ:
 Cum ultra pastoris vires accensus Jolas
 Numine Picridum muſcoſo e margine luſit.
 Sit precor hæc ſemper ſpecies tibi: ſit tua, quæ nunc,
 Lympha repercuffis, fons o divine, figuris
 Diſtincta ambabus, curratque argenteus humor,
 Et lætum tibi cœlum ſit, fulgentiaque aſtra
 Immineant, cum pura redit nox, cum alma reviſit
 Te lux, et vario tellus decorata nitore
 Inducat ſemper criſtallo dulce liquenti
 Mille tui ornatus thalami, altera ſidera mundi,
 * Quæ tu etiam reſecta fœtus ſplendentior illis.
 At Deus ille tuus, qui te imo e gurgite fundit;
 Nympharum dum * ſub noctem lumina ſtellis,
 Clara miniſtrabunt, dumque addent ora colores
 Floribus accellu Zephyri creſcentibus almo;
 Lumina ſtellarum in ſe, ut florum lumina ſervet.
 Nam quos excelliſ referunt huc ignibus ipſi,
 Et quot in terris poſſunt acquirere honores,
 Semidei, Deus ille tuus jam continet unus:
 Illos, ut dicas nutantis lampadas orbis,
 Hos ut purpurei gemmantia lumina veris;
 Ecce meam faciem, quæ in te nunc picta renidet.
 Inter * ... quaſque faces, & florea dona
 Agnoſco hanc, agnoſco luce oriente parumper.
 O utinam facies hæc in me chara pererret,
 Chara diu, et Deus hic tuus, & meus augeat hac ſe:
 O utinam propter placidum mea fiſtula murmur
 Septeniſ numeroſa modis fonet arte magiſtra:
 Tuque tuo impellens animo, divine, fuſurro
 Fons dociliſ, calami præſtes jam plenius auras:
 Sed jam ſol cinctum radiis caput extulit alto,
 Cuncta Theocrene amplectens ardentibus aliſ.
 Nec tamen ornatus pepulit tibi lumine formas,
 Sed jubare exornat melius, & crinibus aureis,
 Quas ſemper retines liquidis puriſſimus undis,

Orbe nitente licet violas, atque astra fugavit,
 Marginis igniferique poli ornamenta minora.
 Quare age temperie calamis nunc murmure blando
 Adde, Theocrene, afflatis, ego carmina jungam.

O, qui flammarum lustras splendente corona
 Omnia, lustrabisque diu atque obstantia claris
 Nubila depelles radiis, quem versibus ales
 Excubitor multo denunciat ante canoris:

Phœbe iterum in terris pastor, cui Gallica cuncta
 Pascua submitunt florentia lilia passim:

Phœbe, iterum in terris vates, & magne Poëta:

Salve o pastorum, o vatium flos unice, salve.

Sunt fateor miranda tuis jam munera templis

Votis pollicitus, nostræ libamina mentis:

Sed precor extracti causas nunc temporis audi.

Ut magis concepisti te magnum pectore Phœbum,

Tu magis conceptus jussisti p. etora in amplum

Cedere majores, semper dignosque putare,

Qui tandem in speciem præclari abiire Theatri:

Sit licet arbuteum lento qui ex vimine textum:

Quid facerem? qua mente gero? tua grandis imago,

Quæ in me sola potest, semper divina jubebat

Moliri ultra hominis sortem: sed forsitan ipse,

Qui me extra es, longe damnabas tempora curæ,

Cunctantemque diu, ut semper majora parantem.

Hic rerum arcanis, numeroque oppressus Jolas,

Obticuit, vallesque simul tacuere quietæ.





JO: FRANCISCI CAMOENI

PERUSINI.



Tumulus Ibonis Copuli I. C.

Nunc orbi, & viduæ, miseri nunc flete clientes:
 En jacet hic vester jure peritus Ibo.
 Post decus emeritæ, post tot benefacta senectæ,
 Impia sanguinæ præmia mortis habet.
 Oceanum frustra fugimus, Martemque cruentum,
 Si rapit imbelles mors violenta togas.

Paulo Chirurgo.

Alcinoi gazis sit opus, tua solvere, Paulte,
 Munere queis possem tot benefacta pari.
 Me tenuem fortuna creat, munuscula sumas
 Qualiacumque igitur, mens ea magna facit.

Amantis, & Mortis dialogus.

O Mors, Mors! quid vis? te quærito, cominus adsum
 Quid vis? quid? meus ut desinat esse dolor.
 Non possum. hei mihi, tu quoque non potes? haud queo
 Cur? quia visceribus nil tibi cordis inest (jam nunc.
 Cordis inest nihil? ergo ubi abest? tu noveris. ah ah,
 Jam scio; raptim illud nostra puella tulit.
 Sed quid agam? facias tibi restituatur ademptum:
 Cassus enim vitâ non valet ille mori.

Ad Lectorem.

Jam mea, ni fallor, sterilis vix concipit uxor:

Forſitan & rarâ poſteritate fruar.

Finge tamen centum poſt fata relinquere natos:

Hei mihi, quot Fabios abſtulit una dies.

Sola poëtarum ſacrata volumina vivunt,

Non freta, non ignes, non fera bella timent.

Hos igitur geminos, vice prolis, amice, libellos,

Perpetui hæredes nominis inſtituo.

Atque utinam, n ſtri non ſit ſpes irrita voti!

Sed cur deſperem? deteriora vigent.

Ad Callidamantem.

Lethiferam fugitas dum peſtem, peſte teneris:

Conſulis hinc comitem ſaucius unanimem.

Si ſapis, heu redeas nam nulla hac peſte ſecundâ

Sævior: heu potius peſte priore peri.

Epitaphium Julii formoſiſſ.

Hofpes liſte gradum; pios ſalutans

Manes: clauditur hic Julius ille,

Cui natale ſolum fuit Cremona;

Quo nil pulchrius ulla vidit ætas:

Quem vix bis duo luſtra tranſigentem

Crudelis miſerum manus perimit:

Una ſed Charites, Decus, Pudorem.

Epitaphium Bandere, canis.

Venatrix fueram, peperit Junone maligna,

Tam cito marmoreo condita ſarcophago.

Miraris tumulum? ſed enim Bandera, viator,

Icarii meritis occulit aſtra canis.

In picturam.

Viva ſalutiferæ dum virginis ora viator

Cernis: Apellæi ſperne laboris opus.

116 JO: FRANC. CAMOENI.
Ederet hæc rutilus spirantis signa labellis.
Sed prius artificem tollere ad astra jubet.

Mittit copam depictam.

Cor mihi misisti, venerabile pignus amoris:
Reddere jam meditor vas, sed inane, tibi.
Par sibi poscebat munus tua copa remitti?
Mittere sed nequeo quod tibi jam dedimus.

Turdos mittit.

Turdos hos tibi mittimus; colonus
Quos noctu calamis catus necavit:
Parva hæc, sed tamen est recens, corona.

ANTONII CAMPANI REGIENSIS.



Ad Carmilianam.

Quæ tibi nunc scribo magno compulsus amore,
Accipias animo, Carmiliana, bono.
Forma quidem fluxa est, rapidi seu fluminis unda,
Quam gelida hibernâ de nive fecit aqua.
Verus Amor, sincera fides, non fictus amicus,
Per nullas fiunt languidiora moras.
Quam facile est precibus cari succumbere amantis?
Pro re tam parvâ magna parare potes.
Qui, nisi sim ingratus, ni perfidus ipse futurus;
Perpetuo fiam, Carmiliana, tuus.

Ad Dianam.

Peliacus primum mirata est Troja carinas,
Æmonias spectans per freta vasta manus:

Undique discurrunt, Sigæaque littora complent,
 It Priamusque puer, Laomedonque senex;
 Inde ali; atque novas mirantur Jasonis artes,
 Æquoreumque putant littore adesse Deum.
 Cum diri sævos Martis furor ivit in enses,
 Præbuerat nostris non leve numen avis.
 Primus opes alius fulvo cum vidit in auro,
 Quam cupidas censes hunc habuisse manus?
 Et nova delectant animos; capiuntque, tenentque:
 Inde etiam factos creditur esse Deos.
 Juppiter unus erat latis Cydonius oris;
 Et Venus in Paphiis una reperta jugis:
 Mars unus Geticis, Liber pater unus in Indis;
 Ingenio, formâ non habuere pares.
 Hinc rudis, & facilis mirari cuncta vetustas,
 Quos raros vidit, credidit esse Deos.
 Ergo jam rarâ facie, vultuque, Diana,
 Expectes nostrâ thura Sabæa manu.
 Id tibi non desit, proprium indulgere Deorum est;
 Si capies nostras, es Dea magna, preces.

Ad eandem.

Dic formosa, precor, causamque ostende Diana,
 Cur sine te festi cernimus urbe nihil?
 Sive canant sacrum dulces Hymenæa puellæ,
 Nuptaque purpureo compta vehatur equo:
 Annua seu fiant lautis convivia mensis;
 Et canat adjunctâ blanda puella lyrâ:
 Bellica seu celebrent duri certamina Martis,
 Hastaque pulvereo concidat iccta solo.
 Sive quod ad festosque dies, & publica vota,
 Sive quod ad sanctos pertineatque Deos:
 Semper ades; nec sponte quidem, sed prima vocaris;
 Adventum frigent quælibet ante tuum.
 Nec sine te pompas audent celebrare puellæ,
 Nec sine te castos nupta subire toros:
 Bellica nec duri fiunt certamina Martis,
 Ni sedeas alto conspicienda foro.

Denique tu ludosque facis sacrosque Hymenæos,
 Tu sacra, tu magni ferrea sacra Dei.
 Turba frequens tequitur: numquam incomitata videris,
 Ut sequitur magnos longa caterva Duces.
 Quid? cum corrumpat tristissimus op'ima livor,
 Turbaque, mortales, invidiosa sumus:
 Nemo tuam invideat nec vir. nec femina formam,
 Gaudeat aspectu femina, virque tuo?
 Infima livor edax, pariterque suprema relinquens,
 In medio tantum luridus orbe volat.

Eidem.

Cur quoties vultus spectas, blandissima, nostros,
 Illico tu a nobis carmina mille petis?
 Parce precor, non sunt nobis tua lumina tanti,
 Ut cogam Aonias, in tua vota, Deas,
 Pro tenui mercede labor subeundus amanti
 Parvus: habent census grandia facta suos.
 Retia fluminibus latis spatiosa parantur,
 Curvus at exiguâ vix latet hamus aquâ
 Simpliciter poteram magnas exponere laudes,
 Expressere & titulos per duo verba tuos:
 Exuperas omnes, dixisse, Diana: tibi que
 Femina par nulla est, par tibi nulla Dea est
 Cur digitis igitur metire volumina: nec te
 Assiduusque labor, fessaque cura manet?

De Suriana.

Qualis ab Aurora surgens crinitus Apollo
 Purpureis orbem lustrat, & ambit equis:
 Talis in adventu nostros Suriana penates
 Sidereo complet lumine, fertque diem.
 Illa potest vultu rigidos placare leones,
 Tigridas aspectu, flectere voce Deas.
 Nec cecinit melius, quem curvus in æquore Delphin
 Non formidatis per mare vexit aquis.

Ad Surianam.

Equis erit, Suriana, modus, finisque canendi?
 Si pulchra ad laudes efficiare meas,
 Quoque magis canimus, magis hoc videare canenda;
 Perpetuum nobis exorietur opus.
 Parce tuos niveâ dissolvere fronte capillos,
 Sat mihi compositas est cecinisse comas.
 Parce & inaurato crinem succogere nodo,
 Hæc mihi! quam multis hac quoque parte places.
 Cur niveo pendent pretiosa monilia collo;
 Et variâ toties compositam arte caput?
 Candida per medios humeros, mediosque lacertos
 Fascia quam tractu conveniente cadit?
 Seu sis in tunicâ, tunicâ formosa videris;
 Pallia seu sumas, pallia sumpta placent.
 Purpureâ formosa togâ, formosaque in auro:
 Te nigra, te flavo murice tincta decent.
 Aurea, Tithoni conjux: argentea, Phœbi:
 Alba, soror magni facta videre Jovis.
 Deposita quoties intras Floralia veste,
 Accipere Idæo Judice poma potes.
 Ergo siste novi speciem variare decoris,
 Et formæ dotes incumulare tuæ:
 Sive placent nigræ, tincto seu murice vestes,
 Seu nodo, aut fusâ te juvat ire comâ:
 Elige qua possis oculos retinere magistros,
 Sitque tibi fatis hoc compositam esse semel.
 Obruimur: nostros vincunt præconia versus,
 Una fatis facie qualibet esse potes.
 Adde etiam innumeras artesque, dotesque canendas,
 In tantis minimi est forma putanda bonis.
 Non cecinit melius, nigri qui pectora Ditis
 Flexit Apollinæ clarus in arte lyre.
 Nec quem suppositus spatiosa per æquora piscis
 In patrium vexit, deposuitque solum.
 Mœnia pugnacis mirari desine Trojæ,
 Mœnia Phœbæ structa canora lyre:

Et quæ creverunt directis condita faxis,
 Hæc quoque non hominum mœnia facta manu.
 Scilicet hæc poterit Marpesia saxa movere,
 Atque adamantæam flectere duritiem.

Ad seipsum.

Quid faciam? maneamne domi, reditumque puellæ
 Expectem? an lento sublequar ipse gradu?
 Hoc placet: & longas (nam sic Amor improbus urget)
 Sole sub ardenti carpere pergo vias.
 Sæpe meum volui, quo nil vicinius agrum,
 Inque suburbanum sic pedes ire meum.
 Lassa fatigatis tumuerunt crura lacertis,
 Pes quoque tam parvum ferre negabat iter.
 Nunc longum patimur ventoso pulvere callem,
 Quoque magis ferimur, hoc magis ire juvat.
 Non iter, atque ardens medio Sol aëre terret,
 Alta nec incessus terret arena meos.
 Ne noceas charæ, Pæan intonsæ, Puellæ,
 Sic radiis noceant nubila nulla tuis.
 Sic Pythias semper celebrent mea carmina laudes,
 Et sic intonsis aspiciare comis.
 Sunt etiam qui te visâ per rura Cyrene,
 Atque aliis multis incaluisse ferunt:
 Id mihi nunc profit; neque enim potes ipse negare,
 Pavisse indomitas lata per arva boves.
 Acrius expertis aliena incommoda tangunt,
 Et miseris credit, qui fuit ipse miser.

Ad Braccium.

Bracci, quem niveæ pares puellæ.
 Ceperunt laquei, tenentque captum;
 Ambos una trahit manus catena,
 Formosæque fumus rapina dextræ,
 Armis cum placeas, at ipse versu.
 Auro terga micant tibi, mihi atra
 Squalet sordidulo lacerna filo;

Et vultu capior tamen Dianæ :
 O quantum est animi tuo Poëtæ !
 Tu claros titulis refers parentes ;
 Obscurum modicæ genus Canellæ
 Nobis exiguis dedere tectis.
 Omni tu statuis loco trophæa.
 Et toto celebres in orbe ludos.
 Fumofus vacuâ sub æde vates
 Vicinum metuo tremens Decembrem,
 Nec raucoque foro, Deûmque templis
 Campanum gelidæ vident pruinæ.
 Clari militiæ tuæ triumphî,
 Tyrrenamque plagam, sacramque Romam
 Complent, dum tetricæ faves Dianæ :
 O duros animos, ferumque pectus !
 Quam tu nec precibus moves, nec armis,
 Sed vincunt teneræ truces Camœnæ,
 Sint illæ rigidis pares Sabinis,
 Thermodontiacas fecentque mammas,
 Laudari cupiunt tamen puellæ.

Ad Venerem.

Mollis ades, Cytherea, novos dessemus amores :
 Et ferimur tepidis in tua regna Notis.
 Turpiter ad palum mediâ veteranus arenâ
 Ludit ; habet metas stulta Juventa suas.
 Nos tamen inviti Paphios urgemur ad ignes,
 Fertur ut in sanctas hostia vinctâ dapes :
 Liber eram, nulloque olim vexabar amore,
 Et nil, quod nollem, ferre coactus eram.
 Occulte subique jugum ; collumque tetendi.
 Ah demens tacitâ commodus arte capi !
 Sic tauri blandaque manu, laqueoque latentes
 Indomiti primum sic capiuntur equi.
 Cur ego vix notam potui laudare puellam ?
 Et furtiva meo subdere ligna rogo ?
 Cur precibus flector blandis ? alienaque flamma
 Dum mihi cantata est, incipit esse mea ?

Ipse mihi feci, quem nunc male profero morbum,
 Quo mox infelix deperiturus eram.
 Captus agor, rapido tenuis ceu turbine pulvis,
 Et nullo possum stare mihi arbitrio.
 Dulcis libertas, carique valete propinqui;
 Hæc dare nunc vobis ultima verba queo.
 Res, amor, ingenium, faciles in carmine nervi,
 A dominâ vobis cuncta petenda meâ.
 O nostræ subsint utinam præfagia linguæ!
 Quamque meam dixi, sit precor illa mea!

In Amorem.

O Amor, ô nimium celeres in corde sagittæ,
 Et metæ toties in mea damna faces.
 Parcite Pierio vati, nova præda petenda est,
 Non idem semper depopulandus ager.
 Arsimus, heu miseri plusquam fatis, armaque victi
 Jecimus, & nullas esse fatemur opes.
 Cur iterum expositi per vulnera mille petamur?
 An videor nimium condidicisse pati?
 Deficiam, fessique cadunt a pondere tauri;
 Perpetuum possunt nec juga ferre diem.

Ad Pium Secundum P. M. De Blondo.

Romam instauratam cœpit conscribere Blondus:
 Multa, illum instaurans, contulit Eugenius.
 Italiam mox illustrans majoribus ausis,
 Lustravit totam mox vagus Italiam.
 Ecce triumphantem cecinit, Pie maxime, Romam:
 Ergo tuâ fas est ipse triumphet ope.

Ad Blondum.


Blonde, Pio vivo moreris: nil morte dolendum est:
 Tu famæ, domui consulit ille tuæ.
 Astra tibi, natisque patris concessit honores.
 Quâ tu aliâ optasses conditione mori?

Ejus.

Ejusdem Epitaphium.

Hic situs est Blondus, Priami cui forma; Catonis
 Vita; Titi Livii fama, decusque fuit.
 Conjuncta est sancto, conjux pia, Paula marito,
 Feminei sexus gloria, ut ille virum.

CANTALICII

*Ad Laurentium Medicem.*

LUsumus hoc quidquid viridi tibi mittimus ævo,
 LO cui Pierii supplicat ara chori.
 Mittimus, at solita tu fuscipe fronte libellum,
 Dum vacat. & nitida perlege mente precor.
 Facturum certe te nostra rogata putabo,
 Omnia si Laurens carmina nostra leges.

Ad Libellum.

Quo ruis audacis nomen, subiture libelle,
 Quo ruis, o factis perdoliture tuis?
 Stulte fluentinis credis dare verba coronis,
 Si referes, mecum quod crocitare soles?
 Illic invenies tua qui maledicta notabit,
 Quique tuos tetrica mordeat aure jocos.
 Sunt et Aristoteles illic, rigidique Platones,
 Illic & Latius censet uterque Cato.
 Lena cucullorum fies, piperisque repente,
 Gaudia vel pueris lucida flamma dabis.
 Illud te poterit defendere forsitan unum,
 Splendida si sapiens Cosmica tecta petes.
 Est ibi Mæcenas qui te dextraque, sinuque
 Accipiet, placido pectore teque leget.

Meoniusque simul te sed sine fine probabit
 Angelus, Argolicis tempora fufus aquis.
 Nec te detrudet doctus Nicolaus ab aula,
 Qui secreta sui pectora novit heri.
 Vade, nihil timeo, fieri si munera pergis,
 Cui plusquam domino complaciturus eris.

Ad Marcum.

Aspice quid cupiam, quam me prius uncta Lyæi
 Prætereat dulcis, Marce diferte, dies.
 Non mihi cortis ave, nec terræ sit pecus ullum,
 Sed suis attracta fit faba cocta cute.
 Non mihi vervecis pectus, nec terga tenelli
 Capreoli, aut leporis, nec mihi venter apri;
 Amphora sed modicum Pharii mihi mittat aceti,
 Hoc nimium patrio cum petasone fruar.
 Nulla mihi ponat divina tomacla minister:
 Exedat has laurus ille vel ille dapes
 Tosta fit at veribus lucanica falsa; sed illa
 Aurea depresso mala sapore linant.
 Adde sed his cyathos ternos quoque, Marce, Phalerni,
 Quodve dabat patriis Setia prisca cadis.
 Hæc tibi si solum videat mea mensa, relinquam
 Altitium & pecorum Tuscia quidquid habet.

Piscium ænigma.

Dum mea testæ colo caris sociatus amicis,
 Ante morabatur turba inimica fores.
 Magna domus parvis elapsa est nostra fenestris,
 Quisque morabatur me ferus hostis habet.

Ad Theletusam.

Ludere vis nivibus mecum, Thelethusa, gelatis,
 Et jacies haud dubias in caput usque pilas.
 Desuper at gelidum perfundere parce poëtam,
 Et sapias oculo parcere lusca tuo.

Per-

Pergere si tentas, nivibus fera bella movebo,
Frontis & æquabo lumina lufca tuæ.

De Cypaffi ferva.

Jurgia crebra timens, et verbera sæva Cypaffis
Delituit, dominæ fed tamen illa domo.
Quæritur; exclamat vicinia tota; nec ufquam
Cernitur; accensus rumor in urbe volat.
Suspicio inceffit dominam ne rapta fuiffet,
Venalis pretio bucca vocata venit.
Imperat edicto prætoris præco per urbem,
Ancillam dominæ reddere fi quis habet.
Tertia mancipium cophino lux texerat alto,
Spesque male amiffæ nulla tenebat heram.
Scrinia dum referat claufum fervantia panem,
Extulit incomptum perdita ferva caput.
Non fecus extimuit, quam fi de manibus umbra
Exiffet, tumulo condita morte prius.
Tota novo cecidit pavefacta cadavere vifo,
Tota jacet medio nunc quoque laffa toro.
Jurgia fic dominæ, fic verbera sæva Cypaffis
Vindicat, exurgit non tamen illa toro.
Dum voluit dominæ vitaffe ministra procellas,
Liberior domina eft facta ministra fua.

Ad Ducem Federicum.

Cum tua finitimos fenferunt pila rebelles,
Huc ades armigeri gloria fola chori.
Hoc quia præpetibus femper dux inclite pennis
Indomiti Martis fervidus arma geris.
Excelfas habeat quamquam leo pectore vires,
Te fine quod poffit non potuiffe putat.
Hactenus hoftiles fi quando eft paffa ruinas
Non aliunde fibi Tufcia fentit opem.
Pelle igitur vanum populi, Federice, timorem,
Hoftis & ad muros pande per arva vias.
Te tua palma manet qualem Carthagine victa,
Terque rebellanti rettulit ille togis.

Aut

Aut qualem forti peperit fera Creta Merello,
 Aut qualem Odryſio Calvus ab axe tulit.
 Nec te detineat, quod ruſtica teſta ſuperbe
 Inſideant tetrico non habitanda jugo.
 Cum Bellona tuas acies furibunda per hoſtes
 Explicat, alta viris fortibus ima facis.
 Enſe Fluentinis hæc ſola repagula ſolvas
 Invia, quæ noſtri terga leonis habent.
 Hæc tibi ab Albanis certe deducta ſecunda
 Plebs erit; intrepidam mox rogo tolle moras.

De Arrunte & Bruto.

Pro patria ardentem concurrunt Brutus, & Arruns,
 Concidit adverſis alter, & alter equis.
 Ambos pro patria dices periſſe; ſed ipſe
 Neſcio ſi patriæ mortuus alter erat.

Laus meritorii.

A Tyberi in Ligures meritoria multa viator
 Comperies, ſed enim non meliora meo.
 Hic tibi multiplices fervebunt tempora vino,
 Quale dabat flammas Veſbius ante ſuas,
 Ferula ſic varium præbebunt cuncta ſaporem,
 Tingit ut innumeros noſtra culina coquos.
 Culcitra quam mollis, quam mollia lintea quæris?
 Segnis in his plumis Sardanapalus erat.

Ad Ludovicum.

Quod te præteritis domuit quartana diebus
 Triftis es, & magno damna dolore gemis.
 Sunt ubi corda viri? qualem, Ludovice, gerebas
 Cum tua pont ficis lingua peregit opus.
 Non eſt magnanimi rerum ſuccumbere damnis,
 Qualia conſtanti peſtore ferre decet.
 Ut tua vera fides populo manifeſtior eſſet,
 Ægrotum ſuperi te voluere throni.

Nam

Nam cui tam tetra truncabant fila sorores,
 Virginis alma tibi dextera misit opem.
 Te quartana juvet, te talia damna nec angant,
 Sit tua quod superis dicere cura potes.

Ad eundem.

Si te forte juvat canibus captare volucres,
 Spargere nec stipulis retia larga times.
 Cras licet ad Casulae campos, Ludovice, venire,
 Multa quibus tali tempore ruspas avis.
 Est canis, est sonipes, sunt nobis retia, fustes;
 Cetera sunt alacri fronte paranda tibi.
 Scis quibus ista modis me iudice cuncta parentur,
 Quamque solent lassis plana movere firim.
 Quod tu si videas fulgentia crastina caelo
 Sidera, quamprimum si libet ire veni.

Ad Paulum.

Paule, tui solus proles generosa parentis,
 Aurea cui merito pectore bulla nitet.
 Ex quo Castaliis tinxit mea pectora lymphis,
 Circuit Ausonias nostra Thalia plagas.
 Saepe jocos cecinit, nec quemquam cruda momo
 Per superos, sacri testor & astra poli.
 At Pandulphino stomachum commovit, amico
 Carmine, si verum nuntia fama canit.
 Nescio, sed dubito, tu suffragare poetæ,
 Ut placida nostros perlegat aure jocos.
 Sic erit æternum gemmis mihi gratior Indis,
 Et tu germano carior ipse meo.

De Siculo concutiente caput.

Tanta tibi requies sit, muscæ quanta daretur
 Si vellet Siculi pervolitare caput.

Ad Gasparem.

O quæ quam mittis parta est mihi palma tabella,
 Gaspar, inextincto non Cicerone minor.
 O quæ tam tetricis parta est mihi gloria verbis,
 Gaspar ab Alcaica non superande lyra.
 O mihi quod per te surrexit nomen in orbe
 Gaspar, Cumano verior eloquio.
 Heu quam viroso mordebar dente, priusquam
 De Latio nobis scura tabella daret.
 Pallade Gasparea quamvis armata gerebam
 Pectora, mordebat vipera dente minax.
 Delphica cum primum referata est pollice charta,
 Conticuit dipsas Tuscula, cantat olor.
 O me felicem, viridi cui contigit ævo
 Carpere gymnasii dulcia poma tui.

Ad Laurentium Medicem.

O cui magnanimi plaudunt vexilla leonis,
 Quo duce stant patriæ culmina celsa tuæ.
 Si tibi dent superi, Laurens, quæcumque mereris,
 Restabunt vacuo præmia nulla polo.
 Hactenus antiquos atavos celebrare solebat,
 Jam tua sed solum nomina fama canat.
 Haud certe immerito; nam quæ sibi tanta vetustas
 Vendicat, ut non sint facta minora tuis?
 Si patriæ Brutus vitam dedit ultor opimam,
 Non semel hanc tribuis tu sine morte tuæ.
 Rettulit invictus patriæ si signa Camillus,
 Te duce sunt semper tuta tropæa tuæ.
 Ter quoque Scipiades populum domuere rebellem,
 Quæ duo tu solus præmia laudis habes.
 Fabritium parvo celebrant monumenta potentem,
 Tu Cresum superas, Fabritiumque refers.
 Cunctando Quintus patriam servavit ab hoste,
 Te duce sunt populo nulla pericla tuo.

Si collata novis fuerit tua gloria rebus,
 Invenient nullum sæcula nostra parem.
 Sis felix igitur, nec te pia sidera terris
 Invideant, nec te cana senectæ petat.

Ad Papiensem.

Cæditur (ut nosti) nobis, Papiensis, amictus,
 Et capitur dorsi formula certa mei.
 Dum moror ut facerent me talia dona togatum,
 Munera das aliis, & mea terga notis.
 Induis, & spolias; fuimus mensura magistri,
 Ligna vestiri si quoque forma solet.

Ad Joannem.

Nomine communis patris me arcessis ad aulam,
 Hac nostri Domini qui tenet Urbe vices.
 Ut conviva tibi veniam, facunde Joannes,
 Cum primum æquorcas Phœbus adibit aquas.
 Ut lubet accingar; veniam conviva; tuos nam
 Ipse lares gemino cogor adire jugo.
 Primum est quod iussis servum parere necesse est;
 Est aliud majus, scilicet altus amor.

Ad Marcum.

Ut tecum cœnem solo me, Marce, vocasti
 Convivam; venio: nec duo: turba sumus.
 Te revocare volens ad prandia nostra, veremur
 Ne videat tenuis tot mea mensa viros.

Ad Hieronymum Ursinum.

Crevit in Alcidem veluti fera bellua Lernæ
 Vipereum reparans sæpe recisa caput:
 In tua sic video sine lege repullulat arma
 Cassia, tam magnâ sæpe repressâ manu:
 Ille sed admoto candenti in vulnera ferro,
 Immanem exstinxit strenuus igne feram.
 Sic tu, si quidquam credis, dux Urbe, poëtis,
 Vincere non pactis hanc potes; igne potes.

De Callimacho Geminianensi.

Callimachus Barbos fugiens ex urbe furores,
Barbara quæ fuerant regna, Latina facit.

Ad Duce[m] Calabriae.

Aut jam me expedias, dux inviētissime, vel me
In patriam vacuum quæso remitte meam.
In Calabros tendis, vel forsan tendis Hidruntem;
At nequeo ulterius jam tua castra sequi.
Nam tua confector dum sic tentoria; perdit
Nostra crumena sonum, nostraque mula gradum.

In Marcellum.

Nollem sub Lauru tecum, Marcelle, morari,
Cùm veniunt dextrâ fulmina missa Jovis.

In poëticam suam.

Dispereant Latiae sterilis mea castra Camœnæ;
Dispereat fallax numen, Apollo, tuum.
Jam sat arenosis commisimus hordea sulcis,
Tritaque sunt vano sat mea colla jugo.
Tota fuit stulto consumpta labore juventa,
Pasceret ut vatem vita beata senem.
Invida canities properat: nil, Phœbe, propinas,
Nil mihi das Helicon, Pegasis unda nihil.
Coccina fert humeris, & coccina quæque fatelles
Et pathicus, leno, pharmacopola, cocus.
Horumque est quidquid nunc cuditur orbe monetæ:
Nil aliud vates, quàm, Bene dixit, habet.

Ad Jovem.

Qui regis terras hominum, & Deorum
Regna; qui rerum sapienter unus
Ordines cernis, scelus atque sævo
Fulmine terres.

Juppiter, tandem pluviis precamur,
Parce, quas nostris furibundus agris

Non

Non sine immensâ jacularis irâ,
Fulguribusque.

Nos fumus qui te colimus per annos
Thure: nec desit tibi pinguis, omni
Tempore ad festum, quoties recurrit,
Victima sacris.

Parce: sic conjux taceat, sororque,
Si tibi *Ledæ* placeant *Lacenæ*,
Si vel *Europæ*, vel amica magnæ
Furta juventæ.

In Lippum.

Lippe tuos quoties oculos de mane videmus,
Et fatuum nullâ cum ratione caput:
Tres me mostriferâ confundis imagine noctes,
Et mea terribilis comprimit ossa pavor.
Parce, precor, nobis occurrere luce; verendum
Aut saltem occurrens, si pudet, abde caput.

Ad Præsulem Mutinensem.

Si memini, nuper *Mutinæ*, dignissime præsul,
Me tibi jussisti scribere, quid sit homo:
Sordidus est septem primum porcellus in annos,
In totidem tamquam semper hirundo volat.
At juvenis, pulchri pavonis nomina sumit,
Tempore quo totum se, velut ille, polit.
Mox quadraginta fit dispensator in annos:
Hinc miri exempli, consiliique dator.
Inde malis medicus cunctis medicamina præbet:
Decrepitus, cælum novit ut Astrologus.

Ad Ursum Virginium.

Urse, fatis didici jam temporis esse futuri;
Vellem præsentis temporis esse parum.
Ulterius ne me per crastina tempora differ;
Vis dare quæ dicis munera? tolle moras.

De Casello.

Naufraga cùm premeret tumidi maris unda Casellum,
 Vovit adorato munera magna Jovi.
 Sospes abit; tam vota viri valuere, precesque:
 Vota sed haud potuit solvere, pauper erat.
 Nil dedit ergo miser, nisi talia verba Tonanti:
 Amplius Oceanum si peto, merge pater.

In forum injustum.

Si cui pernotum, quid sit Patientia, non est;
 Jura Palatino tentet habere foro.

De formicâ & columbâ.

Insidiis volucres solitus deludere pastor
 Arcitenens, patriis ut spatietur agris;
 Ocia prospexit meditantem forte columbam,
 Perdere quam promptâ cogitat inde manu.
 Dumque parat tacito visam pede cædere prædam,
 Et secum raucos dum movet illa fonos.
 Proxima lethiferum miserans formica periculum,
 Aucupis invasit sedula dente pedem.
 Protinus hoc morfu læsus, quatit ille pharetram
 Deque arcu resonans tenta sagitta cadit.
 Effugit audito strepitu tremefacta per auras,
 Formicæ meritis rauca columba necem.
 Interea paucis lapsis formica diebus
 In liquidis sitiens pectora mersit aquis.
 Ecce reluctantem volucris pia conspicit undis
 Quæ modò formicæ libera vixit ope.
 Exiguum viridi ramum decerpit olivâ,
 Inque undas illam commiserata jacit.
 Quantum sancta potest pietas! vix terga moventem
 Eripuit lymphis ramulus ille feram.
 Esse pium nocuit nulli: nam gratia facti
 Stat memor; & nequeunt facta benigna mori.

Ad Laurentium Medicem.

Desiero si quando petis te obrundere versu,
 Cum dederis Laurens, quæ peto, dona mihi.
 Ergo ingratus eris dicis si vota petentis
 Cantalyce efficiam? stulte poëta tace.
 Desiero, fateor, te tunc obrundere versu,
 Incipiam laudes sed numerare tuas.

Ursus, Pontifex Theanensis.

Quod Numa, quod Curius, geminique habuere Catones,
 Antistes nostri temporis Ursus habet.

De Mataratio.

Quidquid grandiloquo loquitur Mataratius ore,
 Excipit, & tabulis mandat Apollo suis.

Ad Polydorum.

Scis quoties dixit mihi jam, Polydore, roganti;
 Cras tibi erit nostrâ de regione canis.
 Crastina præteriit decies lux illa; moranti
 Nec mihi das pigrum vel, Polydore, canem.
 Ni canis adveniat, fiam, Polydore, molossus,
 Ante tuas latrans nocte dieque fores.

Ad Daphnem.

Daphne nobilior, celebriorque,
 Omni splendidior, decentiorque
 Ligno; terribiles, Jovisque nunquam
 Fulgetras metuens coma virenti.
 Cum te quotidie novus poëta
 Decerpat, laceret; piget tui me.
 Sed dic quid satius tibi fuisset
 Ramos vatibus ut dares coronas,

An te si dederas Deo sequenti?
 Das pœnas nimium tuæ fugacis
 Plantæ, te spoliant, secantque vates.

In Mitionem potorem.

Mitio, ne lacriment, stillantia lumina tergis,
 Atque frequens ficas; at magis illa madent.
 Pocula si ficas, numquam siccabis ocellos;
 Quid quereris Boream? tu bibis, illa fluunt.

Ad Papiensem.

Infula cur nostro capiti sit nigra requiris,
 Tristia cum mortis funera nulla fleam;
 Lugendum est nobis non propter talia princeps;
 Mortua sed nuper flenda crumena mea est.

De Ruffa & marito.

Ut faceret caram se quondam Ruffa marito,
 Hæc solita est vafro dicere verba viro:
 Immaturo tibi Lachelis si fila secaret,
 Et prior ad Stygios si raperere lares.
 Pompa tuum certe sequeretur debita funus,
 Quam tribuit Bruto Murtia Roma suo.
 Insigni primum lecto tua membra locarem;
 Serica contegerent flebile multa caput.
 Ipsaque conscissis pectus laniata capillis,
 Ad tua conferre nœsta sepulchra pedes.
 Talia percipiens cognoscere facta maritus,
 Finxit se subita corpore morte mori
 Jamque jacet vere similis quem fata tulerunt;
 Conjugis an veniant funera pœta manet.
 Stridebat, flebatque domus. propiusque cadaver
 Uxor cum fatua matre sedebat anu.
 Consilium capiunt quo tegmine corpus adornent,
 Ut pia Sarcophago ponere membra solent.

Cara videt conjux pendentia recta tectis,
 Hæc quoque jam multo debilitata situ.
 Hac illæ subito circumdant veste jacentem,
 Deinde locant fracto mortua membra toro.
 Jam cito rapturus miserum vespillo cadaver
 Venerat; effertur funus; & uxor ait:
 Quo mea cura ruis cui me spes sola relinquis?
 Quo ruis, ad nostros non rediture lares?
 Retibus ossa tenens tunc hic revoluta pheretro
 Callidus uxori talia verba refert:
 Parce queri, conjux, finemque impone querelis,
 Hoc tibi jam pisces vespere, Ruffa, feram.
 Desine femineis igitur spem ponere verbis;
 Est foliis levius femina quidquid ait.

Ad Amicum.

Si mihi Pergamei Regis foret ampla facultas,
 Frigida non posset bruma nocere tibi.
 Nam tua quatrifidis onerasset testula lignis,
 Atque tuos premeret sarcina magna focos.
 Sed quia pauperior Codro mihi Musa propinat,
 Non valet ingenio dextra nitere suo.
 Parvula dona quidem sunt hæc, pater alme, fatemur;
 Sunt tamen hæc hilari parvula missa manu.
 Corda Deos, animique litant plus munere magno,
 Cum desit sanctæ victima magna precii.

Ad libellum Nearci.

I liber, & repetas tandem mihi lecte Nearcum,
 Parce tamen nimium cum revolutus eas.
 Si rogat ille, venis cur sic peraratus; habebis
 Quod possis domino dicere: cultus eram.

Ad Nearcum.

Jucundum mihi quid pigri libellum
 Accusas reditus? nec inter hostes

Captivus rapitur; nec invidorum
 Tractatur manibus; calet sed unus
 Varum per pluteos decens libellus
 Præbens omani us ocium poëtis.
 Ullas non patitur liber lituras,
 Qui catæthoma pergît ad poëtas.
 Unum sustinet anxius dolorem,
 Quem fert cum dominus jubet redire.

In Volscum.

Integra quod pueris te tradere grammata jactas,
 Quam peragat citius tertia luna dies.
 Rem facies primus, de qua sine laude Palæmon
 Mirari magno cum Cicerone queat.
 In Cœlum se Roma levet prolesque Quiritum
 Castalium solo te duce carpat iter.
 Laudibus insolitis poterunt se efferre minores,
 Quas umquam veteres non habuere patres.
 Arcadicos juvenes poteris docuisse vel una
 Luce; Sophocleæ quidquid ab ore fluit.
 Quam prætextatæ poteras prodesse juventæ,
 Cujus ad aurículas Quintilianus erat.
 Ille tribus bromis vix alpha, et beta docebat,
 Tu tribus at pueros mensibus astra doces.
 Vera ne sint dubito modo quæ spondere juventæ
 Ausus es; in longo sirmate namque jaces.
 Ast ego polliceor quæ novi, plura nec, inquis;
 Hæc citius dicto grammata, Volsce, doces.

Ad Gasparem.

Orta precor nuper nullas tibi filia curas
 Ingerat; insurgat rugula nulla genis.
 Sed fove, & immenso complectere, Gaspar, amore
 Hanc animam: generi nullaquæ damna time.
 Quippe nefas primum; post hæc non fidere rebus
 Est animi nullum fortis habentis opus.

Tertia femineum numerum tibi filia complet,
 Unicus est magna cum gravitate puer.
 Non modo qui totum testatur ab ore parentem,
 Ingenio priscos sed superabit avos.
 Nec tibi tam tenui fortuna vivitur, ut non
 Hæc queat & læte tertia nata coli.
 Atque etiam Danaï tibi si genuisse puellas
 Contingat, debes indoluisse minus.
 Vera quibus vita est, qualis tua, crede superni
 Esse solet semper dextera grata Jovis.

Ad Papiensem.

Munera, quæ dudum princeps te magne rogavi,
 Hastenus, ut nosti, turba molesta negat.
 Obiciunt eadem rursus se talia nobis,
 Officit & votis vocula nulla meis;
 Quod si fessa ratis quas das mea senserit auras,
 Littore non dubio remige sistet iter.

Ad amicum.

Das panem, vinumque mihi, si desit, & omne
 A te quod nostra vita requirit habet.
 Si desis defunt & nobis omnia, quare
 Vivere quod valeam, tu quoque vive diu.

Ad Papiensem.

Quod pallent studio quondam Papiensis, & algent
 Nunc tua purpureo tempora honore rubent.
 Estque mihi studio melius pallere juvenata,
 Quam senio tristis verbera ferre famis.

Ad Gasparem.

Ex quo musa tuo, Gaspar, mea cudit jambos
 Gymnasio, volucris quarta recurrit hyems.

Audi

Audi ridiculum; quod te sequor ipse tot annos,
 Quodque mihi non est te sine læta dies.
 Rident grammatici; mirantur rhetores omnes,
 Et captare senis me bona turba purat.
 Quid si me videant etiam canente capillo
 Ante tuas tota nocte federe fores?
 A te posse magis cum discere fata negabunt,
 Me sat erit cathedris discere posse tuis.

Ad Amicum mæstum.

Mœres; lætitiã requiris; & me
 Oras, ut salibus tuis medelam
 Dem curis; rogitas rubrumque corvum,
 Lætum & funera qui fleat parentum.

Ad Papiensem.

Hic tibi Spartanos, alius largitur & Indos
 Hic Arabum graciles mittit ab orbe canes.
 Ast ego Cantalico princeps de monte catellam
 Velocis plantæ, si modo grata, dabo.
 Capreolo exitium, leporique, & dentibus apri,
 Arpalicen cursu vincit & illa Deam.
 Gestit & Albanos lepores agitare trementes
 Extinctis patriis mira catella feris.

Ad Crispum servum.

Non opus est toties inflexo poplite, mensæ
 Crispè puer, nobis quando minister ades.
 Funde merum, & vacuis impone obsonia quadris,
 Junctaque cum flexo brachia siste genu.
 Non saturat ventrem servi reverentia; præstant
 Fercula loripedis, quam Ganymedis honos.

Ad Jo: Damianum.

Cum mea tot vatum videant epigrammata cellas,
 Ut videant superest jam, Damiane, tuam.

Non

Non factus tamen ille putes, aut præmia laudis
 Quærere; sed titulis nomina clara suis.
 Vilia nam titulis cum sint inscripta disertis,
 Nescio quid culti carminis instar habent.
 Solus habes nostris dare nomina clara Camœnis,
 Et dare quod potuit fama libellus habet.
 Tu quoque nostra legas igitur, Damiane; superbis
 Namque potes titulis me decorare tuis.

Ad Romanos.

Qui Cybelis spectas templum, Romane, Deorum
 Hinc fuit in prisco tempore culta cohors.
 Postquam Pontifices cernis, rubrumque Senatam,
 Hunc tenet & celebrat Virgo beata locum.
 Tum Cybele fatuos cunctos complexa penates
 Hic habuit Phrygio more nefanda sacrum.
 Nomine Sanctorum Christi pia mater adepto
 Nunc colit, & fatuos pellit ab urbe Deos.

Ad Medicum.

Pectus argenti tumidum procella
 Doctus unguento relevare nostrum,
 Quod mihi vere sapiens dedisti
 Tu potes unus.
 At magis morbum generosa dextra
 Leniit nostrum tua, quam medela,
 Quippe non tantæ pretium salutis
 Parca poposcit.
 Tot tibi grates meritis habemus,
 Unda quot pisces Perusina nutrit
 Quotque supremus polus astra pascit,
 Inferiorque.

Ad Laurentium Medicem.

Nuper amicorum media te servulus aura
 Oravi, ut facilis ad mea vota fores.

Recte igitur meminisse potes mea vota, precesque,
 Et quid sit toties quod mea vota petunt.
 Da rogo, si mereor; sed si mea Musa molesta est,
 Dicere jam poteris: stulte poëta, tace.

Ad Pomponium.

Quod modo pro rostris populo spectante loquelam
 Romulidum primus unde sit orta refers;
 Tantum Roma tibi jam se debere fatetur,
 Quantum Gradivo debuit illa suo.
 Noverat ut generis, sic nam sermonis aviti
 Perdiderat nomen, perdideratque caput.
 Solus restituis quidquid stolidissima laudis
 Abstulerat Latix̄e barbara turba togæ.
 Et duce gens iterum sic te Romana superbit,
 Omnibus ut populis cum dabat illa jugum.
 Quod si deficias, Pomponi; credo togatæ
 Deficiet stirpis, eloquiique pater.
 Jugiter ut retegas ætati incognita nostræ,
 Nestoris, & Priami vivere sæcla queas.

Ad Ruffum.

Te quia jam Romæ confecerat hemitriteus,
 Ire paras medicas ne morereris aquas.
 Illas, quæ patriæ circum tua mœnia lustrant,
 Quæque magis Medicis ad mala cuncta valent.
 Dumque ibi jam multis moribunde lavare diebus,
 Sospes ades patriis, Ruffe, refectus aquis.
 Reddidit unda tibi fateor tam docta salutem,
 Fusa minus sed enim non mea vota juvant.
 Ex quo tristis habet lectus tua membra, rogavi
 Et dominum Cyrrhæ, Castaliumque chorum.
 Ardet adhuc superis posito mihi tæda facello,
 Quam dedimus pro te pendet imago trabe.
 Semodium sacri thuris consumpsit acerra,
 Flamen adhuc Phœbi stat pius ante tholum

Nec

Nec solum credas hæc me soluisse ; pararam
 Altera sanguineis pinguia sacra focis.
 At quia sospes ades, servata est victima ; quare
 Illa tibi fient prandia : Ruffe veni.

Ad Paulum.

Cur sine te nostri scribantur, Paule, libelli,
 Multa quibus vatum nomina sacra legis,
 Miraris ; querulum mihi das epigramma subinde,
 Et petitur medio de tibi gemma luto.
 Vana petis ; quoniam quod scribimus omne moratur
 Thura, vel Ætnei brachia fusca viri.
 At tua si cupies largiri nomina flammis,
 Nullum erit in nostro te sine gramma libro.

Ad libellum.

Quo ruis, o cunctis quo despiciende poëtis ?
 Quo ruis a claris non referande viris ?
 In pluteo vix digne legi, lustrare coronas,
 Stulte liber, properas, & tua damna petis.
 Devenies tumidi si forte legentis ad aures,
 Aut falis, aut piscis fordida vestis eris.
 Numquid amica petis palatia Cosmica ? fas est
 Et te securo jam licet ire pede.
 Margine si jacet Laurens tibi ; parce lituras,
 Ille potest medio te possuisse rogo.

Ad Narcissum.

Adventus, Narcisse, tuos ut sensit amicus,
 Sollicitas illum terque quaterque die.
 Non secus illustris quondam ducis ampla parantur
 Atria, cum victo fervidus hoste redit.
 Ac parat ille tibi testis aulea paternis,
 Et præbere dapes nititur ambrosias.
 Ampla videbuntur cum parvula tecta subibis,
 Quod facit ex vera si bene fronte notes.

Ipse etiam Alcides non indignatus Evandri
 Maximus est tenuis tæcta subire viri.
 Ingrediare igitur; quamquam te digna negabit,
 Sunt tamen hæc grata nobilitatâ manu,

Ad Campanum.

Dum nimium jam te caruit, Campane Latinus,
 Et dum te nimium jam Federicus habet.
 Exuit insipidos duce te Germania mores,
 Imbibit & Tyberis barbarus Ister aquas.
 Perdidimus foccos, & te cedente cothurnos,
 Deposuit cultas flans elegia comas.
 Tandem Teutonico domito Campane, furore,
 Principe cum rutilo fervidus ecce redis.
 Laurea jam calvi taceatur Cæsaris; unam
 Hanc loquimur, quam tu victor & inde refers.
 Ille feros populos Romanis sceptrâ negantes
 Indociles iussit subdere colla jugo.
 Sed Vaticano cogis parere Sycambros
 Ausos de sacra pellere sede patrem.
 Te ruber o quantum gaudet redeunte senatus,
 Te juvenis o quam Roma, senexque canit.
 Omine religio gaudet; sed læta poësis,
 Quod rediit miseris vatibus una salus.

De Marco ad Tusciam.

Abstulerint Marcum postquam tibi fata disertum
 Perdideris linguæ Tuscia quidquid habes.

Ad Marcum.

Aspice nos similes quantum natura creatit,
 Et quam diversæ progenuere plagæ.
 Consimile est studium, totique per omnia mores
 Conveniunt; Pyladem nostra Minerva colit.
 Hoc quia de multis dicet quis posse referri,
 Aspice consimiles nos quoque, Marce, malis.

Nam

Nam dum te læso tenuisset janua talo,
 Et nobis gemini tum doluere pedes.
 Quattuor antiqui parium fileantur amores,
 Aut super his noster connumeretur amor.

De aquarum inundatione.

Ad delubra Deum gentes properate nefandæ,
 Et geminas humili jungite voce manus.
 Terra, fretum, Boreas, contrariaque astra minantur,
 Portenduntque feram non revocanda necem.
 Non pia diluvio servare hoc femina mundum
 Conjuge cum sancto Deucalione potest.
 Non usquam Pyrrham nec Deucaliona per orbem
 Invenies; colubras nunc fera terra parit.
 Ite piis igitur pertundite pectora palmis,
 De Styge qui cupitis eripuisse caput.

Epitaphium Beata Finæ.

Hoc in marmoreo nitens puellæ
 Corpus virgineum jacet sepulchro,
 Finem nomine quam pater vocavit,
 Finem pectore quod bonum colebat.
 Vix lustris patriam tribus videbat
 Sanctos parvula cum choros adivit.
 Gens hoc Silvia, quæ petis sacellum,
 Cœli delitias, decus, pudorem
 Uno respice quo tuum sepulchro.

Idem.

Aspice marmoreo jacet hoc tua Finæ sepulchro
 Silvia gens patriæ dulcis alumna tuæ.
 Cambius hanc genuit; terris vix terna videbat
 Lustra, fuit superis cum superaucta choris.
 Marmoris urna quidem parva est; sed clauditur illa
 Vita, decus, pietas, mos, pudor, alma fides.

Ad Laurentium Medicem.

Te duce si reparat vires depressa Poësis,
 Sique facer vatium te duce vivit honos.
 Me quoque tam tenui, Laurens, de merce levato,
 Namque Caballinas tum quoque potus aquas.
 Quid poscam fortasse rogas, dicisque daturum;
 Ut teneat dignum se mea Musa locum.

De amico egroto, & mortuo.

Pestis acerba meum quid tam diuturna Gerardum
 Conteris? ad meritos perge maligna viros.
 Nam quod flagitium juvenis, facinusve peregit
 Dignum tam sævis, tabificisque malis?
 Anne refulgentis contempsit maxima cœli
 Numina? num fatuos credidit esse Deos?
 Penasque num furtini rapuit donaria templis?
 Rasit inaurati num simulacra Jovis?
 Num gladium tragica scedavit morte parentum?
 Amne sodalitiis intulit ille necem?
 Sæva beneficii num p. bula tradidit arte,
 Ut posset Veneres inde vel alta sequi?
 Hostibus an magno venientibus agmine portas
 Reclusit patriæ proditione suæ?
 Aut inter cives num jecit semina rixæ,
 Quæ bona de populo turba cruenta fuit?
 An pius huic unquam sacrorum fronte minister
 Cæsus adorandos concidit ante lares?
 Heu dolor, heu pietas, heu quam miserandus amicus
 Altera pars animæ, dimidiumque meæ.
 Nonne vides quanta macie confecta cubili
 Membra tenet? quantus corpore languor inest.
 Nonne vides facies quam sit contraria primæ,
 Dum mecum niveos computat ille dies?
 Tunc liber fuerat Phœbus quoque forsitan illi
 Invidus, usque adeo complerat ora nitor.

Quam

Quam nunc dissimilis dextra est nunc debilis illi,
 Dum tenuit calamos me modulante lyram.
 Heu quam non illi fuerant qui sæpe lacerti,
 Dum mecum jactas verberat ille pilas.
 Heu quantum antiquo discordat poplite poples,
 Dum mecum Tuscas itque reditque vias.
 Heu quam dissimiles plantæ dum terga caballi
 Insidet. & parvo collocat orbe pedes.
 Has ego dum jacto mecum sine mente querelas,
 Affuit heu tristis nuntius ante fores;
 Pone modum votis, inquit, quem plangis amicus
 Jam misero nunc nunc cessit ab orbe tuus.
 El cuit quales gemitus Patroclus Achilli,
 Hos tulit adveniens nuntius ille mihi.
 Quæque per undecimum numerum mea musa gemebat
 Quæque elegos mæsto flebat ab ore modos.
 Tacta dolore suum carmen tenuavit; & inde
 Clausit inexplato quod fuit orsa pede.
 Quum vacuatus erat mortalibus undique magnus
 Orbis, acerba dies.
 Cum tam immaturo Tuscæ decus omne juventæ
 Funere sæva rapis;
 Tollenda è medio fuerat numerosa senectus,
 Non juvenile decus,
 Aut si decrepitem senium miserata fuisses
 Turba reperta nocens.
 Hic de conspicua genitoris prole refulgens
 Flosculus unus erat.
 Moribus hic Curius, forma renitente Camillus,
 Lumine Phæbus erat,
 Grammate Tranquillus, Cicero sermone, poësi
 Martius alter erat.
 Et mea quam paucis libaverat unda diebus
 Profuit illa nihil.
 Heu quali infelix modo sum dejectus amico
 Dicere musa nequit.
 Thesea Pirithous tantum, Damonaque tantum
 Non coluit Pythias.

Me quantum juvenis moriens quoque castus amavit,
 Meque per astra colit.
 Dulce sodalitium nostrum nunc credo supernis
 Connumerare choris
 Quid me sic mœstum terris, pars altera nostri,
 Deseruisse juvat?
 Si moriens nostri partem rapis, altera quid jam
 Dissociata moror?
 Ibimus e terris reliquum de corpore, & illa
 Quæ colis astra petam.
 Dumque hos fundebam luctus lacrimosa parabat
 Sistere musa modos.
 Scribenda in tumulo juvenis vix ista rogavi
 Carmina; sunt elegis sed renovata modis.
 Flosculus Etruriæ jacet hic; ne curre; parumper
 Fige gradum ad tumulum, sævaque fata lege.
 Silvius hic patria; nomen dixere Gerardum:
 Quattuor haud totas vixit Olympiades.
 At si quæ fuerit quæris cognoscere virtus,
 Castalias nigras cerne per arva Deas.

Ad Malatestam.

Cum lapsa in prædam Saturni luce meares,
 Me canibus lepores sollicitare vocas,
 Accingor; venio, vestigo, lustro, peragro;
 Venantum verbis officiosus eram.
 Si repetis, fuimus nos digni laude; nec illam,
 Præterit immunem virgo Diana diem.
 At quæ cœna mihi? ciceris scutella paratur,
 Sardaque cum porro mille refecta modis.
 Pocula non eadem nobis, nec mensa ministrat
 Arctocreas, solita est quas tibi sæpe dare.
 Dum sine me vadis, gaudes, genialis & omnes
 Sollicitat miseros uncta culina cocos.
 Quod si me comitem tibi vis, Malatesta, venire
 In lepores; pingui dic mihi luce veni.
 Sumere qua liceat, quæ fumis fercula; cœna
 Non facit ad ventrem Pythagorea meum.

Ad Ludovicum .

Omnibus ex rebus quarum tibi copia magna est,
 Aspice Cantalicus quid, Ludovice petat.
 Non tibi, quæ multos tribuit jam Roma per annos
 Sedis Apostolicæ munera sacra . petit.
 Nec quos de varia nummos regione reportas,
 Dum facer extremo quæstor ab orbe redis.
 Non aliquam ex nitidis tua quas premit arca lacernis,
 Quantam habuit vivo Cæsare Tuscus eques.
 Pinguia nec poscit nimium te farris avarus,
 Quæ tibi centenus rura colonus arat.
 Ista supervacuum petere est; nec poscet amicus,
 Namque mei juris esse quis ista neget?
 Quod peto de multis minimum est, & inutile quoddam,
 Res quoque Cantalico convenit illa minus.
 Hic tibi dat Getica missas regione sagittas,
 Multaque Sæuromatis picta pharetra venit.
 Lucida Diætæo venabula monte feruntur,
 Qualia pestifero dat Melcager apro.
 Inde tibi quali pastor percussit Achillem,
 Latus ab innumeris Cnoßius arcus adest.
 Plurima perque tuos pendet balista penates,
 Nudus in Hispano quam fodit orbe chalybs.
 Harum unam exopto dones mihi; cetera magnis
 Dona viris dederis; sunt mihi parva satis.
 Huic gravidam calamis etiam mihi junge pharetram,
 Hac sine namque mihi munera vana forent.
 In quemquam vatem perstringere tela putabis;
 Et mihi sit dices charta tenenda magis.
 Bella gerenda mihi non sunt; sed sola voluptas
 Aggeris ad signum mittere tela manu.
 Me tamen haud credas permixtum ludere turba,
 Quave solet media vulgus inesse via.
 Illa voluptatem nobis loca tempore præbent,
 Per quæ rusticitas pessima nescit iter.

Ad Sixmundum Stafam.

Quot tua clara fuit cumulatâ Fluentia damnis,
 Extulit Albieram cum libitina tuam.
 Non sine me cogis, Sixmunde, referre dolorem
 Atque jubes lacrimas me renovare tuas.
 Illa quidem populi luctus docet omnis aperte,
 Qui nondum pullas depulit urbe togas.
 Quis, Sixmunde, tua quis vidit in urbe pudorem,
 Albieræ postquam perdidit ora suæ?
 Quis formam? quis fronte fidem? moremque, decusque?
 Ex quo conjugii vincla ruere tui.
 Cui collata, licet Lucretia casta fuisset,
 Judice non dubio Græcula Thais erat.
 Pro qua Virginie faciem sprevisset amata
 Appius, ingessit cui fera bella Venus.
 Montibus ancipites fecisset Oreades, isset
 Quando cothurnatæ si comes illa Deæ.
 Hunc cum perdiderit tua clara Fluentia florem,
 Jacturam patriæ non videt illa levem.
 Flebile plus illud, populus quod perdit alumna
 Quam signat lucem nomen in urbe suæ.
 Tu quod tam meritas compescas mente querelas,
 Accipe quid rebus deprecet ipse tuis.
 Altera jungatur thalamo tibi nympha futuro,
 Quæ levet Albieræ dulcis ab ore sitim.

Ad Petrum.

Lusimus, & quereris quod non tibi perdita solvam
 Et furis, & clamas, & ratione cares.
 Dic rogo ne pigeat: dicet quis seria ludum?
 Ludus erit verus si, Petre, lusus eris.

Epitaphium Pauli secundi Pont. Max.

Ecclesiæ columen, custos pietatis, & æqui,
 Hoc tumulo Paulus membra secundus habet.

Astra,

Astra, polus, pontus, mutatis ordine rebus,
 Ferre necem tanti non potuere viri.
 Pectore dura tuo filicis sint robora dicam,
 Hæc pia ni lacrimis plena sit urna tuis.

Ad Donatum.

Qui, Donate, fuit tanti tibi nominis auctor,
 Noverat hic vitæ dona futura tuæ.
 Nam tibi tot cælo fluxerunt dona secundo,
 Vix puto quot dextram tradere posse Jovis.
 Quæ peto si præstas etiam donantis habebis
 Nomen, & augurium crescet in orbe tuum.

In Mabilium.

Magna Fluentinis quod se cantare fatetur
 Mabilius; præstas dic mihi, Roma, fidem?
 Mendicat Cererem, Bacchumque, focumque, laremque,
 Nec tribuit misero barbara Musa lucrum.
 Nam nunc Sarmatico lacerat sermone poemam,
 Nunc aliquos Getico concinit ore modos.
 Hanc, cui Castalii finxerunt pectora rores,
 Tuscia barbariem discere velle negat.
 Hic igitur qua nunc vivat ratione requiris?
 Urbis in antiquo ponte rogator adest.

De eodem ad Angelum.

Mabilii natale solum qui scire laborat,
 Hic habet in rebus, Angele, nil quod agat.
 Nec patriam meminit, nec novit in orbe parentes,
 Qualibet ille suum mutat in urbe genus.
 Prandia dum Latia misere mendicat in urbe,
 Adriaca natum se canit ille plaga.
 Barbariem argutis Venetis dum vendere tentat,
 Exquiliis inter jactat habere domum.
 Dumque Fluentinam collustrat perfidus urbem,
 Se Ligurem clarum dicit habere patrem.

Cum Ducis Urbini blanditur in urbe crumenis,
Parthenopen patriam jurat habere suam.

Dum Ligures repetit ficto sermone penates,
Se natum mediis distitit ille Senis.

Denique mendicus nunc hac, nunc cursitat illac,
Barbariem frustra qualibet urbe sonans.

Angele, qui toties mentitur in orbe penates,
Natalem certe non habet ille locum.

Ad Angelum Politianum.

Totis, Angele, qui vides diebus
Illum sidera quem fovent tonantis

Virtutum specimen, decusque rerum
Patronum fidibus tuis faventem;

Absentem memores libens rogamus

Illi Cantalicum; rogesque nostros

Vultu versiculos legat, precesque,

Quali perlegit usque, ruminatque

Quæ tu Meonio canis lepore.

Felix numina cui licet videre,

Quem longe populi colunt amantque,

Tanto jam duce tangis astra fama,

At nos vendere fas erit libellos,

Et conducere busta, iustra. furnos,

Mæcenas nisi me tuus reservet.

Ad Laurentium Medicem.

Obstat Cantalico, Laurens clarissime, dicis,

Ne possim vati turba favere meo.

Non obstat quicumque sibi tua numina poscit,

Namque soles populi consuluisse rei.

Ad eundem.

Pisco, Laurens, si me potes addere ludo,

Digna quidem cathedris res erit illa novis.

Ad possessa venis ferus mihi forsitan, inquis,
 Quodque petis, vates unus & alter habet.
 Hæc si vota mihi tam fera rogata negarunt,
 Illud habes; patria da precor urbe locum.
 Non licet; innumerus strepit hac nam rhetor in urbe;
 Dicus, & hoc etiam jam dare posse negas.
 Quid faciam, si cuncta neges? accingar ut arcæ
 Dona petam, citius quæ dare dona potes.

Laurentius & Cantalicus loquuntur.

Cantalice in nostra si forte futurus in urbe es,
 Dic rogo mercedis quid tua musa petat.
 Quantum de populi corradere monte licebit,
 Quam tua res statuit publica rhetoribus.
 Hoc mihi si nimium fuerit; da, maxime rerum,
 Quantum Cantalicæ commeruere lyræ.

Ad D. Franciscum Castilionum.

Si vacat Argolicæ cultor, Franciscæ, Minervæ
 Perlege Cantalici carmina pauca tui.
 In te quæ nostrum tantum testentur amorem
 Esse potest quantus inter in orbe viros.
 Magna licet veteres mereat tua fama poëtas
 Es tamen assiduum nomen in ore novis.
 Illa quidem crebris pennis mihi percutit aures,
 Et te plus cunctis vatibus unus amo.
 At quis te sileat, quis te non semper adoret?
 Solus es in Tuscis dignus honore coli.
 Religione Numam vincis; gravitate Catonem;
 Pectore Fabritios; & probitate Macros.
 Meoniden trutina, paribus quoque lancibus æquas
 Eloquio, dixit quem mea Roma patrem.
 Sit tua quanta fides patuit mihi, quando libelli
 In Solimas gentes tam fera tela jadis.
 O bene quam verpos sternis, tibi vana moventes
 Prælia; quam certo fervidus ense micat!

Illæ licet facri nondum mihi cognita vultus
Est facies, mortis sit tibi fera dies.

Ad Pandulfinum.

Pandulphine, tuæ patriæ decus, atque juventæ,
Quam rigat insignis lenibus Arnus aquis.
Temporis ad nostros quod te tulit aura penates,
Et quæ Bacchus amat Silvia rura petis.
Gaudeo, meque juvat quam sint hæc læta referre,
Ut valeas iocios hic hilarare tuos.
Hic primum aspicias facie renitente puellas,
Qualiter in pura sidera nocte micant.
Quæ pede Nilias norunt superare choreas,
Et Gaditanos vincere clune modos.
Hic premit egregiis vindemia vina racemis,
Qualia famoso monte Phalernus habet.
Hic canit innumerus qui perdidit inguina gallus,
Tergaque vix gestant pingua cortis aves.
Hic candore nivis Cerealia munera certant,
Et caro Thraicium candida vincit Itym.
Si dabit altitium stomacho fastidia gustus,
Silvia turdorum milia nutrit humus.
Quorum tres uno mercaberis asse coronas,
Parvaque torquatus æra palumbus habet.
Cum sint apta patri nimium loca nostra Lyæo,
Huc quæ sodalitia nunc comitatus ades.
Bacchica mordaces pellant solemnia curas,
Sint procul a sociis seria quæque tuis.
Gaudia sed pariter genialibus addite mensis;
Siccantur fuso pocula crebra mero.
In patriam post hæc vultu remeabitis illo,
Quem tribuet nostri gratia magna soli.
Illa quidem magna est, peregrinaque corpora curat,
Tam viget his semper nobilis aura locis.
Quæ nec (crede mihi) dices me vana referre,
Efficies si quod plurima turba solet.
Scilicet illa prius solita est cognoscere ventris
Pondera, quam videat Bacchica mensa dapes.

Vos

Vos quoque nectareis extendite brachia mensis,
 Vestra tamen libret membra statera prius.
 Rursus item libret postquam saturata jacebunt
 Pectora; sit discas gratia quanta loci.

Ad lectorem.

Tristes hypocritas colis? recede,
 Hic nam Pierides gerit libellus.

Ad Sanctum Nicolaum.

Simplicis turbæ, Nicolae, virtus
 Qui tenes clarum meritis Olympum,
 Da tuas nostris solitas precamur
 Laudibus aures.

Sacra bissereno redeunt ab orbe,
 Quæ tibi Christi populus per omnes,
 Principis Petri statuente norma,
 Concinit urbes.

Te patri claro peperit Joanna
 Moribus cunctas superans honestis,
 Teque post nullam voluit mariti
 Corpore labem.

Quantus in Cælo fueras futurus,
 Qualis & terris fueras videndus
 Moribus sanctis puer in tenello
 Tempore pandis.

Matris haud potas avidus papillas
 Sed pius lactis refugit duobus
 Lucibus potum; sitiens modeste
 Tempora vitæ.

Cum scholam mixtus pueris frequentas
 Ingeni vires sapiens resolvis,
 Nam bibis solus fluit a legentis
 Quidquid ab ore.

Hinc tibi fundunt pueri quotannis
 Vota; quod dones rudibus sophiam

Cordibus, clari simul & theatrum
 Scandere Cœli.
 Orbis at postquam fueras parente,
 Censibus nutris inopes paternis,
 Deque tres turpi miserans puellas
 Fornicæ pellis.
 Cœlitus post hæc diadema fumis,
 Quo tuum sancte populum gubernas,
 Et tuæ vitæ data quæ fuissent
 Præmia monstras.
 Sensibus nostris igitur benignus
 Labere; ut tecum vigilemus, atque
 Insuper summi mereamur omnes
 Principis aulam.

Ad Beatum Bartholum.

Silviæ gentis pater, atque custos,
 Da pius nostris animis loquelas,
 Ut tibi plene meritum canamus,
 Barthole, carmen.
 Te choris mater genuit supernis
 Debitum, spreto sapienter orbe,
 Quod tibi quæ jam data sunt puello
 Nomina signant.
 Quattuor lustris steriles parentes
 Fertiles reddis rogitante Petro
 Cœlites; lucem tibi cum dedisset
 Mochiâ tellus.
 Parvulus vitæ seriem beatæ
 Mirus ostendis radians parenti,
 Dum tibi flagrant radiata flammis
 Lumina cunis.
 Videras nondum puer almus annum,
 Cum tuis fractum manibus tenellis
 Fortius ferrum valuit rejunctum
 Matre quereute.
 Quin & insertus sociis catervis

Angelum linguis teneris fatentur,
 Quod pius turbam teneram beata
 Pace gubernas.

Sanctus in prima politus juvena
 Fulgidis mentem dederas pudicam
 Sedibus, mundus fatuus relinquens
 Quidquid anhelat.

Utque divinum melius probares
 Spiritum, sexto pereunte lustro
 Te Sacerdotem stola gloriosum
 Candida vestit.

Fortis hinc fraudes animosus, atque
 Dæmonis vafri nimis, ac dolosi
 Tectus invicto clypeo pudoris
 Vincis acerbis.


Ne tuis primum referant quid actis
 Ora? centenis licet illa linguis
 Concinant, cum sint numero quot æther
 Sidera pascit.

Tu viatorem medios per hostes
 Liberas, cæcis aciem reponis,
 Perditam mutis referas loquelam,
 Robur & ægris.

Cumque sit pontus tumidus procellis
 Turbidas austro referente nubes,
 Nominis tanti memor illa salva est
 Naufraga puppis.

Sensibus turbæ sapiens carenti
 Reddis; & sacris precibus vocatus
 Artibus lassis hominum repellis
 Dæmonis umbras.

Supplices ergo meritis rogamus,
 Ut tuam cunctis patriam periculis
 Liberes; atque hæc capias benigne
 Sacra quotannis.



Ad Julianum Medicem.

Et tu perlege Juliane nostra
 Fratri carmina, quæ tulit libellus;
 Fratrum numina nam petunt duorum;
 Quæ qui dividit, omne quod poposcit
 Gestandum Zephyris dedit per auras.

De Libello Archetypo.

Esse quidem poterat formosior iste libellus,
 Sed tamen archetypus gratior esse solet.



LÆLII CAPIILUPI

MANTUANI.

Centones Virgiliani.

CENTO I.

Incipe Mænalios mecum mea tibia versus,
 Pergite Pierides, Galli dicamus amores.
 O decus, o famæ merito pars maxima nostræ.
 Te precor, Alcide, cœptis ingentibus adsis,
 Diis genite, & geniture Deos, assuesce vocari:
 Nulla meis sine te quæretur gloria rebus:
 Da facilem cursum, nihil hic nisi carmina defunt.
 Rumpe moras: tentanda via est, quâ me quoque possim
 Tollere humo, stimulos sub pectore vertit Apollo.
 Nymphæ, noster amor, præsentia numina, Fauni,
 Ore favete omnes, & cingite baccare frontem:
 Cingite ne vati noceat mala lingua futuro.
 Hinc canere incipiam cum Gallus amore periret,
 Quæ nemora, aut qui vos saltus habuere puellæ?
 Pan Deus Arcadiæ venit, quem vidimus ipsi,
 Venit & upilio; tardi venere subulci;
 Gensque virum truncis, & duro robore nata,
 Nesciaque humanis precibus mansuescere corda.
 Stant & oves circum, & crebris mugitibus amnes,
 Arentesque sonant ripæ; sub rupe jacentem,
 Heu miserande puer, cuncti se scire fatentur,
 Te liquidi flevire lacus, stragemque dedere
 Flumina correptos unda torquentia montes:
 Qualis populea mœrens philomela sub umbra,
 Atque Deos, atque astra vocat crudelia mater

Man-

Mantua dives avis pectus percussa Deorum.
 Ora puer prima signans intonsa juventa,
 Cui pellis latos humeros, caput oris hiatus,
 Et malæ texere Lupi, cum dentibus albis
 (Ille etiam & genti nomen dedit, armaque fixit)
 Multa movens animo silvas, saltusque peragrat
 Noctes, atque dies, est mollis flamma medullas.

Forte die, tardis ingens ubi flexibus errat
 Mincius, auratus taurino cornua vultu,
 Populeas inter frondes, lucosque sonantes
 Dum canit, & mœstum Musa solatur amorem:
 Longe illi media se se tulit obvia silva
 Causa mali tanti pulcherrima Deiopea,
 Cui pharetra ex humero sonat, arcus, & arma Dianæ,
 Qualis gemma micat, crines nodantur in aurum,
 Aurea purpuream subnectit fibula vestem,
 Agnovit juvenis divini signa decoris:
 Illi membra novus solvit formidine torpor.
 Obstupuit primo aspectu, & vox faucibus hæsit,
 Ut primum fari potuit, sic incipit ore
 Suspirans, imeque trahens a pectore vocem:

Cara Deum soboles animo gratissima nostro
 Salve vera Jovis proles, mea maxima cura,
 Quam nec longa dies, pietas nec mitigat ulla,
 Sola ne perpetua mœrens carpere juventa,
 Jam matura viro? Veneris nec præmia noris?
 Ah virgo infelix, mitte hanc de pectore curam.
 Utere sorte tua nimium ne crede colori,
 Omnia fert ætas, fugit irreparabile tempus.
 Alma precor miserere animi, non digna ferentis,
 Ad te confugio, & supplex tua numina posco,
 Vix ea fatus erat, veluti violaverit ostro
 Si quis ebur, tales virgo dabat ore colores;
 Dejecit vultum, & demissa voce locuta est.

Desine meque tuis incendere, teque querelis,
 Quam pro me curam geris, hanc precor, optime, pro me
 Deponas, toties jam dedignata maritos
 Mens immota manet sola contenta Diana

Namque fatebor enim, non vitæ gaudia quæro.
 Certum est in silvis, inter deserta ferarum
 Malle pati: inceptum frustra submitte furorem.
 Discè puer virtutem ex me, & non temnere divos,
 Hic pietatis honos. Patet atri janua Ditis
 Quælitur Minos, vitalque, & crimina discit,
 Castigatque, auditque dolos: te triste manebit
 Supplicium, votisque Deos venerabere feris,
 Sic ait, & dictis divinum aspirat amorem,
 Edocet humanis quæ sit fiducia rebus,
 Illum turbat Amor magis, ægrefcitque medendo.
 Tum quassans caput hæc effudit pectore dicta;
 Omnia percepi, atque animo mecum ante peregi.
 Ne tantos mihi finge metus; non talia curat,
 Omnia vincit Amor, strepitumque Acherontis avari,
 Subjecit pedibus: Quis enim modus adsit Amori?
 Inde hominum, pecudumque genus, pictæque volucres
 Et genus æquoreum genitalia semina poscunt,
 In furias, ignemque ruunt. Regina sacerdos
 Marte gravis, partu sub luminis edidit oras
 Romanos rerum dominos, gentemque togatam.
 Quid majora sequar? pueri, innuptæque puellæ
 Magnanimi Jovis ingratum ascendere cubile.
 Et dubitant homines naturæ accedere partes?
 Nymphæ Laurentes, præstanti corpore Nymphæ,
 Degere more feræ, quæ vos dementia adegit?
 Vana superstitio in dumis coluisse Dianam,
 Æternum telorum, & virginitatis amorem:
 Egregiam vero laudem, & spolia ampla refertis,
 Tantorum impensis operum nihil omnibus actum.
 Tu ne tot incassum fufos patiere labores?
 Quin potius miserere: mori me denique coges.
 Accipe, daque fidem quoniam convenimus ambo,
 Vis ergo inter nos, quid possit uterque vicissim
 Experiamur?
 Nec sum adeo informis, solum te virgine dignum,
 Et me Phœbus amat, novit namque omnia vates.
 Te nemo omne canet, si quid mea carmina possunt,
 Sem-

Semper honos, nomenque tuum laudesque manebunt,
 Si te nulla movet tantarum gloria rerum,
 Huc geminas nunc flecte acies, res aspice nostras.

Pandite nunc Heliconæ. Deæ, cantusque movete.
 Telum immane, manu valida quod forte gerebat,
 Eripuit mulcens quo non præstantius ullum
 Europa, atque Asia, visu mirabile monstrum,
 Horrendum, & cui turpe caput, cui plurima cervix,
 Confertum tegmen spinis, proluxaque barba,
 Et crurum tenuis a mento palæaria pendent,
 Tantæ molis erat Me ne huic conficere monstro?

Hæc effata silet, lacrimasque effudit, & omnem
 Implevit clamore locum, & tremefacta refugit,
 Improvisum aspris veluti qui sentibus anguem
 Preffit humi, retroque pedem cum voce repressit.
 Ille autem pariter cursu, teloque secutus,
 Siste gradum: quo deinde rui, quo proripis, inquit,
 Numquam hodie effugies, veniam per tela, per ignes,
 Nullæ hic insidiæ, terram, mare, sidera juro.
 Nec vim tela ferunt Tereti cervice reflexam
 Insequitur, jam jamque manu tenet, & premit hasta.
 Evolat, infelix, & femineo ululatu
 Scissa comam, mæstis late loca questibus implet.
 Fortuna omnipotens, quid non speremus amantes?
 Hic juvenis jam victor ovans, vestigia presso
 Haud tenuit titubata solo, revolutus arena
 Labitur infelix, non ille oblitus amorum
 Ingemuit, deditque has imo pectore voces:
 Adsis ô tantum, qui tela Typhoëa temnis,
 Sis bonus, ô felixque audacibus annue cœptis.
 Nate Dea, si quid pietas antiqua labores
 Respicit humanos, dubiis ne defice rebus.
 Ventum ad supremum est, precibus si flecteris ullis,
 Verum age, & ultricem pharetrâ deprome sagittam.
 Vix hæc ediderat, ruere omnia visa repente,
 Paret Amor dictis, cœli in regione serena
 Intonuit lævum: sonat una lethifer arcus,
 Constitit hic, curvo direxit spicula cornu

Nulli visa cito, perque ilia venit arundo,
 Et lævo infixæ est lateri, mirabile dictu,
 Pertentat sensus, atque ossibus implicat ignem.
 Improbe Amor, cui tanta Deo permissa potestas?
 Non equidem invideo, miror magis Aspera virgo
 Continuitque gradum, subitoque accensa furore
 Incipit effari: Sequimur te sancte Deorum
 Quisquis es; en supplex venio miserere tuorum,
 Clamat, io decus, & nemorum Latonia custos,
 Dique, Deæque omnes studium quibus arva tueri,
 Hic domus est, inquit, vobis: jam vivite silvæ:
 Major agit Deus, atque opera ad majora remittit:
 Venit Amor, subitaque animum dulcedine movit.
 Te vero, venerande pu. r, jam pectore toto
 Accipio, agnosco, quando hæc te cura remordet,
 Huc ades, o formose puer, jam tempus agi res:
 Do quod vis, sed res animos incognita turbat.
 Quidquid id est timeo: hunc oro defende furorem.
 Auditis ille hæc placido sic reddidit ore:
 Testor cara Deos, nihil illo triste recepto
 Carpe manu, namque ipse volens, facilisque sequetur:
 Audentes fortuna juvat: quis talia demens
 Abnuat? Atque animum præsentis pignore firmat:
 His dictis curæ emotæ: venerabile donum
 Fatalis virgæ, monumentum, & pignus amoris,
 Dulcibus illa quidem illecebris lasciva puella
 Miraturque, interque manus, & brachia versat,
 Expleri mentem nequit, ardescitque tuendo.
 Tum vero exarsit, juvenique arrepta cupido.
 Pellis & ad tactum tractanti dura resistit,
 Incipiunt agitata tumescere turpia membra!
 Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
 Mens agitat molem: surgens caput alius effert
 Ille manum patiens, & tanto lætus honore
 Stare loco nescit, subita spe fervidus ardet
 Læticia exultans, & verberat ictibus auras.
 Illa quidem jamdudum arcu contenta parato
 Tela tenens, altam Lunam sic voce precatur:

Pan Deus Arcadiæ, si rite audita recordor,
 In nemora alta vocans captam te Luna fefellit:
 Non ignara mali nostro succurre labori.
 Hæc ubi dicta dedit: Dii nostra incepta secudent,
 Tandem lætus ait: grates persolvere dignas
 Quas potero? meriti tanti non immemor unquam,
 O decus Italiæ dum spiritus hos reget artus
 Semper honore meo, semper celebrabere donis.
 Illa subit, lacrimis oculos suffusa nitentes:
 Desine plura puer, & quod nunc instat. agamus
 Rumpere moras omnes: varium, & mutabile semper
 Fœmina, quo cœlum, tempestatæque serenat,
 Cunctantem amplexu molli fovet ille repente:
 Hoc erat, hoc, inquit, votis quod sæpe petivi,
 Hæc fatus duplicem ex humeris rejecit amictum,
 Ille avidus nodos, & vincula linea rupit:
 Propter aquæ rivum viridi procumbit in ulva,
 Pandentemque sinus, & tota veste vocantem
 Corripit in nodum complexus, & angit inhærens
 Telum immane manu quatiens opera omnia rumpit,
 Componens manibusque manus, atque oribus ora,
 Pectora pectoribus. Pueri, innuptæque puellæ
 Vos agitate fugam: procul o procul este profani,
 Maius opus moveo. Direptis crura cothurnis
 Dissiluisse ferunt: foribus domu' atra revulsis
 Panditur, & Caci detecta apparuit ingens
 Regia, & ingentem lato dedit ore fenestram
 Sponte sua: umbrosæ penitus patuere cavernæ,
 Hic labor, ille domus, & inextricabilis error,
 Hic spelunca fuit, vastoque immanis hiatu
 Horrida, quam densi complebant undique sentes:
 Intus aquæ dulces, mellis cœlestia dona.
 Ergo iter inceptum peragunt, atque oscula figunt,
 Nescio qua præter solitum dulcedine læti:
 Sibila lambebant linguis vibrantibus ora.
 Continuoque avidis ubi subdita flamma medullis
 Idem omnes simul ardor agit, pariterque laborem
 Sortiti: teneris tepefactus in ossibus humor

Æstuar,

Æstuat, & liquido distendunt nestare cellas.
 Tum vero ardentis oculi, atque attractus ab alto
 Spiritus auditur gravior: tractimque susurrant
 Cum gemitu: subito non vultus, non color unus,
 Non comptæ mansere comæ, moritura puella
 Sanguineam torquens aciem, maculisque trementes
 Interfusa genas, delibans oſcula fatur.
 O mihi præteritos referat si Juppiter annos,
 Dum te, care puer, mea sola, & fera voluptas,
 Complexu teneo, tecum consumerer ævo
 Nunc scio quid sit amor, sanguis meus.
 Hæc ait, & liquidum ambrosiæ diffudit odorem,
 Atque huic responsum paucis ita reddidit heros:
 Extincti te, meque soror Nec plura locutus;
 Dentibus infrendens, flammantia lumina torquens
 Atque hinc, atque illinc immania terga resolvit,
 Extremosque ceter gemitus: tum lucidus anguis
 Concidit, & mistum spumis vomit ore cruorem.
 Hei mihi qualis erat, quantum mutatus ab illo,
 Cervicem inflexam posuit, jacuitque per antrum,
 Et frontem obscœnam rugis arat: omnis, & una
 Dilapsus calor, atque immundus olentia sudor
 Membra sequebatur: factoque hic sine quievit.
 Desine Mænaliis, jam desine tibia versus.
 Hæc fat erit Divæ vestrum cecinisse poetam
 Dum sedet, & pascuntur oves, avidæque juvencæ,
 Pierides, vos hæc facietis maxima Gallo.

I N F E M I N A S

Ad Paulum Jovium.

Cetera quæ vacuas tenuissent carmina mentes,
 Omnia jam vulgata, furens quid Femina possit
 Gens inimica mihi, non æquo fœdere amantes
 Dicam equidem, indigno Nisæ deceptus amore,
 Quam propter tantos potui perferre labores,
 Quando aliter nequeo sceleratas sumere pœnas.

Nunc nunc ô liceat calamos armare veneno,
 Fatidice Mantus, magnum & memorabile nomen
 Feminea in pœna est, animunque expleffe juvabit.
 Magnanimi Heroes, precor aspirate canenti
 Ore favete omnes, procul ô procul este profani,
 Et genus invisum cum semiviro comitatu.
 Tuque ades, inceptumque una decurre laborem,
 Fortunata senex, magnum Jovis incrementum,
 Unde genus ducis. fama super æthera notus,
 Flos veterum, virtusque virum, divumque sacerdos;
 Os, humerosque Deo similis, tibi copia fandi
 Larga quidem semper, fecundum concute pectus
 Nec mortale sonans, animis illabere nostris.
 Quæ sint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur,
 Nota tibi, votis jam nunc assuesce vocari,
 Ni refugis, tenuesque piget cognoscere curas,
 Mox tamen ardentes accingar dicere pugnas.
 Te duce Idumeas referam tibi Mantua palmas.
 Dicam acies, actosque animis in prælia Reges,
 Magnanimosque Duces, totamque sub arma coactam
 Europamque, Asiamque, & tanti incendia belli.
 Post idem inter se posito certamine Reges
 Hos inter motus, mediis conatibus ægri.
 Congressi jungent dextras, & pace sequestra
 Claudentur belli portæ, Renuisque bicornis
 Turbidus, & torquens flaventes Ister arenas
 Improvisi aderunt media testudine templi
 Littus ad Ausonium: magnoque ululante tumultu
 Teutonico ritu ante aras, paterasque tenentes
 Jura dabunt, legesque viris, ritusque sacrorum
 Concilium horrendum. Nec te memorande silebo
 Cum patribus, populoque, penatibus, & magnis diis,
 Tibri pater, poscant acies & fœdera jungant.
 Tu ne cæde malis, sed contra audentior ito
 Quo res cumque cadent, Capitoli immobile saxum
 Accolet, imperiumque Pater Romanus habebit,
 Missus in imperium, cœli cui sidera parent,
 Infernique lacus, atque altæ mœnia Romæ.

Sed fugit interea fugit irreparabile tempus.
 Accipite ergo animis, atque hæc mea figite dicta
 Rectores juvenum, lætaſque advertite mentes,
 Et nati natorum, & qui naſcentur ab illis.
 Monſtrum horrendum ingens, variū, & mutabile ſemper
 Femina, quæ ventis, volucrique ſimillima ſomno
 Mobilitate viget, linguis micat ore trifulcis
 Tam ficti, pravique tenax, quàm nuntia veri,
 Dat ſine mente ſenum, totoque ardentis ab ore
 Scintillæ abſiſtunt, oculis micat acribus ignis,
 Sola domo mœret vacua, cui carmina ſemper
 Et citharæ cordi, pernicipibus ignea plantis,
 Omnia pervolitat latè loca, peſtore verſat
 Mille nocendi artes: quis fallere poſſit amantem?
 Omnibus in templis, gaudens popularibus auris
 Fert picturatas auri ſub tegmine veſtes,
 Aurea ſubnectens exertæ cingula mammæ,
 Et gradiens ima verrit veſtigia cauda,
 Purpureoque altæ ſuras evincta cothurno
 Sanguineis frontem moris, & tempora pingit,
 Mille trahit varios adverſo ſole colores,
 Flagrantes perfuſa genas, it peſtore ſummo
 Flexilis obtorti per collum circulus auri,
 Teſti auro fulvum crines nodantur in aurum.
 Ambroſiæque comæ divinum vertice odorem
 Spiravere, humeros oleo perfuſa nitescit,
 Qualis gemma micat, circum caput egit honeſtum
 Ardentes dare viſa faces, mirabile viſu,
 Aëra dimovit tenebroſum, & diſpulit umbras
 Hinc atque hinc, tantum egregio decus enitet ore.
 Præpetibus pennis magnas it fama per urbes:
 Hæc paſſim Dea fœda virūm diffundit in ora
 Illam omnis teſtis, agrisque effuſa juvenus
 Circumfuſa ruit, peſti devota futurae
 Attonitis inhians animis proſpectat euntem.
 Nec vidiffe ſemel ſatis eſt, juvat uſque morari.
 Senſit læta ſuæ contra non immemor artis
 Peſtis, & ira Deūm, flammantia lumina torquens.

Tum laqueis captare feras, & fallere visco
 Cum spes arrestæ juvenum, & furialia membra.
 Dulcibus illa quidem illecebris mortalibus ægris
 Ne quid inexpertum, cithara, fidibusque canoris
 Pertentat sensus, rapuitque in fomite flammam.
 At juvenis magnum cui versat in ossibus ignem
 Durus amor, neque enim membris dat cura quietem,
 Stare loco nescit, subita spe fervidus ardet,
 Attollitque animos, horrendumque intonat armis,
 Quadrupedemque citum ferrato calce fatigat,
 Cujus olorinæ surgunt de vertice pennæ
 Pictus acu clamydem, & ferrugine clarus Hibera,
 Tela manu jaciens volucres diverberat auras.
 Ostentans artem, figitque in virgine vultus,
 Isque amens animi, clypeumque, auroque trilicem
 Loricam induitur, validam vi corripit hastam
 Urbe furens, pugnæque ciet simulacra sub armis.
 In cœlo clamorque virum, clangorque tubarum.
 Posthinc digressus pingues spatiatur ad aras,
 Et nunc huc, inde huc incertos explicat orbis:
 Ceu quondam torto volitans sub verbere turbo.
 Interdum genua impediunt, cursumque recusant:
 Languescit moriens, obsedit limen amatæ
 Primitiæ juvenis miseræ, terræque per umbram
 Stridens, nec dulci declinat lumina somno.
 Quid faceret? solans ægrum testudine amorem
 Talia voce refert, gemitum dat pectore ab imo,
 O decus Italiæ virgo, mea maxima cura
 Nil nostri miserere, mori me denique cogis.
 Victus amore tui ventos perpeffus, & imbres
 Noctæ super media supplex ad limina veni.
 Per te, per qui te talem genuere parentes
 Da dextram misero, noctem non amplius unam
 Extremam hanc oro veniam, miserere laborum
 Alma precor miserere animi non digna ferentis.
 Nec sum adeo informis, nympharum sanguinis una,
 O quoties, & quæ nobis Galatæa locuta est:
 Uritur infelix, nam me discedere flevit.

Fors & vota facit, tua dum vestigia lustro.
 Et me Phœbus amat, si quid mea carmina possunt
 Semper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt.
 Tu modo promissis maneat sub nocte silenti,
 Utere sorte tua, multos ignava per annos
 Cauſando nostros in longam ducis amores:
 Nec mea jam mutata loco sententia cedit.
 Quem fugis ah demens, en hæc promissa fides est?
 Siste gradum, quis te nostris complexibus arcet?
 O digno conjuncta viro fors omnia versat,
 Nusquam ruta fides, crudelem abrumpere vitam
 Mens immota manet, quæ jam satis ima dehiscat
 Terra mihi, vos o potius miserescite venti,
 Et nostras audite preces sævique dolores
 Partem aliquam venti divum referatis ad aures.
 Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor.
 Hæc precor, hanc vocem extremam cum sanguine fundo;
 Agnovit longe gemitum formosa juventa
 Virginis os, habitumque gerens, risuque soluto
 Ardua tecta petit, stabuli & de culmine summo:
 Nam quis te juvenum confidentissime nostras
 Jussit adire domos? de te nil tale verebar;
 Desine meque tuis incendere, teque querelis:
 Hac iter est; qua te ducit via dirige gressum.
 Hæc effata silet, vana spe lusit amantem,
 Sepsit se tectis conjux ubi prorsus illi
 Læticia exultans, nervoque obversus equino
 Optatos dedit amplexus, curasque resolvit
 Dives opum, dives pictæ vestis, & auri.
 Hic focus, & tædæ pingues firmissima vina,
 Castanæ molles, epulæque ante ora paratæ
 Regifico luxu, biforem dat tibia cantum
 Instauratque choros, ille asper, & improbus ira,
 Ac veluti pleno lupus insidiatus ovili,
 Sævitur in absentes, & cælum territat armis
 Ense levis nudo, parmaque inglorius alba.
 Tum pudor incendit vires, & conscia virtus
 Arietat in portas, & duros obiiice postes.

Infelix vates spe multum captus inani
 Multa gemens ignominiam, vestigia retro
 Improperata refert, magno inflammatus amore
 Respicit ignarus rerum, ingratusque salutis.
 Interea toto non fecius aëre ningit.
 Illi alternantes linguis vibrantibus ora
 Ore legunt, tacitum pertentant gaudia pectus
 Complexi inter se noctemque diemque morantur.
 Heu, miserande puer, quæ te dementia cœpit?
 Quò moriture ruis aliena ad pabula fucus?
 Fallit te incautum tantarum gloria rerum,
 O formose puer, nimium ne crede colori.
 Nil validæ juvere manus, lumenque juventæ
 Purpureum, nihil illa Deos, nil carmina curat,
 Fatiferumque ensem, lorica ex ære rigentem,
 Instratos ostro alipedes, cristasque comantes.
 Convectare juvat prædas, & vivere raptò:
 Hic amor hoc studium, patriæ communis Erinny
 Ut gemma bibat, & Sarrano dormiat ostro.
 Visceribus miserorum, & sanguine vescitur atro:
 Suadet enim vesana fames, manditque, trahitque
 Molle pecus, mutumque metu de more verusto;
 Munera portantes nunc hos nunc accipit illos
 Ædibus in mediis, coram data copia fandi,
 Tum demum admissi stagna exoptata revisunt:
 Ast alios longe summos arcet arena.
 Centum errant annos, lacrimæ volvuntur inanes.
 Gorgones, Harpiæ multa mercede domandæ,
 Ignavum fucos pecus a præsepibus arcet.
 Haud ignota loquor, magnam Mavortis ad urbem
 Non unquam gravis ære domum mihi dextra redibat.
 Munere sic niveo lanæ te Luna fefellit
 Pan cvium custos, novi namque omnia vates,
 In nemora alta vocans, nec tu aspernata vocantem.
 Quid dominæ facient? carpentes pensa puellæ,
 Et petiere sibi monumentum, & pignus amoris,
 Pallamque, & pictum croceo velamen acantho.
 His animadverfis, atque hæc exempla secuti

O focii, quæ dicam animis advertite vestris:
 Ingens argentum patribus dat jura vocatis
 Sceptra tenens, mollitque animos, & temperat iras:
 Frigoribus mediis animum inflammavit amore,
 Spemque dedit dubiæ menti, solvitque pudorem,
 Limina perrumpit, postesque a cardine vellit.
 Quare agite ô juvenes, si fert ita corde voluptas,
 Rumpere claustra manu, Stygiamque innare paludem
 Informi limo, manibus date lilia plenis
 Aurea, nunc ea visa salus morientibus una.
 Ante fores subito stridentes cardine sacræ
 Panduntur portæ, & fauces graveolentis Averni.
 Sed fugite ô miseri, fugite hinc, latet anguis in herba,
 Vipeream inspirans animam, lasciva puella
 Cum dabit amplexus, atque oscula dulcia figet
 Nuda genu, nodoque sinus collecta fluentes,
 Vos agitate fugam; direptis crura cothurnis
 Attrectare nefas, talis se se halitus atris
 Faucibus effundens nares contingit odore.
 Turbidus hic cœno, vastaque voragine gurges
 Pestiferas aperit fauces, furor impius intus,
 Pallentesque habitant morbi sub rupe cavata,
 Quo lati ducunt aditus, nemus imminet umbra
 Desuper horrenti, foliisque sub omnibus hærent
 Obscenæ volucres, variarum monstra ferarum
 Nota nimis miseris. cernis custodia qualis,
 O præstans animi juvenis, noctesque, diesque
 Vestibulo sedeat, primisque in faucibus Orci
 Sævior intus habet sedem durissima regna
 Pallida Tisiphone, flammisque armata Chimæra.
 Hic labor, ille domus, & inextricabilis error.
 Heu fuge crudeles terras, fuge littus avarum,
 Disce puer virtutem ex me, & non temnere divos.
 Nulli fas casto sceleratum insistere limen:
 Porta adversa ingens exhalat opaca mephytim,
 Unde cavæ tepido sudant humore lacunæ.
 Hic quos durus Amor crudeli tabe peredit,
 Fluctibus oppressos rapidus vorat æquore vortex.

Proſpectum eripiens oculis immane barathrum.
 Ignari ſclerum, & primævo flore juvenus,
 Sive errore viæ, ſeu tempeſtatibus acti,
 In vada præcipitant, fundovolvuntur in imo,
 Limoſoque lacu pugnando vulnera paſſi
 Purpurci criſtis juvenes, auroque coruſci,
 Invalidique ſenes, juvenum tentare laborem
 Auſi omnes, immane nefas, auſoque potiti.
 Quid majora ſequar, genus inſuperabile bello
 Magnanimum Heroum, lacerum crudeliter ora,
 Ora manuſque ambas, caligine volvitur atra,
 Per pice torrentes, atraque voragine ripas,
 Quique ſacerdotes caſti dum vita manebat,
 Quique pii vates; nimirum hæc illa Charybdis,
 Hos Helenus ſcopulos, hæc ſaxa horrenda canebat,
 Dii prohibete minas, dii talem avertite caſum,
 Vos animam hanc potius quocumque abſunite letho,
 Si pereo manibus hominum periſſe juvabit.
 Apparent rari nantes in gurgite vaſto,
 Servati ex undis pauci quos æquus amavit
 Juppiter, aut navis olim venerabile lignum
 Rettulit in melius, quo non præſentius ullum
 Auxilium venit, ac membris agit atra venena,
 Et vaſtas aperit ſyrtes, & temperat æquor,
 Una ſalus viſtis, noſtri medicina furoris.
 Quid tibi odorato referam ſudantia ligno
 Ora virum, triſti morbo, illuvieque perſa
 Fronde virere nova ſuccos oblita priores?
 Hujus odorato radices incoque baccho.
 (Hoc geritur Zephyris primum impellentibus undas
 Sole recens orto) nec longum tempus & ingens,
 Hirſutumque ſupercilium, proluxaque barba
 Pullulat ab radice, & frondes explicat omnes.
 Phyllirides Chiron, Amithaoniusque Melampus
 Sæpe etiam curſu quatiunt, & ſole fatigant,
 Expertos belli juvenes, & vulgus inermum,
 Longævoque ſenes, ſudor fluit undique rivis.
 Excoquitur vitium, atque exudat inutilis humor,

Concretam exemit labem : labor omnia vincit.
 Omnis in hac certam regio jacit arte salutem.
 Non tamen omne malum miseris , nec funditus omnes
 Corporeæ excedunt pestes , monumenta doloris.
 Ardentes papulæ non ipsa in morte relinquunt.
 Non ego cuncta meis amplecti versibus opto,
 Non ea vis animo , cithara crinitus Jopas
 Personat auratâ , quæ causa indigna serenos,
 Fœdavit vultus , extremæque agmina caudæ,
 Semihominis Caci , genus a quo principe nostrum,
 Obiicibus ruptis , quâ vi maria alta tumescant.
 Felix qui potuit Naturæ accedere partes,
 Per loca fœta situ , superasque evadere ad auras,
 Ausus quin etiam super & Garamantas , & Indos
 Ignotas tentare vias , usumque medendi,
 Fatalis virgæ admirans venerabile donum,
 Sive Padi ripis , Athesim seu propter amœnum
 Ille canit , placidi straverunt æquora venti,
 Et mutata suos requierunt flumina cursus.
 Quin ipsæ stupuere manus resonantia saxa,
 Nereidum , Phorcique chorus , genus omne natantum
 Attonitis hædere animis , divine Poëta,
 Quæ tibi quæ tali reddam pro carmine dona?
 Quod superest , sed summa sequar fastigia rerum,
 Expediam dictis , salientem sanguine venam
 Sanguineam ingentem , surgentem vallibus imis,
 Quamquam animus meminisse horret , luctuque refugit,
 Vipereo generi distillat ab inguine virus.
 Serpentis furiale malum fœdissima ventris
 Proluvies , quod sæpe malæ legere novercæ,
 Omnia nam late vastat , sub gurgite vasto
 Exit , & obducto late tenet omnia limo,
 Corruptique lacus , infecit pabula tabo.
 Terga suum , & salsa lædit rubigine ferrum.
 Hoc metuens cœli menses , & sidera serva.
 Ipse pater statuit quid menstrua luna moneret
 Continuo est ægris alius calor , horrida vultum
 Deformat macies , pallor simul occupat ora.

Contemplator item vestes, velamina nota,
 Fœda ministeria, & portarum ingentia claustra.
 Volvitur ater odor tectis, & sanguine largo
 Terra, torique madent, & barbara tegmina crurum;
 Fluviorum rex Eridanus pluvialibus hædis,
 Vorticibus rapidis, & multa flavus arena
 Haud undis abolere potest spolia illa cruenta,
 Nec pul. her Ganges, aut pingui flumine Nilus.
 Tum vero attonitæ, atque oculos stupor urget inertæ
 Luminibus tacitis, contactuque omnia fœdant
 Immundo, tum tecta petunt, tum corpora curant,
 Turpia membra fimo, sævi spiracula Ditis,
 Ignavæque fame cunctantur in ædibus omnes.
 At non in Venerem segnes, nocturnaue bella,
 Tempore quamquam illo catulorum oblita Læna,
 Sævior erravit campis, tum pessima Tygris.
 At non tam turpes pecudum tamen ulla secuta est
 Concubitus, quæ tanta animum dementia cœpit
 Europæ, atque Asiæ præstanti corpore Nymphæ?
 Tanta ne vos generis tenuit fiducia vestri?
 Pro scelus ecce etiam Veneris monumenta nefandæ,
 Pasiphaë, mixtumque genus, prolesque biformis.
 At sperate Deos memores fandi atque nefandi.
 Et Venerem certis repetunt armenta diebus.
 Ferrea progenies, cui non certaverit ulla,
 Aut tantum fluere, aut totidem durare per annos,
 In furias, ignemque ruunt sub sidere cancri,
 Et cum tristis hyems. vel cum ruit imbriferum ver,
 Atque ubi concubitus primos jam nota voluptas
 Sollicitat, tantum notas odor attulit auras,
 Deseruere domos, genitalia femina poscunt
 Noctes atque dies, crepitantiaque æra secutæ
 Ad delubra juvat currus agitare volantes,
 Sæpe diem noctemque. & totum ex ordine mensem:
 Sole sub ardenti, gelidique sub ætheris axe
 Saxa per & scopulos, juvat indulgere choreis,
 Oraque corticibus sumunt horrenda cavatis.
 Ac neque eas jam frena virum nec verbera sæva

Perpetui tergo bovis, atque objecta retardant
 Flumina, nec miteri possunt revocare parentes.
 Quin etiam clausæ tenebris, & carcere cæco,
 (Sit mihi fas audita loqui) innuptæque puellæ,
 Tum trepidæ inter se coëunt, & sæpe sine ullis
 Conjugiis, vento gravidæ, mirabile dictu,
 Ante annos, auderque viris concurrere virgo,
 Horrendum dictu, mene huic confidere monstro?
 Hoc quondam monstro horribiles exercuit iras
 Hortator scelerum, crescentis origine mundi,
 Sublimes animas Stygias detrusit ad undas.
 Inde hominum, pecudumque genus, pictæque volucres,
 In pejus ruere, ac retro sublapsa referri
 Heu pietas, heu prisca fides virtutis avitæ!
 Omnipotens genitor qui fœdera fulmine sancit,
 Tum primum virus serpentibus addidit atris,
 Et passim rivis currentia vina repressit,
 Mellaque decussit foliis, mortalia corda
 Expectata seges vanis elusit avenis,
 Justitia excedens terris, miserabile visu,
 Prima fugit, subeunt morbi, tristisque senectus,
 Et metus, & malesuada fames, & turpis egestas,
 Et belli rabies, & amor successit habendi,
 Infanumve forum, tum partu terra nefando,
 Cæunisque, Japetumque creat, fratresque superbos.
 Ex illo in lucem Stygiis emissa tenebris,
 Vana superstitio, magnum quæ sparsa per orbem,
 Tum pater extractos disiecit fulmine montes,
 Et conjuratos cælum rescindere fratres,
 Disiecitque rates, evertitque æquora ventis,
 Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
 Et quæ marmoreo fert monstra sub æquore pontus,
 Diluvio miscens, in faxa latentia torquet,
 Illiditque vadis, atque aggere cingit arenæ,
 In tonuere poli, cinxerunt æthera nimbi,
 Impiaque æternam timuerunt sæcula noctem.
 Diluvio ex illo pœnas expendimus omnes,
 Unius ob noxam, & furias: moritura puella

Causa mali tanti, monitis exterrita divum:
 Haud impune quidem Lucinæ experta labores,
 Nunc etiam mœstis late loca questibus implet,
 Heu stirpem invisam, miratam mala puellam!
 Fas odisse viros stirpem, & genus omne futurum.
 Instamus tamen immemores, cæcique fure re
 Jungimus hospitio dextras, & testâ subimus
 Concordes animæ, sic sic juvat ire sub umbras.
 O patria, ô miseræ nimium vicina Cremonæ
 Mantua dives avis, mitte hanc de pectore curam
 Talia conjugia, & tales celebrent hymenæos
 Brontesque, Steropesque, & nudus membra Pyracmon,
 Gensque virum truncis, & duro robore nata.
 Impia nec veriti vivacis cornua cervi,
 Et frontem obscenam, quæ prima pericula vito:
 O fortunatos nimium genus omne perosos,
 Feminæ, me nulla dies tam fortibus ausis
 Dissimilem arguerit, dum spiritus hos reget artus.
 Discite felices animæ, tuque optime vates,
 Nonne fuit satius stimulos avertere amoris
 Venatu assiduo, & terras tentare repostas.
 Per varios casus, per tot discrimina rerum,
 Perque undas superante falo, perque invia saxa,
 Quam semel informem vasto vidisse sub antro
 Scillam, succinctam latrantibus inguina monstris,
 Et caligantem, nigra formidine luctum?
 At furiis Caci mens effera, dira cupido
 Sollicitat, suadetque ignota laceßere bella.
 Quid tantum infano juvat indulgere labori?
 Quis furor iste novus? quæ vos dementia adegit?
 Heu miseri cives collo dare brachia circum,
 Complexu in misero graviter spirantibus hydri?
 Ne pueri ne tanta animis adfuescite bella,
 Neve armata manus, diræ, obscenæque volucres
 Ingentes animos angusto in pectore versant
 Vere magis, quia vere calor redit ossibus, illæ
 Tum verò ardentes multa vi prælia miscent,
 Nec nos obniti contra, nec tendere tantum

Sufficiunt vires: pedibus per mutua nexis,
 Haud incerta cano, stetimus tela aspera contra,
 Contulimusque manus, nec diis, nec viribus æquis:
 Tum mihi prima genas vestibat flore juventa,
 Et membris, & mole valens, turbatus, incermis
 Candidior postquam tondenti barba cadebat,
 Eripui fateor letho me, & vincula rupi,
 Matris Acidaliæ, positis inglorius armis:
 Nulla salus bello, juvenes fortissima corda,
 Ponite spes, armis concurrant, arma cavete.
 Illis ira modum supra est, quis carmine cædes
 Diversas, obitumque ducum, quis funera fando
 Explicet, aut possit scelerum comprehendere formas?
 Quanta per Idæos sævis effusa Mycenis
 Tempestat ierit campos, se scire faentur,
 Extremique hominum Morini, dux femina facti
 Fundamenta quatit, sternitque a culmine Trojam,
 Turbine fumantem piceo, & candente favilla.
 Ipse Mycenæus magnorum ductor Achivum
 Victor apud rapidum Simoenta sub Ilio alto
 Conjugis infandæ prima intra limina dextra
 Concidit, & multo vitam cum sanguine fudit.
 Carminibus Circe socios mutavit U'lyssi
 Junonis gravis ira, & inexsaturabile pectus,
 Insignem pietate virum terraque, marique;
 Torquet agens circum, cineri promissa Sichæo,
 Non servata fides. Pallas ne exurere classem
 Argivum, atque ipsos potuit submergere ponto?
 Quid repetam exustas Erycino in littore classes?
 Quid memorem Alciden indigna morte preceptum,
 Nesciaque humanis precibus mansuescere corda?
 Discerptum latos juvenem sparsere per agros
 Mulcentem tigres, & agentem carmine quercus.
 Horresco referens, una sub nocte jugali,
 Cæsa manus juvenum fœde, thalami que cruenti.
 Heu cadit in quenquam tantum scelus? arte novercæ
 Ora puer prima signans intonsa juventa
 Excussus curru, moribundus volvitur arvis,

Turbatus distractus equis, quis talia fando
 Temperet a lacrimis totum vulgata per orbem?
 Et pro purpureo pœnas dat Scylla capillo,
 Eloquar an sileam? natorum sanguine matrem
 Commaculare manus? summi regnator Olympi,
 O pater, an ne aliquas ad cœlum hinc ire putandum est?
 Adspicis hæc? an te genitor cùm fulmina torques,
 Nequidquam horremus? nostri non plena laboris
 Quæ regio in terris? nullo discrimine cædem
 Suscitât, irarumque omnes effundit habenas,
 More furens torrentis aquæ, vel turbinis atri.
 Effera vis animi subigit decernere amantes
 Vulneribus crebris, dominorum fallere dextras.
 Infelix monstrum, quo non præstantius ullum,
 Ore vomens ignes, armare in prælia fratres,
 Atque odiis versare domos, ruit omnia late
 Femina, palantes utroque ab litore gentes,
 Territat invalidas ut aves: populoque feroces
 Vestigat lustrans, pedibusque eviscerat uncis,
 Regnorum immemores turpique cupidine captos,
 Majus adorta nefas, majoremque orsa furem.
 Mœnibus in patriis regali splendida luxu,
 Inter sacra Deum juvenes ante ora parentum,
 Per varios sternit casus muliebribus armis.
 Obvia multa virum demittit corpora morti,
 Sanguineam torquens aciem fremit ore cruento.
 Rumoresque ferit varios, cui tristia bella,
 Iræque, insidiæque, & crimina noxia cordi.
 Nate patris summi grates persolvere dignas
 Non opus est nostræ, gentem effugisse nefandam.
 Quod superest, oro propius tua numina firmes,
 Illa dolos, dirumque nefas in pectore versat,
 Eripe me his invictæ malis, via prima salutis
 Ad te confugio, pacem te poscimus omnes
 Una omnes juvenum primi priscique Quirites.
 Adspice nos, dira bellum cum gente gerendum,
 Tristius haud illis monstrum, mihi frigidus horror
 Membra quatit, sonitumque pedum, vocemque tremisco.

Carpit enim vires paulatim, uritque videndo
Femina, Dii talem terris avertite pestem.

A R I S T Æ U S.

Nymphæ, noster amor, paulò majora canamus,
Arma inter Regum, magno turbante tumultu,
Pastor Aristæus foliis ornatus olivæ,
Faticicæ Mantus, & Thuici filius amnis,
Carminibus patriis Tiberini ad fluminis undam,
Suspiciens cœ um lacrimis ita fatur abortis.

Heu quia nam tanti cinxerunt æthera nimbi,
Intonuere poli, ac venti, velut agmine facto,
Mutati tranversa fremunt, it turbida cœlo
Tempestat telorum, & ferreus ingruit imber,
Ardentes clypeos, atque æra micantia cerno;
Armorum sonitum toto Germania cœlo
Audiit, & rauco strepuerunt cornua cantu:
Et trepidæ matres pressere ad pectora natos,
Stant belli causæ, en iterum crudelia retro,
Fata vocant, sævit ruto Mars impius orbe.
Egregium forma juvenem nova regna petentem
Abstulit atra dies, & funere merisit acerbo.
Heu miserande puer, genus alto a sanguine divum
Invidit fortuna tibi, ne regna videres,
Arva neque Ausoniæ semper cedent a retro.
Morte tua insolitis tremuerunt motibus alpes,
Intremuere undæ, penitusque exterrita tellus
Italiæ, atque omnis campis diffugit arator,
Omnis & agricola. & diversum ad littus adacti
Pastores ovium: silvæ insonuere profundæ
Balatu pecorum, & crebris mugitibus amnes.
Te liquidi flevère lacus, vicina Cremonæ
Spargitur & tellus lacrimis, Driadesque puellæ
Propter aquam, tardis ingens ubi flexibus errat
Fluviorum rex Eridanus, miserabile visu,
Innumeras struxere pyras. Tibi Lilia plenis
Ecce ferunt nymphæ calathis, solatia luctus,

Exigua ingentis, misero sed debita patri.
 Tu decus omne tuis, postquam te fata tulerunt,
 Regibus incessit magno discordia motu,
 Hinc Augustus agens Italos in prælia Cæsar,
 Qui regnum Italiæ, & primos sibi poscit honores,
 Fulmina molitur, cui belli insigne superbum
 Asper, acerba tuens, pedibus Jovis armiger uncis.
 Hunc circum innumeræ gentes, populique Latini,
 Hesperia & magna Chalybum generosa metallis,
 Extremique hominum Morini, Rhenuisque bicornis
 Turbidus, & torquens flaventes Ister arenas.
 At parte ex alia validam vi corripit hastam,
 Rex genus egregium, reddi sibi poscit honorem,
 Fertilis Ausoniæ. & quæsitæ sanguine dotes,
 Testaturque Deos iterum se ad prælia cogi.
 Arduus insurgens, & grandia Lilia quassans,
 Agmina in arma vocat. Romanis arcibus olim
 Exitium magnum, atque alpes immittet apertas,
 Pro se quisque viri summa nituntur opum vi,
 Qui sibi jam requiem pugnæ, rebusque salutem
 Sperabant, nunc arma volunt, Martemque fatigant,
 Armati ferro, & cristis capita alta corusci.
 Quo ruitis, quæve ista tepens discordia surgit?
 Quis furor iste novus? quæ vos fortuna quietos
 Sollicitat, tantæne animis cœlestibus iræ?
 Ne pueri, ne tanta animis adsuescite bella,
 Ambo animis. ambo inignes præstantibus armis,
 Neu patriæ validas in viscera vertite vires.
 O cohibete iras: cœant in fœdera dextræ,
 Qua datur, ast armis concurrant arma cavete.
 Tuque prior. tu parce Italum fortissime ductor,
 Nec tibi regnandi veniat tam dira cupido,
 Nota tibi jam quæ passus terraque marique.
 Nulla salus bello, pacem te poscimus omnes.
 Matres, atque viri, puerique parentibus orbi
 Dirum execrantur bellum, tege pace Latinos
 Omnibus exhaustos jam casibus, omnium egenos.
 Quid memorem infandas cædes, desertaque regna

Pastorum, & longe saltus, lateque vacantes?
 Sanguine adhuc nostro recalent Tiberina fluenta;
 Pro Latio obtestor, pro majestate tuorum
 Proiice tela manu, paribus se legibus ambæ
 Inviçtæ gentes æterna in fœdera mittant.

Nunc ad te, & tua, magne pater, consulta revertor,
 Ad te confugio, & supplex, Rex optime Regum,
 Quid gravidam bellis urbem, & corda aspera tentas,
 Littus ad Aufonium? potuit quæ plurima virtus
 Esse, fuit toto certatum est corpore Regni,
 Desine jam tandem, precibusque inflectere nostris;
 Cede Deo, nec te ullius violentia vincat,
 Quin gnatham egregio genero (præque omnibus unum
 Prædicam, & repetens iterumque iterumque monebo)
 Des pater, & pacem hanc æterno fœdere jungas,
 Quo ferrum, quidve hæc geritis tela irrita dextris?

Quod si tantus amor menti, si tanta cupido,
 Arva aliena jugo premere, atque avertere prædas,
 Arma parare animis, nec longe scilicet hostes
 Quærendi vobis. Certatur limine in ipso
 Aufoniæ, quæ tanta animis ignavia venit?
 Ecce inimicus, atrox, cæsis insignis Achivis
 Victor ab Auroræ populis summasque minatur
 Dejecturum arces Italum, excidioque daturum.
 Horresco referens, sedeant, spectentque Latini:
 Regnatorem Asiæ spoliis Orientis onustum,
 Immanem veluti pecora inter inertia tigrim,
 Diversa exilia, & diversas quærere terras,
 Cogemur, qui nunc lenti confedimus arvis.
 Illi armis in regna ruunt, crudelis ubique
 Luctus, ubique pavor, incurvant viribus arcus,
 Exhortantur equos, fundunt simul undique tela
 Crebra nivis ritu, cincti fulgentibus armis.
 Connixi incurrunt hastis, pars maxima glandes
 Liventis plumbi spargit: loca sulphure fumant,
 Aëre cavo, & subito cælum tonat omne fragore
 Nec longum in medio tempus, cum clamor ad aur
 Bellantum juvenum, & duro sub Marte cadentum, es

Diverſo interea miſcentur mœnia luſtu,
 Jamque ſacerdotes magnum Mavortis ad urbem
 Velati lino volitant, luſtrantque choreis.
 Atria: dependent lychni laquearibus aureis,
 Implorantque Deos incenſa altaria circum,
 Haud mora feſtinant flentes, oſtroque decori,
 Flent mœſti, muſſantque patres, pauperque Senatus,
 Ipſe gubernator, rerum cui ſumma poteſtas,
 Dum paci medium ſe offert juſtiſſimus unus
 Cuncta videns magno curarum fluctuat æſtu,
 Exorat pacem Divum, vittasque reſolvit
 Sacraſti capitis, tendens ad ſidera palmas,
 Nequid inexpertum, Tirio conſpectus in oſtro,
 Ora puer prima ſignans intonſa juventa,
 Nomen avi referens, Auguſta ad mœnia Regis,
 Itque, reditque viam toties lacrimanſque, gemenſque
 Paciferæque manu ramum prætendit olivæ,
 Ante annos animumque gerens, curamque virilem.
 Ipſe ſedens clavumque regit, veliſque miniſtrat,
 Jam ſenior, ſed cruda Deo, viridiſque ſeneſtus.
 Ergo concilium magnum, primosque ſuorum,
 Imperio accitos Atheſim nunc propter amœnum,
 Ire jubet, quorum melior ſententia menti
 Jura dabunt, legesque viris, ritusque ſacrorum.

O pater, ô hominum, Divumque æterna poteſtas,
 Spero equidem, ſi quid pietas antiqua labores
 Reſpicit humanos. crimenque, caputque malorum
 Supplicia hauſurum, laniatum corpore toto,
 Romanoque foro flamma crepitante cremari
 Cernere erit, tantas audetis tollere moles
 Gens effrena virum ſeptem ſubjecta Trioni?
 Tantane vos generis tenuit fiducia veſtri?
 At ſperate Deos memores fanſi, atque nefanſi.
 Ipſi has ſacrilego pendetis ſanguine pœnas,
 Diſcite juſtitiam moniti, & non temnere Divos.

Nate patris ſummi, tuque ô ſanctiſſima Vates
 Quæ Thuſcum Tyberim, & Romana Palatia ſervas,
 Diva parens, præſens noſtro ſuccurre labori.

Dii maris , & terræ tempestatumque potentes.
 Hos inter motus tantis surgentibus undis
 Ferte viam vento facilem , & spirate secundi,
 Et placidi servate pios , gentemque togatam.
 Sit Latium , sint Albani per sæcula Reges.
 Hac casti maneant in religione nepotes,
 Et nati natorum , & qui nascentur ab illis.

At tu , magne pater , puraque in veste sacerdos,
 Tuque ô Tibri tuo genitor cum flumine sancto;
 Durate , & vosmet rebus servate secundis.
 O passi graviora , dabit Deus his quoque finem.
 In freta dum fluvii current , vulgata per orbem
 Intemcrata fides , Capitoli immobile saxum
 Accolet , imperiumque pater Romanus habebit,
 Missus in imperium , cœli cui sidera parent,
 Inferni que lacus , atque altæ mœnia Romæ.
 Ille canit : placidi straverunt æquora venti.
 Intonuit lævum , & vibratus ab æthere fulgor,
 Collectasque fugat nubes , solemque reducit.

D A M O N.

Sole recens orto , magnam Mavortis ad urbem
 Incumbens tereti Damon sic cœpit olivæ :
 Aggr. dere ô magnos (aderit jam tempus) honores
 Cara Deum soboles , magnæ spes altera Romæ
 Macte nova virtute puer , divine poëta ,
 Quid struis ? aut quâ spe tu nunc in montibus erras
 Threicia fretus cithara , fidibusque canoris ?
 Desine jam tandem Tyrio conspectus in ostro,
 Atque humiles habitare casas , & figere cervos.
 Utere sorte tua , nemorum Latonia custos ,
 Riparumque toros , & depressas convalles
 Ipsa colat , fatis huc te polcentibus affer.
 Major agit Deus , atque opera ad majora remittit
 Mulcentem tigres , & agentem carmine quercus
 Europæ , atque Asiæ præstat componere fluctus ;
 Hoc virtutis opus , fratrem ne desere frater ,

Ille quidem tonsæ foliis ornatus olivæ
 Per populos dat jura, viamque affectat olympto
 Ante annos animumque gerens, curamque virilem.
 Tuque ades, inceprumque una decurre laborem,
 Hunc cape consiliis comitem, & conjunge volentem,
 Ambo animis, ambo insignes pietate vel armis
 Contulite in medium, & rebus succurrite fessis.
 Huc ades, ô formose puer, tibi Lilia plenis
 Ecce ferunt nymphæ calathis insigne paternum,
 Post alii proceres, quæ cuique est copia, læti
 Dona ferunt, onerantque aras, mactantque juvenco.
 Huc ades, & votis jam nunc affuesce vocari,
 Multa tibi ante aras nostra cadet hostia dextra,
 Dum memor ipse mei, dum spiritus hos reget artus,
 Semper honore meo, semper celebrabere donis,
 Te nemo omne canet, si quid mea carmina possunt.
 Tum genus omne tuum, genus alto a sanguine divum.
 Dii patrii, quorum semper sub numine Roma est,
 Hunc saltem everso juvenem succurrere sæclo
 Ne prohibete, fatis tot jam labentibus annis,
 Supplicia, & scelerum pœnas expendimus omnes,
 Corniger Hesperidum fluvius regnator aquarum.
 Hic vir, hic est, tibi quem promitti sæpius audis,
 Hujus in adventu Capitolii immobile saxum
 Vertice se attollens caput inter nubila condet.
 Cana fides, & Vesta, Remo cum fratre Quirinus
 Jura dabunt: fremituque virum, studiisque faventum,
 Adspice venturo lætentur ut omnia sæclo.
 Ipsi lætitia voces ad sidera jactant
 Intonsi montes: avium concentus in agris,
 Et lætæ pecudes, & ovantes gutture corvi.
 Adspice ventosi ceciderunt murmuris auræ,
 Sternitur æquor aquis: fugiunt vasto æthere nimbi,
 Parturit almus ager, Zephyrique tepentibus auris,
 Laxant arva sinus, nonnulli obnoxia curæ
 Fundit humo facilem victum justissima tellus;
 Ergo alacres silvas, & cetera rura voluptas,
 Panaque, pastoresque tenet, nymphasque sorores,

Magnanimosque duces, atque altæ mœnia Romæ:
 Pars in gramineis exercent membra palestris,
 Pars pedibus plaudunt choreas, & carmina dicunt,
 Mutuaque inter se læti convivia curant,
 Oraque corticibus fumunt horrenda cavatis.
 Consonat omne nemus strepitu, rifuque soluto
 Desine Mœnaliis, jam desine tibia versus:
 Carmina tum melius, cum venerit ipse, canemus.

*In effigiem Francisci Gonzagæ Marchionis
 Mantuæ IV.*

O decus Italiæ, quondam dum vita manebat,
 Sceptra tenens, tardis ingens ubi flexibus errat
 Mincius, & tenera prætexit arundine ripas,
 Semper honore meo, semper celebrabere donis.
 Dum memor ipse mei, dum spiritus hos reget artus,
 Salve vera Jovis proles, Tu maximus ille es,
 Unus qui nobis, magno turbante tumultu,
 Ante annos animumque gerens, curamque virilem,
 Ultro animos, tollis dictis, & pectore firmo,
 Arduus arma tenens, fulgentes ære catervas
 More furens torrentis aquæ, Gallumque rebellem,
 Sternis humi, campique ingentes ossibus albens.
 Parthenope meriti tanti non immemor umquam,
 Dextera causa tua est, folio confedit avito.
 Quid memorem spolia illa tuis pendentia tectis
 Jam vulgata? quibus cælo te laudibus æquem,
 Flos veterum, virtusque virum? cui cura nitentes
 Pascere equos, meritæ expectent qui præmia palmæ
 Europa, atque Asia, tantæ est victoria curæ.
 Tu decus omne tuis, tu servantissimus æqui
 Omnibus exhaustos jam casibus omnium egenos
 Urbe domo socias. Tua terris didita fama
 Munera præterea ex auro, solidoque elephanto
 Conjunxere tibi (cuncti se scire fatentur)
 Regnatorem Asiæ, genus insuperabile bello,
 Et penitus toto divisos orbe Britannos:

Salve sancte parens, Italum fortissime ductor,
 Felix prole virum, si quid mea carmina possunt,
 Semper honos, nomenque tuum, laudesque manebun^o.

*Ad Cosmum Medicem Florentin.
 Ducem.*

O præstans animi juvenis, cui regia paret
 Dives opum; dives pictæ vestis, & auri,
 Urbs Etrusca, solo studii que asperrima belli,
 Flos veterum, virtusque virum post multa tuorum
 Funera, post varios hominumque urbisque labores,
 Venisti tandem Deus æthere missus ab alto.
 Credo equidem, nec vana fides, genus esse Deorum.
 Ora puer prima signans intonsa juventa,
 Mœnibus in patriis, magno turbante tumultu,
 Missus in imperium magnum popularibus auris,
 Sceptra tenes, nam te voluit Rex magnus olympi,
 Hos inter motus exsortem ducere honorem,
 Justitiaque dedit gentis componere fluctus.
 Aspice ventosi ceciderunt murmuris auræ,
 Æquora tuta silent, Italum fortissime ductor
 Perge modo, pelagoque volans da vela petenti,
 Matre Dea monstrante viam, sed facta parentis
 Profuerit meminisse magis, villosaque fetis
 Pectora. Non illi quisquam se impune tulisset,
 Obvius armato (cuncti se scire fatentur)
 Seu spumantis equi foderet calcaribus armos
 Arduus arma tenens, seu cum pedes iret in hostem,
 Asper, acerba sonans, flammantia lumina torquens,
 Quin etiam veterum effigies, decora alta parentum,
 Mores, & studia, & sacris in postibus arma
 Admiranda tibi, pugnatæque in ordine bella
 Multa manu Medica, totum vulgata per orbem,
 Nate Deâ, nam te majoribus ire per altum
 Auspiciis manifesta fides: in te ora Latini
 In te oculos referunt, fas extera quærere regna,
 Major agit Deus, atque opera ad majora remittit,
 Ergo

Ergo omni studio laudis succentus amore,
 Magnanimosque duces, atque hæc exempla secutus,
 Aude, atque adversum fidens fer pectus in hostem.
 Nec te pæniteat duros perferre labores
 Sole sub ardenti, gelidique sub ætheris axe
 Tela inter media, & fluvios tentare minaces,
 Noctes, atque dies, sic fortis Etruria crevit.
 Hæc tibi erunt artes, murorum attollere moles,
 Littus ad Ausonium armatas deducere classes,
 Tutari Italiam, detrudere finibus hostem:
 Et glomerare manum bello, terraque marique,
 Parcere subjectis, & debellare superbos.
 In primis venerare Deos, sic denique victor,
 Telum immane manu quatiens, populosque feroces
 Contundes, nulli veterum virrute secundus.
 Tum genus omne tuum super & Garamantas, & Indos
 Proferet imperium, & cunctis dominabitur oris,
 Et nati natorum, & qui nascentur ab illis.
 Hæc sunt, quæ nostra liceat te voce moneri,
 I decus i nostrum melioribus utere fatis,
 Nomine avum referens, animo, manibusque parentem.
 Hæc ubi dicta dedit divino carmine pastor,
 Fatidicæ Mantus, & Thufci filius amnis,
 Intonuit lævum Divum pater, atque hominum Rex
 Annuit, & totum nutu tremefecit olympum.

Ad Hippolitum Cardinalem Estensem.

Formosi pecoris custos, Divumque sacerdos,
 O decus Italiæ ferrea progenies,
 Expectate solo Laurenti, arvisque Latinis,
 Venisti tandem litrus ad Ausonium.
 Sic equidem ducebam animo, rebarque futurum,
 Noctes atque dies tempora dinumerans.
 Ipsi lætitia voces ad sidera jactant
 Intonsi montes fertilis Ausoniæ,
 Et lætæ pecudes, & ovantes gutture corvi,
 Balatu pecorum consonat omne nemus.

Et nunc omnis ager, nunc omnis parturit arbos,
 Omnia nunc rident, æquora tuta silent.
 Ecce ferunt nimphæ calathis tibi lilia plenis,
 Pallentes violas, Cecropiumque thymum.
 Ipse ego cana legam tenera lanugine mala,
 Eduramque pyrum, castaneasque nuces
 Semper honore meo, semper celebrabere donis,
 Qua res cumque cadent, dum memor ipse mei.
 Ut Baccho, Cererique, tibi sic vota quorannis,
 Mollibus in pratis agricolæ facient
 Aspice qui coëant Tiberini ad fluminis undam
 Pastores ovium, pinguibus a stabulis.
 Te veniente procul villarum culmina fumant,
 Instituuntque dapes indomiti agricolæ.
 Teutonico ritu vertunt crateras ahenos,
 Contendunt ludo, lætitiaque fremunt.
 Sacra canunt, choreas plaudunt longo ordine matres,
 Matres atque viri carminibus patris.
 Salve magne parens, magnam Mavortis ad urbem
 Expectate venis littora nota petens.
 Vitis arboribus decori est, ut vitibus uvæ,
 Hesperia in magna tu decus omne tuis.
 Siste gradum, teque aspectu ne subtrahes nostro
 Montibus in nostris pascere oportet oves.
 Hic gelidi fontes, & prata recentia rivis,
 Hic ver assiduum, bis gravidæ pecudes.
 Adde tot egregias urbes, gentemque togatam,
 Numina magna loci, magnanimosque duces.
 Desine jam tandem terras tentare repostas
 Saxa per, & scopulos, hic tibi certa domus.

Virgilii profopopeja.

Optime Grajugenum, magnum cui mentem animumque,
 Delius inspirat vates, divine poëta,
 Venisti tandem magnam Mavortis ad urbem.
 Quas te per terras, & quanta per æquora vectum
 Accipio, ô famæ merito pars maxima nostræ,

Nate

Nate Dea, amissos hinc jam obliviscere Grajos:
 Noster eris, fatis huc te poscentibus affers.
 Hic tibi certa domus, certi, ne abiste, penates
 Monte sub aërio, cui nunc cognomen Julo.
 Hic gelidi fontes, & prata recent a rivis,
 Hic ver assiduum, atque alienis mensibus æstas,
 Strata jacent passim sua quæque sub arbore poma.
 Omnia nunc rident, pinguesque in gramine læto,
 Inter se adversis luctantur cornibus hædi,
 Te veniente ruunt effusi carcere currus,
 Mollibus in pratis, Tiberini ad fluminis undam
 Purpurei cristis juvenes, auroque corusci
 Contendunt ludo, & fulvâ luctantur arenâ,
 Consonat omne nemus strepitu, studiisque faventum
 Ipsi lætitiâ voces ad sidera jactant
 Intonsi Montes, requierunt flumina cursus,
 Undique visendi studio Romana propago
 Circumfusa ruit, pueri, innuptæque puellæ,
 Sacra canunt, plaudunt choreas, & carmina dicunt.
 Salve sancte parens, quo non præstantior alter
 Carminibus patriis deducere montibus ornos,
 Sistere aquam fluviis, Martemque accendere cantu,
 Salve vera Jovis proles, tu maximus illa es,
 Unus qui nobis, tot jam labentibus annis
 Et fontes sacros, inventaque flumina monstras.
 Ergo alacres silvas, & cetera rura voluptas,
 Panaque, pastoresque tenet, tibi lilia plenis
 Ecce ferunt nymphæ calathis, te maxima rerum,
 Roma colit, viridique advelat tempora lauro,
 Paciferæque manu ramum prætendit Olivæ,
 Julius a magno demissum nomen Julo.
 Hic vir hic est tibi quem promitti sæpius audis,
 Flos veterum, virtusque virum, justissimus unus,
 Per populos dat jura, viamque affectat olympo,
 Ipse sedens clavumque regit, velisque ministrat,
 Missus in imperium, cœli cui sidera parent,
 Infernique lacus, atque altæ mænia Romæ.
 Quattuor hic investus equis conspectus in ostro

Victor ab Auroræ populis, ad Tiberidis undam,
 Cœlicolum regi votum immortale sacrabit:
 Ni frustra augurium vani docuere parentes,
 Majus opus, major rerum mihi nascitur ordo,
 Fortunata senex, cithara fidibusque canoris,
 Tuque ades, inceptumque unâ decurre laborem.

Romæ profopopeja.

Flavescentes abscissa comas pulcherrima Roma,
 Cara mihi ante alias,
 Stabat acerba fremens, Tiberini ad fluminis undam,
 Omnia tuta timens.
 Tristior, & lacrimis oculos suffusa nitentes,
 Talia dicta dabat:
 O decus Italiæ cui nunc cognomen Julo,
 Rex genus egregium,
 Ad te confugio cœloque Ereboque potentem,
 Suppliciter venerans.
 Da dextram miseræ, tantis surgentibus undis,
 Intonuere poli;
 Una Eurufque, Notusque ruunt, velut agmine facto
 Incubere mari,
 Et fœdam glomerant tempestatem imbris atris,
 Fluctibus, & fremitu.
 Romanosque tuos stridens Aquilone procella
 In vada cæca tulit;
 Velum adversa ferit. Multos servata per annos,
 Saxa per, & scopulos
 Religionem patrum, tremit ictibus ærea Puppis,
 Fraxineæque trabes,
 Præsentemque viris intentant omnia mortem.
 Eja age rumpe moras.
 Rumpe moras, præsens nostro succurre labori.
 Rursus in arma feror;
 Ardentes clypeos atque æra micantia cerno,
 Littore Trinacrio
 Tempestatelorum, & ferreus ingruit imber,
 Ecce inimicus atrox

Victor ab Auroræ populis, terraque marique,
 Turbidus ingreditur.
 Arduus arma tenens, pelago decurrit aperto,
 Littora nota petens.
 Fit sonitus spumante salo, circumsonat armis
 Italiam : Italiam
 Ire iterum in lacrimas, dulcesque relinquere terras,
 Ecce iterum stimulat
 Ense sequens, campis omnis diffugit arator,
 Omnis & agricola.
 Spargitur & tellus lacrimis, crudelis ubique
 Luctus, ubique pavor.
 Hinc movet Euphrates, illinc Germania bellum,
 Gens inimica mihi.
 Gens effrena virum, tot jam labentibus annis,
 (Eloquar? an sileam?)
 Corripuere sacram effigiem, manibusque cruentis
 Diripuere focos.
 Ausi omnes immane nefas, ausoque potiti
 Ædibus in mediis.
 Hinc mihi prima mali labes, ignara Deorum,
 Vana superstitio.
 Quid memorem infandas cædes? quid mœstra ferarum
 Nota nimis miseris?
 Sanguine adhuc nostro recalent Tiberina fluenta,
 Sanguine terra madet.
 Pro Latio obtestor pro majestate tuorum,
 Cara Deum soboles.
 Eripe me his invictæ malis, satis una superque :
 Vidimus excidia
 Cura tibi divum effigies, & templa tueri
 Moenibus in patriis.
 Tutari Italiam, detrudere finibus hostem,
 Palladis auxiliis.
 Aspice qui coeant in me excidiumque meorum,
 Indomiti agricolæ,
 Extremique hominum Morini, Rhenusque bicornis
 Agmina in arma vocat.

Impius hæc tam culta novalia miles habebit?
Barbarus has segetes?

Perduxit miseros en quo discordia cives,
Fertilis Aufoniæ

Per medias urbes agitur, populosque Latinos
Pallida Tifiphone,

Exurgitque facem attollens, atque intonat ore
Seditione potens,

At tu magne pater foliis ornatus Olivæ
Utere sorte tua.

Arma inter regum coëant in fœdera dextra
Littus ad Aufonium.

Nulla salus bello, pacem te poscimus omnes
Nos tua progenies.

Matres, atque viri, pueri, innuptæque puellæ
Relligione sacræ.

Attonitis hæscere animis, in te ora Latini,
In te oculos referunt.

Ego age care pater propius res aspice nostras
Parce pio generi.

Sic fatur lacrimans, & femineo ululatu
Decidit exanimis.

Ille autem: quæ tanta animis ignavia venit
O mea progenies?

Parce metu, placidi straverunt æquora venti
Monte sub aërio.

Quin etiam muros optatæ molior urbis
Victus amore tui.

Neu belli terrere minis, absiste moveri,
Omnia tuta vides.

Hos inter motus (non hæc sine numine divûm)
Te quoque magna manent,

Per varios casus, per tot discrimina rerum
Intemerata Fides

Læta Deum partu super & Garamantas, & Indos
Proferet imperium;

Ne dubita, medias acies mediosque per ignes
Fata viam invenient.

Ad Fortunam.

Fortuna omnipotens, magnum & memorabile numen
 Europæ, atque Asiæ, nam te dare jura loquuntur
 Omnibus errantem terris, huc dirige gressum
 Aëra per vacuum pernicibus ignea plantis,
 Vel mare per medium fluctu suspensa tumentis,
 Adsis ô tantum, atque animis illabere nostris,
 Alma præcor: magno laudum percussus amore,
 Noctes, atque dies supplex tua nomina posco,
 Da facilem cursum, da famam extendere factis,
 Carminibus patriis super & Garamantas, & Indos,
 Oceani finem juxta, Solemque cadentem,
 Te sine nil altum mens inchoat, en age segnes
 Rumpe moras omnes, audacibus annue cœptis.
 Huc ades, insani feriant sine littore fluctus,
 Et si quid cessare potes, requiesce sub umbra,
 Mecum una in silvis, susceptum perface munus:
 Nulla meis sine te quæretur gloria rebus,
 Carmina nulla canam, magnam Mavortis ad urbem
 Immunem tanti belli, tua maxima cura
 Ipsa immota manet, spectatque interrita pugnas,
 Hos inter motus, atque hæc certamina tanta
 Arma inter Regum, atque horrentes Marte Latinos.
 Salve vera Jovis proles, sanctum mihi numen,
 Quæ Thuscum Tiberim, & Romana palatia servas.
 Ecce ferunt nymphæ calathis tibi lilia plenis,
 Pars pedibus plaudunt choreas. te maximus orbis
 Auctorem frugum, tempestatumque potentem
 Ante aras plena supplex veneratur acerra.
 Salve magna parens frugum, tu sceptrâ Jovemque,
 Concilias, tu das epulis accumbere Divûm
 Pastores ovium, & magna inter præmia ducis.
 At genus antiquum terræ Titania pubes,
 Te duce dejecti fundo volvuntur in imo,
 Cœlicolum regi direxti tela, manusque,
 Et conjuratos cœlum rescindere fratres
 Vulneribus crebris Stygias detrusit ad undas,

Et

Et caligantem nigra formidine lucum,
 Pallentes umbras Erebi. Te janitor orci,
 Te stygii tremuere lacus, tu Cressia mactas,
 Prodigia, & vastum Nemeæ sub rupe leonem,
 Alcidaæ comes usque graves dum terra labores
 Præbuit, irarumque omnes effudit habenas
 Sæva Jovis conjux, tot jam labentibus annis,
 Imbellem avertis Romanis arcibus Indum,
 Fidentemque fuga Parthum, Tirosoque bilingues.
 Omnibus exhaustos jam casibus omnium egenos
 Romanos rerum dominos in sceptrâ reponis.
 Ex illa celebratus honos, tibi vota quotannis,
 Bis senos cui nostra dies altaria fumant,
 Servati facimus, meritosque novamus honores.
 Quod superest, oro, propius tua numina firmes,
 Hanc primum tutare domum, Montemque severum.
 Sit Latium, sint Albani per sæcula Reges,
 Hac casti maneant in religione nepotes,
 Tu Dea, tu præsens nostro succurre labori
 Tu vatem, tu diva mone, dicam horrida bella,
 Magnanimosque duces, liceat tua dicere facta
 Nunc, olim quocumque dabunt se tempore vires.

Vix hæc edideram cum circumfusa repente,
 Scindit se nubes, claraque in luce refulsit
 Vertice se attollens, Capitoli immobile saxum,
 Contremuit nemus, & requierunt flumina cursus
 Adventante Dea, fugiunt vasto æthere nimbi,
 Ipsi lætitia voces ad sidera jactant
 Intonsi Montes, respondent omnia silvæ.
 Hujus in adventu deductum dicere carmen
 Mens agitat mihi, nec placida contenta quiete est,
 Fatidicæ Mantus Romana per oppida carmen
 Dicam equidem, infano juvat indulgere labori.
 Majus opus, major rerum mihi nascitur ordo,
 Ipse caput tonsæ foliis ornatus olive,
 Aonio rediens deducam vertice Musas,
 Infuetum per iter, referam tibi Mantua palmas
 Ni frustra augurium vani docuere parentes.

*Salutatio Calend. Januarii ad Paulum III.
Pout. Max.*

Salve sancte parens, cœli cui sidera parent,
Infernique lacus, atque altæ mœnia Romæ,
Fortunate senex, si quid mea carmina possunt
Semper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt.
Nec tu carminibus nostris indictus abibis,
Nate patris summi. Nec te memorande filebo,
O decus Italiæ, magnæ spes altera Romæ,
Nomen avi referens. Et quo te carmine dicam,
Macte nova virtute puer, nova regna petentem?
Dis genite, & geniture Deos, tibi ducitur uxor,
Cui genus a proavis ingens pluvialibus Austris,
Spargite humum foliis, manibus date Lilia plenis,
Nymphæ Laurentes juvat indulgere choreis,
Omnia nunc rident, tuque o sanctissima conjux,
Salve magna parens, geminique sub ubere nati
Vivite felices ô terque quaterque beati:
Et nati natorum, & qui nascentur ab illis.

De tumulo Petri Bembi.

Jure quidem Bembus tumulatur in æde Minervæ
Dulciloquæ; natus Pieridum in gremio.

*Lælii Capilupi ad Benedictum Ægium,
Cento.*

O præstans animi longa cum veste sacerdos,
Flos veterum, virtusque virum, divine Poëta.
Quæ tibi, quæ tali reddam pro carmine dona?
Dii, si qua est cœlo pietas quæ talia curet,
Præmia digna ferant, grates persolvere dignas
Non opis est nostræ. Sat erit tua dicere facta.
Nunc olim, quocumque dabunt se tempore vires.
Quid loquor? aut ubi sum? quæ mentem infania mutat?
Omnia fert ætas, & quo te carmine dicam

Jam ſenior? non lingua valet, non corpore nota
 Sufficiunt vires, quatit æger anhelitus artus.
 Dicam equidem fretus cithara, fidibusque canoris
 Fatidice Mantus, ſi quis tamen hæc quoque, ſi quis
 Captus amore leget, Tiberini ad fluminis undam,
 Te nemus omne canet, Tu ſervantiſſimus æqui.
 Tu decus omne tuis, magnam Mavortis ad urbem.
 Cura tibi divum effigies, & templa tueri,
 Et fontes ſacros, arces quibus altus Apollo
 Præſidet, & cantu vocat in certamina divos.
 Salve vera Jovis proles, cui carmina ſemper,
 Et citharæ cordi, dum ſpiritus hos reget artus,
 Semper honore meo, ſemper celebrabere donis.

Ad Paulum III. Pont. Max.

Salve ſancte Parens, rerum cui ſumma poteſtas,
 Os, humeroſque Deos ſimilis, Sebethide Nympha
 Quem genuit, multaque inſignem reddidit arte
 Omnibus errantem terris, formoſus Apollo,
 Ad te confugio, & ſupplex tua numina poſco,
 Brachia protendens, ſemper miſerate labores
 Fertilis Auſoniæ, propius res aspice noſtras,
 Qui Tuſcum Tiberim, & Romana Palatia ſervas,
 Parce pio generi, pietate inſignis, & armis,
 Parce pius ſcelerare manus rex optime regum,
 Deſine jam tandem, precibusque inſlectere noſtris,
 Pœnarum exhaustum ſatis eſt, Romana propago
 Stat lacrimans, largoque humectat flumine vultum
 Suppliciter venerans. Tota quod mente petiſti,
 Stant ſale Tirrheno claſſes ad Tibridis undam.
 Ergo age, care Pater, da (non indebita poſco)
 Incolumem Aſcanium, magno turbante tumultu, |
 Redde, oro, miſeris, pacem te poſcimus omnes,
 Una omnes juvenum primi, priſcique Quirites,
 Ulterius ne tende odiis. Antonius armis:
 Viribus imparibus regnis exceſſit avitis.
 Sola domo mœret vacua ſanctiſſima conjux,

Hos

Hos inter motus, mentem turbata dolore,
 Labitur infelix, & pelle Libyſtidis urſæ
 Incubat, illum abſens abſentem auditque, videtque,
 Et roſeas laniata genas, diſcindit amiſtus,
 Et crines flavos, immugit Regia luſtu,
 Lamentis gemitumque, ingenti adnixa Columnæ,
 Dum fortuna fuit, multos dominata per annos.
 Alma parens mœſtis late loca queſtibus implet,
 Terque quaterque manu peſtus percuſſa Deorum,
 Multa ſuper nato lacrimans. Miſerere precantis,
 Summe Pater, miſerere domus labentis, & iſtam,
 Oro (ſi quis adhuc precibus locus) exue mentem.
 Nate Dea, tantæ ne animis cœleſtibus iræ?
 Pro Latio obteſtor, pro majeſtate tuorum,
 Proice tela manu, ſi quid mea carmina poſſunt,
 Semper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt,
 Hos virtutis opus, quo non præſtantius ullum,
 Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos.

Ad Julium Feltrium Urbinatem Cardinalem.

O nate Regum robore fortium,
 Quid, Jule, ruri tempora nunc teris?
 Non ſerta neſcit ver puellis,
 Nec Zephyri volitant per auras.
 Non falce fruges flava metit Ceres:
 Quas terra magno ſœnore reddidit,
 Nec præbet Autumnus racemos,
 Bacche tuum generoſe munus.
 Quin linquit agros, atque hyemem fugit
 Turpem atque inertem: tu ſimul auſurge,
 Viamque mutatis vorato
 Vectus equis, celerive curru.
 Et te ſuctis redde negotiis,
 Te digna curans, jam ſatis otio
 Mentem levaſti, jam laborum
 Illa feret recreata pondus.
 Gonzaga, qui te diligit unice

Vinclo coactus sanguinis, tuâ
 Virtute victus, te trahentem
 Increpat usque moras, & usque.
 Et Borromæus, cui merito Pius
 Arcana credit digna silentio,
 Rerumque habenas dat regendas,
 Te precibus revocat morantem.
 Jam linque campos, qui glaciè rigent,
 Squalent & Euri flatibus horridi:
 Romamque præclarâ triumphis,
 Vel ubi perpetuum, redito.
 Illam revises mœnibus, & viis,
 Divumque templis, atque palatiis
 Auctam superbis, quæ fuere
 Structa Pii & decorata sumptu.
 Illamque cernes legibus aureis
 Nunc constitutis, tollere verticem.
 O nos beatos ter quaterque,
 Quos Pius, & Medicus gubernat!
 Non alter illo justius imperat,
 Nec sol quid illo mitius aspicit,
 Seu promit ex undis Eois,
 Sive diem Hesperiiis recondit.
 Quid jam moraris? Hic quoque te jubet
 Ad se reverti: non tibi temnere
 Fas iussa patris, cui superne
 Clave datum est referare Olympum.
 E rure multas delicias licet,
 Cutisque liber gaudia colligas:
 Ex urbe Roma non minores
 Percipies, mihi crede, fructus:
 Si dulce ruri nunc tibi devio
 Sub solis ortus, aut merulam, aut gruem
 Vidisse, vel turdos edaces
 Retibus implicitos dolosis:
 At suave Romæ jam tibi purpura
 Fulgente claro, cernere plurimos
 Quos spes honorum cœpit, & quos

Sicut

Sicut aves laqueus fefellit,
 Nec te pigebit, qui innumeris bonos
 Virtuti amicus muneribus beas,
 Spectare, qui pisces ut hamo,
 Sic avidi capiuntur auro.
 Et te juvabit qui placidum tenes
 Portum periculis jam procul omnibus,
 Videre quos fallacis Aulæ
 Aura vehit rapidas per undas,
 Ludumque Fortunæ aspicere, & jocum
 Quæ sæpe dignos calcet, & opprimit,
 Atque immerentes cœli ad astra
 Divitiis, & honore tollit.
 Spectanda profunt talia: quæ docent,
 Quam sint inanes spes hominum, suas
 Qui res ab omni parte iniquo
 Hujus in arbitrio locarunt.

Ad Gregorium XIII. Pont. Max.

Sinthe pater, qui luce Dei perfusus in alto
 Stas folio, & nitido, Sol ut, in axe micas:
 Non curru te dextra suo fortuna, nec aura
 Principis, aut hominum sustulit ulla manus:
 Sed tua te virtus ad summum evexit honorem,
 Quique sacro æthereas indicat igne vias.
 Sic quoque vir justus quondam duce fretus eodem
 Est in flammiferis vectus ad astra rotis.

*Ad Herculem Gonzagam, dum ipse Capilupus Romæ in
 custodia servaretur.*

Hercules lux Italiæ, decusque:
 Fraudis expertem, & sceleris fuisse
 Rebus in duris homini est malorum
 Dulce levamen.

Carcere in tetro licet ipse claudat,
 Nostra mens nullo trepidat timore,

Nec vigil somnos mihi cura rumpit
Nocte silenti.

Nam meus curis animus fugatis
Conscius recti sibimet quiescit;
Se simul vestra recreatus aura
Erigit audax.

Tu mihi adspiras, & ades secundus,
Et mihi presso mediis tenebris
Gurgite in vasto tua certa lucem
Stella ministrat.

Emicat virtus tua parte ab omni,
Undique apparent mihi signa amoris,
Quæ meo semper solide manebunt
Pectore fixa,

O mihi saltem solitos liceret
Ferre pro tantis meritis labores,
Quos patris Minci nitidis ab undis
Aspicis æquus.

Sed fores obstant mihi gestienti
Debito fungi officio: morantur
Non tamen postes validi, nec ulla
Vincula mentem.

Illa non tardo pede transit atri
Carceris limen, celerique penna
Transvolat campos, fluviisque, & altos
Libera montes.

Hac ego absenti tibi semper adsum,
Et tibi dulci famulor labore,
Dum meis vestras meditor Camœnis
Condere laudes.

Te canam sacris studiis urgentem,
Queis bonus formas populum, patresque,
Teque majorum genitum vetusto
Sanguine Regum.

Teque depulsa ambitione toto
Corde spernentem meritos honores,
Dulcia & portis penitus reclusis
Otia amantem.

Mentis argutum memorabo acumen,
 Quo potes caussas aperire rerum,
 Inque sublimis penetrare cœli

Aurea tecta.

Te beant donis superi trecentis,
 Nos facis donis totidem beatos,
 Quos regis leni imperio, aureisque

Moribus ornas,

Mantua en omnes caput inter urbes
 Italas effert, fruiturque læta

Pace, dum Mavors alias, cruento

Territat ense.

Tu pater certe es patriæ, atque rector:
 Creditam navem tibi namque portu
 Sistis, hinc quamvis Coreas, fremensque

Hinc ruat Eurus.

Tuque commissum pecus e periculis
 Eripis cautus, licet ore sicco

Acer huc illuc lupus usque circum

Curset ovile.

Maximus laudum cumulus tuarum
 Se obiicit semper mihi te canenti,

Et mei cymba ingenii gravatur

Pondere iniquo.

Te tamen nostro; ut potero, libello
 Inferam, atque una tua facta texam

Ne meæ tanto careant honore, &

Nomine chartæ.

Tu mei curam memorem reserva
 Interim rerum ô columen mearum:

Nec minus nostræ tibi sit salutis

Parvula cura.

In aquam Virginem.

Fons qui virgineo fulges spectabilis ore,

Et Tiberim rursus per vada nota petis,

Tolle caput, tibi Roma venit lætissima mater

Obvia, quem raptum fleverat ante sibi.

Teque sinu jam jam excipiens, nova pectore sentit
 Gaudia, & adventu jure superba tuo est.
 Tu decus antiquum, tu priscos reddis honores,
 Pluraque das nobis commoda, plura feres.
 Instar enim fluvii curris per strata viarum,
 Et vitreis erras conspiciendus aquis.
 Ludis & in gremio matris, lymphaque salubri
 Abluis e nostro frigidus ore sitim.
 Dumque levi revocas fugientes murmure somnos,
 Jam confecta gravi corda dolore levas.
 Hac iter æternum ut facias, tibi candidus hædus
 Flore coronatos corruet ante pedes.

Epistola.

Dum Lycus à patriâ digressus tendit ad urbem
 Hoc faciens iter, invisit me dulcis amicus,
 Et mecum bidui spatium consumpsit, ut artus
 Igne relaxaret confectos frigore, & ævo,
 Utque viæ durum mox posset ferre laborem.
 Excepi lætus: de multis multa locuti,
 De te præsertim, cum sis mihi carus & illi,
 Te mihi narravit præfixum vulnere amoris
 Sub vetulæ imperio meretricis degere vitam,
 Teque indigna pati: fastus tolerare superbos
 Illius, & multas sine somno ducere noctes:
 Et tibi sæpe genas guttis manare, nec umquam
 Apparere tuo risus vestigia vultu.
 Obstupui, & dolui, cum te non carior alter
 Sit mihi, colla jugo nunc te submittere amoris,
 Cum tua jam mores alios efflagitet ætas.
 Nondum igitur te longa dies cognoscere casses
 Edocuit, quos ante pedes tibi callida tendit?
 Nec dum artem, qua te miserum deludit amantem?
 Cum faciem nigram fuco convertit in albam?
 Nec nucis agnoscis tinctos modo cortice canos?
 Constatasque dolis lacrimas, quas exprimit usque
 Dum digitis oculos terit? & suspiria ab imo

Pectore ficta trahit, queis tecum subdola certat,
 Dum tu non ficto suspiras stultus amore,
 Et tua non falsis madefiunt fletibus ora?
 Ah miser hanc cumulas argenti pondere, & auri
 Illacrimans, lectisque rubro de gurgite conchis;
 Dasque gregem comitum, quas India tosta colorat;
 Atque preces addis lacrimas ut mittat, & omnem
 Trititiam, & vestræ res sint in amore secundæ,
 Illa sinu in tacito gaudet, furtimque cachinnat,
 Et carum magis esse suis te jurat ocellis:
 Utque sui memor esse velis te voce precatur
 Supplicæ: cum vigilas, & cum tua lumina condit
 Somnus, ut occurrat menti tua semper imago.
 Teque rogat lateri affixus sis omnibus horis,
 Ne Thais te blanditiis a se abstrahat ulla.
 Testaturque Deos, atque alti sidera cœli,
 Non donis te posse suo de corde revelli,
 Non prece, non lacrimis, magica non arte, nec herbis,
 At majora tuis si quisquam munera præbet,
 Te subito excludit, potiorque est alter amator.
 Sed promissa fides ubi sit si quæris, inulta
 Ferre ait hæc ventos vacuas periuria in auras.
 Hinc lacrimæ, hinc gemitus, rabiesque immentia, furorq;
 Hinc miser ante fores, foribus mala multa superbis
 Ingeris, & paulo post ipso in limine supplex
 Spargis odoratos flores, atque oscula figis,
 Te sæpe incusans quod verba minantia postes
 Jecit in adversos tua vox expressa dolore.
 Tu ne igitur spatium vitæ famulaberis omne?
 Et patieris opes, quas jam peperere parentes
 Sudore ingenti, meretricem absumere avaram?
 Et virtute tibi quæsitum demere honorem?
 Heu nescis quod dulce magis nunc melle videtur,
 Mox fore felle tibi (nec fallor) tristius ipso.
 Et quanto magis ipse bibis, sitis arida tanto
 Te magis exurit, siccis & faucibus angit,
 Nam flammis alimenta tuis improvidus affers
 Semper inexpletæ Veneri nova pabula præbens:

Unde magis fervet corde, & fornacibus ignis.
 Ah quanto est fatius nervos te intendere, ut istum
 Eiicias ardorem animo, quam vivere vitam,
 Quæ magis, atque magis succendat mente furorem.
 Difficile est [fateor] subito & radicitus omnem
 Extirpare tuo quæ insedit pectore pestem:
 Non desperandum tamen est: ratio omnia vincit.
 Cui si præbueris faciles (ut te decet) aures,
 Inde pedem referes, quo se tuus impulit æstus,
 Illa tibi monstrabit iter, mentemque tenebris
 Eripiens circumfusis, te in luce locabit.
 Eia age te ex alto jam tandem collige fomno.
 Audacterque jugo jam fortis subtrahe colla:
 Ipsa dat ingentes ratio tibi vivida vires.

Ad Clementem Pont. Max.

Parce metu, & lacrimis, pater ô sanctissime; Roma,
 Omnia quæ potuit vincere, vincet aquas.
 Non flammæ, non tela illam, non aëris aura
 Corrupta, aut sterilis perdere gleba potest.
 Quod deerat, fluvio obruitur: caput extulit undis
 Illa tamen, viso teque refluxit aqua.
 Salve, Roma, Deûm certe domus, irrita quando
 In te arma, & frustra cuncta elementa ruunt.

De Roma aquis obrutâ.

Cum Romam adspiceret tantis involvier undis;
 Neptunum dictis sic Venus adgreditur:
 Nonne satis ferro & flammis periuria Trojæ
 Ultus? aquis miseros insequeris cineres?
 Ille autem: Juno aërias quæ temperat oras
 Aula nefas, pluviâ Tibridis auxit aquas.

De Junone.

Summerfam penitus fluvio Saturnia Romam
 Vidit, & irridens talia dicta dedit:
 Nequidquam Æneas Troja ex ardente receptos
 Jactat, si Phrygios obruit unda Deos.

De Phyllide & Lyfo.

Hanc gemmam, mea mi, Phyllis cum traderet olim;
 Hæc dicta, & dictis oscula mista dedit.
 Cor tibi jampridem, atque animam, & nostra ista labella,
 Sunt data: quod reliquum est, nunc cape, Lyse, oculos.

Lyfus.

Hoc mihi munus amor misit meus, & simul ista,
 Quæ tulit illius nomine verba puer:
 Ut te perpetuum videant, quibus invidet ipsa,
 Hos tibi dat Phyllis, lux tua, Lyse, oculos.

Idem.

Hanc dono mihi dat gemmam mea Phyllis, & addit
 Verba magis tanto munere cara mihi:
 Te solum ut spectent, quando ipsis cetera sordent
 Hæc mea, amore tui, lumina capta, cape.

De Lyco.

Forte Lycum Hippolyta e specula qua stabat amantem
 Demisso gelidæ sparferat imbre nivis.
 Ille oculos tollens: sero hæc medicina paratur:
 Sunt mea jampridem viscera facta cinis.


In mortem Petri Bembi.

Morte tuâ fluxit lacrimis & Tiberis, & Arnus,
 Bembe: sed Aoniis aruit unda vadis.

Ad eundem.

Bembe jaces: Musæ tecum periire Latinæ,
 Et Tuscæ, & Venetum concidit Historia.





HIPPOLYTI CAPILUPI

MANTUANI,



Ad Bernardum Tassum,

JAm pridem cupio splendida Caroli
 Nostris acta modis dicere Cæsaris :
 Sed me copia rerum
 Et pondus grave territat.
 Illarum cumuli se mihi plurimi
 Scribenti obiciunt; non secus ac citâ
 Nautæ puppe secanti
 Ægeum mare, Cyclades.
 Non hæc conveniunt alta rati æquora
 Nostræ, remigiis omnibus, & duce
 Nudæ: queis sine tantos
 Æstus ferre nequit freti.
 At quis navigii non rudis artium
 Se tam vasta maris mittet in æquora?
 Necnon undæ que laudum
 Magnis turgida fluctibus?
 Quis dignè poterit carminibus suis
 Tanti facta viri scribere? bella quis
 Tot confecta, subacta &
 Regum colla potentium?
 Adjunctasque novas imperio insulas,
 Extremi positas Oceani in sinu?
 Quas numquam prius audax
 Mercator tetigit rate.
 Quis nuper domitos, vix superabiles
 Thracas? Pannoniæ qui intulerant metum,

Quos

Quos hic nomine, & ipso
 Adventu dedit in fugam.
 Ut venti validi vis facile aëre
 Collectas nebulas dissipat, & diem
 Cælo invec̄ta sereno
 Sublatam ex oculis refert:
 Cæsar non aliter consilio potens,
 Confertas acies dispulit hostium:
 Discussitque tenebras,
 Lucem Pannoniæ inferens.
 En soles populis splendidius nitent,
 En jam fertilior frugibus est Ceres,
 Pleno & Copia cornu
 Apparet jam opulentior.
 En Pax arva colit, grataque Faustitas,
 Securisque humili rusticus in casa,
 Fretus farris acervo,
 Large ligna foco ingerit.
 At, si illum agri odium mox capit, atque amat
 Mercator fieri, per maria ultimos
 Navi accedit ad Indos,
 Currrens tutum iter, & patens:
 Nec solus rapidas incidere in manus
 Prædonum timet; his nam freta libera.
 Proh Dii, quam bona nobis
 Cæsaris virtus attulit!
 Terras moribus ornavit, & omnia
 Erasit scelera, & frena superbiæ
 Injecit, docuitque
 Justum quid deceat virum.
 At quo oblita tui Musa, ruis procax?
 Quin inflata nimis contrahe, contrahe
 Vento vela potenti, &
 Te in portum cita conice.
 Culte ô Tasse, tui viribus ingeni
 Aptæ est materia hæc, atque laboribus.
 Te non lucidus ordo,
 Non facundia deseret.

Ergo fume tibi scribere Cæsaris
 Laudes, & numeris non humilis lyræ
 Famam extendere, tellus
 Quacumque est habitabilis.
 Dum immortale sonans grandia concines,
 Exacto tenui pumice carmina
 Nostri ruris honores,
 Et fontis referam sonum.

Ad Pium III. Pont. Max.

Cum solus meditor, maxime principum,
 Quot tu sustineas mente negotia,
 Et curæ tibi circum
 Quam magnæ saliant latus:
 Sic mecum tacitus: Ni tot in arduis
 Rebus ferret opem, qui regit aurea
 Solo sidera nutu,
 Jam fessus rueres, senex.
 Hinc tu sollicitus, Concilii caput,
 Curas, ut statuant jura patres sacra;
 Necnon sedulus urbem
 Formas legibus aureis.
 Hinc, dum tincta suo sanguine Gallia,
 Et projecta tuos ante pedes refert
 Divum diruta templa,
 Ingens te dolor opprimit;
 Nec vultus lacrimis sæpe caret tuus
 Cum regni retegat vulnera nobilis,
 Quod gens impia perdit
 Diris seditionibus.
 Quid dicam Juvenem carmine lugubri,
 Qui non parva tuæ spes fuerat domus,
 Quem mors pallida nocte
 Heu heu perpetua premit?
 Ut fratri periit, sic tibi flebilis.
 Vester sanguis erat semper amabilis;
 Lenibatque labores

Vestros alloquiis suis.

Quid Colmi memorem funera filii?

Auxisti propriis quem modo honoribus;

Qui non carior ipsi

Patri, quam fuerat tibi.

Inter tot varias sollicitudines,

Inter tot lacrimas tu tamen, ô Pie,

Magno pondere rerum

Numquam victus humi cadis,

Ut navis rapido se obijcit æquori,

Rectore, & validis fræta rudentibus,

Et spernit maris æstum,

Et nigri rabiem Noti:

Sic tu, Sancte Pater, sponte laboribus

Offers te innumeris, sint licet ardui;

Fidens arte magistri,

Qui nos omnipotens regit.

Nec te res variæ, atque innumerabiles,

Quæ circumvolitant assidue, obruunt:

Quin tu ducis ab ipsis

Vires usque negotiis.

At nonnulla tamen sit requies tibi.

Cessavit quoque, postquam æthereas domos,

Terras, aëra, & undas,

Mirum fecit opus Deus.

Confectus senio respice jam tuam

Ætatem, & juvenis Carolus ut senem

Te majore laborum

Jam parte exoneret, sinas.

Huic arcana tui pectoris intima

Committis merito: huic ingenium, & fides,

Quâ non candida Luna

Cælo splendidius nitet.

Atque aures faciles hujus, & atria

Alta, ut divitibus, pauperibus patent.

Certe hic numine sancto est

Nobis missus ab æthere:

Ergo, Tibri, caput jam altius efferas:

Nam

Nam regnante Pio, & sospite Carolo,
 Ganges vortice, & Indus
 Pontum te minor influet.
 Et Romana colet templa; nec amplius
 Leges Concilii Gallia respuet;
 Nec Germania rumpet,
 Aut edicta Britannia.

Ad Herculem Gonzagam Card.

Gonzaga e veteri stirpe potentium
 Regum nate, Pius quam tibi credidit
 Jussu Regis Olympi
 Salvam restitues ratem.
 Vires ipse tibi, & consilium Deus
 Præbet, quo valeas æquoris omnia
 Effugisse pericla,
 Ventorum & rabiem, & minas.
 Hinc Syrtes licet, hinc Acroceraunis,
 Dum curris tumidum per mare, mugiant,
 Et caligine cæcâ, &
 Nimbis fluctus inhorreat:
 Patris summa tamen te sapientia,
 (Quæ vere tenebras discutit, & domat
 Ponti monstra profundi)
 Infidum per iter regit.
 Quem fers assidue, plurimus est labor,
 Et pondus, fateor, vix tolerabile;
 Quod jactantibus Euris
 Navim per freta sustines.
 Perfer, non facili scandere tramite
 Montem fas homini, sole ubi clarior.
 Virtus tempore in omni
 Certis fulget honoribus.
 Sic multa ipse etiam pervigil Hercules,
 Cuius nomen habes, aspera pertulit:
 Cum magnis sibi factis
 Æternum peperit decus.

Nam mala Hesperidum non piger abstulit ;

Et centum dormita est Hydra periculis ;

Cui par altera jam jam

Dextrâ pressâ tua cadet .

Et jam parta tuis poma laboribus ;

Quæ serpens vigili tumine , fauceque

Servat semper hianti ,

Ad dulces referes lares :

Et virtute Pii , & Concilii , & tuâ ,

Depulsis præcul hinc relligionibus

Falsis , Roma refurget

Longe pulchrior in dies .

En secura tuo præsidio volat ,

Puppis per liquidas Oceani vias ,

Spretisque omnibus undis ,

Jam portus subit hostium .

Huic cedat celebris navis Jasonis ,

Quamvis vellus ovis vexerit auræ ,

Et fulgentia cœlo

Inter signa renideat .

Hæc , lustrata Dei lampade maximi ,

Cunctis splendidius sideribus micat ;

Et fert , nocte fugatâ ,

Nobis perpetuum diem .

Nec Typhis , pelagus qui trabe nobili

Olim audax secuit , se tibi comparet ;

Non tot fluctibus actus ,

Non tantis spoliis gravis

In portum rediit , Tu superans fretum ,

Quod præter solitum murmurat , & fremit

Tuto littore sistis ,

Reddisque incolumem ratem :

Et vises patriam divitiis potens ,

Quas non dives Arabs , non Tagus aurifer ,

Non dat terra Sabæa ,

Nec rubrum mare possidet .

*De pace inita inter Philippum & Henricum
Reges.*

Alma Pax, tandem tenues per auras
Explicas pennas veniens olympo,
Fers & optaram requiem laborum
Aurca terris.

Huc ades nostras miserata cædes,
Quis adhuc agri recalent cruenti,
Et rubent lymphæ fluviorum, & alti
Marmora ponti.

Cuncta sed jam te redeunte rident,
Cuncta mutantur, viret ipsa tellus,
Enitent fontes, fluvii, lacusque
Et salis undæ.

Tu, velut sol ætheris, resulges,
Et diem reddis tenebris fugatis,
En niger belli timor hinc refugit,
Luctus & omnis.

Nulla flens uxor revocat maritum,
Signa dum Martis sequitur, nec ulla
Filium mater mediis in armis
Deflect ademptum

Puppe mercator liquidas per undas
Æquoris currit gravis ære, & auro:
Nec tamen prædo ferus ullus illi
Se obvius offert.

Jam capit tutus requiem colonus
Paupere in testro, patriosque campos
Vomere exercet, fruiturque pace
Pacis amator.

Militum jam jam galeas, & enses
Occupat turpis situs: at renidet
Trita falx usu assiduo; atque læve
Splendet aratrum.

Hoc tibi acceptum referunt agrestes,
Galliæ Rex, atque tibi, Philippe:

Qui

Qui tot Europæ populos gubernas
 Æquus, & Indos.

Munus hoc vestrum est, odioque, & irâ
 Mente depulsis, positis, & armis,
 Fœdere & juncto revocastis alto ab
 Æthere Pacem.

Pace quis jam compositâ timebit
 Amplius Thracum celeres sagittas?
 Quisve jam magnas equitum catervas?
 Quisve triremes?

Regna sunt vobis opibus referta,
 Notaque in rebus dubiis juvenus:
 Pectus est vobis, animique virtus
 Nescia vinci.

Quæ modo invicti posuistis arma,
 Rursus audentes capite; atque in hostem
 Nominis nostri, & fidei secundo
 Verrite Marte.

Hac iter vobis erit ad beatas
 Ætheris sedes. superumque mensis,
 Et choro accepti ferietis altum
 Vertice olympum.

Ad Lycorim.

Æthera sol rapido percurrens aureus axe,
 Horæ momento datque, adimitque diem.

Tu nos argutis percurrens aurea ocellis,
 Horæ momento dasque adimitque diem.

Hinc se felicem dicit, quem lumine lustras;
 Quem spoliâs, miris se miserum esse modis.

Sol varios flores è pratis elicit; at tu
 Divinos sensus elicis ex animis.

Inter sidereos unus sol enitet ignes,
 Inter virgineos tu quoque sola choros.

Ergo tibi, & soli si par concessa potestas;
 Sol alter nobis, pulchra Lycoris, eris.

Ad Carolam IX. Galliarum Regem.

Qui tibi sæpe dolos struxit, qui vincla paravit,
 Tu puer in laqueis induis arte senem.
 Utque manu Alcides pressit fera cornua tauri,
 Sic premis illius colla superba pede.
 Et telis Pythona trutem, velut alter Apollo,
 Qui tua vastabat regna opulenta, necas.
 Nunc florent, tolluntque caput tua lilia; & astris
 Clarius, hostili tineta cruore micant.

Ad Federicum Pendasium.

Pendasii amicis omnibus carissime,
 Quid usque libtis involutus, nunt agis?
 Causas ne rerum in luce clarâ collocas
 Scriptis opacâ nube nobis abditas?
 An sidera extra mente tendis altius,
 Scrutans sacrata per vigili volumina?
 Mihi relatum est, te polire pumice
 Quendam libellum, quem diebus proximis
 Texisti & arte, & ingenî vi maximâ.
 Mirum nec ulli: nam perennes evomat
 Cur Ætrâ flammâs noscis, & quò fulmina
 Pacto creatâ ex arce cœli decidant.
 Et unde flabris vexet Auster æquora,
 Suisque Pontus sinibus non exeat.
 Nec quidquam in atrâ condidit caligine
 Natura rerum, quin tibi sit cognitum,
 Possisque verbis explicare candidis,
 Seu vis Latinis, sive maioris patriis.
 His te decorum, & præditum virtutibus
 Mirantur omnes, & beatum existimant.
 At mihi vidèris esse Divis proximus,
 Chorisque eorum jure dignus inferi,
 Quòd nullus auri pondere, aut honoribus
 A recto, & æquo te potest deducere.

Quòd

Quòd tu timore mortis, ipso a tramite
 Virtutis unquam non recedis avius;
 Quòd omnibus sis dulcis, atque amabilis
 Tuo lepore, & comitate, & moribus.
 Hæc illa victus, quæ me amicum reddidit
 Tibi, facitque, ut unicè te diligam,
 Optemque tecum vivere, ut tuæ fruam
 Mentis nitore, & aureis sententiis,
 Quas fundis ore, in quo repletæ floribus,
 Puroque rore mella construunt apes.
 O me beatum, si mihi fas, leniter,
 Quod restat ævi, tecum amice degere!
 Sed ipsa quando nunc meis necessitas
 Adversa votis me tenet, quin advolent
 Ad te repente; sis mei non immemor,
 Mihi que amore [quod facis] respondeas,
 Vivaque felix cum tuorum copiâ
 Librorum, amici qui tibi sunt optimi:
 Tuisque sæpe me revisas litteris,
 Quibus mihi esse nil potest jucundius.

Ad Antonium Janottum Episc. Foroliviensem.

Janotte, nullus quo mihi jucundior,
 Qui temperare acerbis temporibus
 Tuo lepore, & suavitate es efficax,
 Fixasque curas mente amici avellere;
 Jam me revise: quid moraris amplius?
 Siccæ recessit stella jam Caniculæ,
 Et blanda mordent leniter nos frigora,
 Nec pulvere ullo sordida aut luto est via,
 At pulchra, & ampla, parsque adhuc virentibus
 Obtesta quercus hic & illic frondibus.
 Nec obstat ipse cui libens obtemperas
 Julius, urbis lumen, atque orbis decus,
 Quin te relaxes occupationibus,
 Ut nostri amoris perfruamur fructibus.
 Ni me revises, jam furentem senties,

Passim & replentem voce campos horridâ,
 Velut leonem; qui cætello mitior
 Ludit Pitauri cum puerulis, & silet;
 Vinculisque liber ferreis, & carcere,
 Non figit ullum dente duro, aut unguibus.
 At derelictus solus a turba, fremit;
 Caudâque terram sapius ferit ferox;
 Irarum & æstu concitatus perfurit.
 Amariorem non senectus me facit,
 At ipsa solitudo; quâ nil tristius
 Effudit urna, quæ intulit mortalibus
 Quicumque tentant nostra morbos corpora.
 Hic elegantes sint licet multi viri,
 Et litterati, & præditi virtutibus,
 Quois cum libenter temporis partem tero
 Sermone dulci; non tamen sic intimus
 Nobis eorum quisque, ut illi credere
 Alta latentes mente sensus audeam:
 Hoc esse videor mancus, & solus mihi.
 At arcta tantum sunt amoris vincula,
 Quæ nos peractis quinque lustris vinciunt,
 Tuique mores sic meis consentiunt,
 Ut unus ipse turba mi sis maxima,
 Vitamque tecum dulce sit traducere,
 Tibique nostro corde pressa pandere.
 Quid in secundis est amico suavius,
 Qui cum joculari & perfrui possis bonis?
 Quid rebus illo in asperis optatius?
 Qui consulendo te jacentem sublevet,
 Curasque amaras comitate leniat?
 Exoptet alius plena farris horrea,
 Et mille septus ambulet clientibus,
 Magnisque rerum copiis circumfluat
 Auro, & smaragdis impeditus tempora:
 Janotæ, tecum sit mihi fas vivere:
 Seu rure læto in otio, seu turbidos
 Inter tumultus urbis, in negotiis.
 Ubique nobis suavitatis plurimum.

Affert vetustas nostri amoris murui,
 Et acta vita pariter procul dolis,
 Risusque ab omni parte liberalibus
 Joci severa condientes, & sale;
 Novique semper causa nobis gaudii est
 Rerum memoria, quas simul tractavimus;
 Nec non laborum, quos diu subivimus
 Jactati ab aulae saepe nigro turbine,
 Dum puppe eadem vesi in altum tendimus,

Ad Jo: Franciscum Pasqualinum.

Amice candide, & mihi carissime,
 Quem sum fidelem expertus in periculis,
 Meisque rebus prosperis dulcissimum.
 Magis beatus mi videris omnibus
 Quicumque in urbe, Pasqualine, vivimus.
 Praesens & acta vita cognita est tua,
 Tuique sensus non mihi reconditi.
 Vixisti honestis semper in negotiis,
 Prudens, apertusque ut virum probum decet,
 Nec ulli acerbus, aut molestus, aut gravis:
 At nunc solutus omnibus curis, tibi
 Vivis, nec aurum te, aut honores detinent,
 Quos obtulere sponte amici & sapius,
 Quin destinatum persequaris otium.
 Recte beatus tu potes vocari:
 Nam mortis inclementiae non immemor,
 Quae dura nos vel oscitantes opprimit,
 Freno & catena spiritum domas tuum,
 Nec ampliare rem laboras amplius:
 Sed quod parasti, eo libenter uteris.
 Non te catinum lucidum magis vitro,
 Salisve puri pulchra concha deficit,
 Nec te minister, qui salubres colligat
 Herbas, & arte non sueta condiat:
 Tibique mensa strata semper floribus
 Ridet, nitetque, ut prata veris tempore

Jactatque odores hinc & hinc suavissimos.
 Nec vina defunt poculis spumantibus,
 Quæ iassa possunt recreare corpora.
 Abest nec hædus, nec canistra dulcibus
 Repleta pomis, quæ dat arbor fertilis.
 Hoc apparatu sæpe amicos accipis,
 Quorum lepore captus oblivisceris,
 Quæcumque nobis vita fert incommoda.
 Nec æqua mens in asperis rebus tibi,
 Nec deest secundis: hæc quietis est caput:
 Hæc te beatis regibus parem facit.
 Tu semper idem: sive te furentibus
 Impelli ab Euris huc & illuc cernimus,
 Seu tutum ab atro turbine ævum degere.

Ad Carolum IX. Galliarum Regem.

Fortunate puer, paret cui Gallica tellus,
 Quique vasros ludis pervigil arte viros.
 Ille tibi debet, toti qui præsidet Orbi,
 Cui nihil est cordi religione prius.
 Namque tuis jussis divum contempтор, & armis
 Concidit, & sævis nunc jacet eica lupis.
 Sic templis quem longa dies, quem injuria honorem
 Abstulerat per te reddidit una dies.

Ad Joannem Austriacum.

Te pater aspiciens ex alto Cæsar olympo,
 Æquoreum celeri dum trabe curris iter:
 Perge Puer, dixit, nec te jam barbara classis
 Terreat. adverso que movet arma Deo.
 Ecce tuam circumvolitat victoria puppim,
 Ecce suas ponunt Eurus, & unda minas.
 Macte animo: ut dederam terris ego jura subactis,
 Sic tibi devictis serviet æquor aquis.

Ad Venerem.

Cypria, seu celeri veheris super æthera conchæ,
 Sive Gnidi niveo nunc premis arva pede:
 Aspice ut Ægæis exultans barbarus undis
 Auferat e diti rapta trophæa Cypro.
 Ille tuos populatus agros, tua regna superbus
 Jam sibi terrarum cuncta subacta putat.
 At tumidum tu merge fallo, & da piscibus escam,
 Nam potes: è rapido tu Dea nata mari es.
 Et Boreas paret tibi Amoris faucibus arcu;
 Saucius & pelagi Rex tua iussa facit.

Ad Vincentium Gonzagam Mantue Principem.

Dum petis, alta sacri tenero pede culmina Pindi,
 Ex quo te dulci voce Thalia vocat.
 A Crotto ne flecte aciem, fate sanguine Regum,
 Ardua qui tutum per juga monstrat iter.
 Neu labor a tantis ullus te terreat ausis,
 Ecce tibi e summo gloria monte nitet.
 Illa dies noctesque tuum vigilare Maronem
 Jussit, ut egregia fingeret arte modos.
 Illa tuum toties Ferrandum frigus, & æstum,
 Et grave Mavortis ferre coëgit onus.
 Te quoque multa decet tolerare, ut versibus illi,
 Huic armis similis, clara per ora voles.
 Non honor est facili legisse e colle coronam,
 Nec præda exiguo parta labore juvat.
 Ergo vigil decerpe senis dicta aurea Homeri,
 Sicut apis flores quæ legit ante diem.
 Et radio metire solum, stellasque, globumque
 Solis, & ingentis littora curva maris.
 Utque Jovis celeri volucris fecat aëra pennâ,
 Sic mente æthereas tu quoque curre vias.
 Jamque frementis equi preme terga superbus, & aude
 Dente feros hasta sternere parvus apros,

Alci-

Alcides etiam geminos puer impiger angues,
 Dum tumidi tollunt fibila colla, premit.
 Sed colere imprimis ex toto corde potentem,
 Disce Deum, & leni nos regere imperio.
 Nunc studia hæc cordi tibi sint: at pulchra Juventus,
 Vestierit primo cùm tibi flore genas,
 Tunc in bellâ rues, Thracasque animosus in hostes,
 Et dabis adversis pectore, & ense neci.
 Et spolia in patriam magnis quaesita periclis,
 Oceano, & terra Marte favente, feres.
 Tunc ego, si dederint tantis superesse triumphis
 Fata mihi, numero te graviore canam,
 Interea hoc exile mei cape pignus amoris
 Carmen, & inceptum perice lætus iter.

Ad Joannem Austriacum.

O decus Europæ juvenis, qui sanguine cretus
 Cæsaris, audaci nunc freta classe fecas.
 Jam cape tela manu, teque aude credere pugna;
 Cuncta tibi cœli signa secunda favent.
 Nullaque jam pluvias avis increpat ore morantæ,
 Nec turbata Notis amplius unda tumet.
 Et turpi dat terga fugæ perterritus hostis,
 Qui videt imperium te penes esse freti.
 rumpe moras, & vince mari felicibus ausis;
 Nullus erit terras mox domuisse labor.
 En tibi Roma parat, terrâ, pontoque subacta,
 Augustum duplici cingere fronde caput.
 Jam venias, divûmque sacris infige columnis
 Victor in Ægæo parta trophæa salo.
 Et Grajo domiti in campo spolia ampla Tyranni,
 Puppe coronatâ per maria alta vehas.
 Huc etiam tuus evictis pater inclitus Afris
 Aurea de Lybiæ littore dona tulit.
 Et meritâ ornatus, populo plaudente, coronâ,
 Hac niveo incessit sæpe superbus equo.
 Felices ambo! nam te quoque læta fovebit
 Jure triumphantem Martia Roma sinu.

Illa tuos numquam cessabit tollere honores
 Laudibus, & nomen voce iterare tuum.
 Cum te victorem exuviis Orientis onustum
 Cernet, & ante tuas oppida capta rotas.
 Hæc inter, Paphon agnoscat, bimaremque Corinthon,
 Et Gnidon, claram sole nitente Rhodon:
 Et loca sacra tuo nobis quæsitæ labore
 Suspiciet, quondam sanguine tincta Dei:
 Spectabitque suo currentem mollius Indum
 Flumine; nam victis per vada serpet aquis,
 Brachiaque evinctos Thracas post terga videbit,
 Atque Deo captas mille favente rates,
 Quique erat Italiæ populis modò terror, & horror,
 Adspiciet dantem colla superba jugo.
 His oculis pascens, mirabitur inclita Roma
 Magni facta patris te superasse tuis,
 Ille dedit terris leges victricibus armis
 Notus & Eois, notus & Hesperiiis.
 At tu (sic placitum superis) felicior illo,
 Et pelago, & terris aurea jura dabis.

In Innocentes Martyres.

Infantes pueri vos licet è sinu
 Materno eripiat gens fera, & impio
 Vos sternat gladio, ut dente lupi secant
 Raptas a stabulis oves:
 Vestro vestra tamen pectora sanguine
 Perfusa innocuo, clarius emicant.
 Quàm lunæ nitidæ cornua, cum vagi
 Solis lumina colligunt.
 Adjunctos numero cœlicolum, suis
 Vos lustrat radiis qui regit omnia,
 Et vobis solidæ munere gloriæ
 Donat pro nece perfrui.
 Felices animæ! vos jubar additis
 Signis æthereis, & superûm choris.
 Sic gemmæ pateris dant decus aureis;

Fulgentique rosæ vitro,
 Ad vos, o pueri, confugio senex
 Ut victus prece vestra omnipotens pater,
 Æterno accipiat me gremio, nigras
 Cùm mors iniiciet manus.
 Quamquam purpureis elere adhuc labris
 Nesciris teneri mente latentia:
 E cælo tacitas ille tamen preces
 Vestras auribus hauriet.
 Mistus lacte cruer, quo rutilat solum,
 E vestris roseis dum fluit oribus,
 Se se tollet humo, vox veluti levis,
 Et summum feriet polum.
 Pro Christi imperio, & nomine qui sua
 Supponunt rigidis colla securibus,
 Extincti veniam sanguine supplici
 Nobis a domino impetrant.
 Vos ergo ante Dei suppliciter pedes,
 Abscissi validis membra bipennibus,
 Mecum cordæ preces fundite: parvulis
 Nam magnus Deus annuit.
 Præ tantis meritis vos ego carmine
 Nunc dicam patrio, nunc Latio canam,
 Cùm terras rutila sol tetigit face,
 Cùm nox in tenebris silæt.

Ad Romam, de Hortis, qui vocantur vulgo Belvedere.

Salve Roma, Pii magnis decorata triumphis,
 Illius & larga facta beata manu.
 Nunc merito caput extollis, modo mœnibus aucta,
 Tutaque, & egregiis conspicienda viis.
 Et merito iactas educta Palatia cælo,
 Et nuper miris structa theatra modis.
 Hæc centum cumulata bonis ad sidera surgunt,
 Divitiisque novis jure superba nitent.
 Hic signa, hinc statuas cernes, & fronte columnas,
 Quæis magis haud usquam lucida gemma micat.

Hic

Hic quoque pervigili quondam servata dracone
 Aurea dat nobis mala beatus ager :
 Et totus virer assidue florentibus herbis ,
 Semper & Assirio fragrat odore locus .
 Hic etiam volucrum cantus bibis aure canoros ,
 Et potes hic vitreo pellere fonte sitim .
 Pulchrius hoc pulchro adpectu nil vidimus umquam ,
 Non Sol qui lustrat lumine cuncta tuo .
 Non illis certare ausint opera ulla , vetusto
 Tempore quæ doctæ jam posuere manus .
 Salve Rôma iterum , jam te formosior ipsâ ,
 Possem utinam laudes concinuisse tuas .
 Sed quis tanta canet decori decora addita prisco ?
 Carmine quis dicet tot benefacta Pii ?
 Quis digne poterit Divum surgentia templa ,
 Monteque deductas scribere fontis aquas ?
 Quisve Pii magni dictam de nomine portam ,
 Formoso quæ nos excipit ampla sinu ?
 Quis referet tota ut fulvo lita fulgeat auro
 Regia ? & ornatus explicet aula suos ?
 Illa mihi ostentat distinctos marmore muros ,
 Quod nobis quondam Græcia victa dedit .
 Nostraque non vanis picturis lumina pascit ,
 Cum nos picta patrum splendida facta docet .
 Hoc Regis mirantur opus , qui numine sancto
 Huc ducti sacris oscula dant pedibus .
 Roma tibi Ægypti cedant miracula . & urbis ,
 Quæ stat in Adriaco tam veneranda mari .
 Nec certent , quæ nauta novo rate vectus ab Orbe
 Ante focum uxori , nocte silente , refert .
 Stes utinam æternum : & multos pater optimus annos ,
 Ut facit , egregia te Pius arte regat .

Ad Apollinem .

O Jovis magni soboles , decusque ,
 Crineque intonso & pharetrâ superbe ,
 Applices aures precibus benignas

Pulcher Apollo.

Sive Sol mavis nitidus vocari,
Sive Mens mundi, mihi dexter adfis.

Dum tuas ausus cecinisse laudes

Carmina condo.

Arte tu fanas medicus salubri

Corporum morbos; tibi nota quæque est

Herba: tu sortes regis, ac futura

Præcinis augur.

Tuque dum longe jacularis arcu,

Territas divos, hominumque cœtus,

At tuæ matris tacitam pererrant

Gaudia mentem,

Tu novem solus mod raris orbes

Siderum princeps, obiensque circum

Et mare, & terras, nitideque Olympum

Lumine lustras:

Sic novem præstans citharâ Camœnis,

Dum vagis plaudunt pedibus choreas,

Dulcia æterno modulata plectro

Carmina dicis.

Sic diem curru vehis, & silenti

Nocte mox celas, placide ut quiescat

Fessa mens curis hominum, & diurno

Membra labore.

Tum tuis contra radiis refulgens

Candidam Lunam mediis tenebris

Luce perfundis: nitet illa gaudens,

Splendet & una.

Lenta per te pampineis racemis

Uva dependens coquitur, rubetque

Purpuræ certans; tibi plurimum ipse

Debet Jacchus:

Quæque mortales miseros aratro

Arva defixo docuit movere,

Spemque præduri dare mox laboris

Semina sulcis:

Concipit per te genitale semen

Terra, dehinc alvum gravidam relaxans
Parturit fruges, variosque flores
 Fœta ministrat.

Hoc sciens, a te gravidas aristas
Expetit multis precibus colonus;
Ut queat natos teneros, senemque,
 Pascere patrem.

Supplices audi miseros agrestes,
Ne fame heu dirâ pereant, situque
Horreat campus, penitusque cesset
 Fructus aratri.

Tu quoque in Thracas metuendus arcu
Bella age, & morbos procul hac ab urbe;
Ut malis rursus redeant fugatis,
 Tempora in aurum.

Imminet pestis Latio, & ruina:
Jam ferus Mavors ruit huc cruore
Italo adpersus, nisi nos ab alto
 Adspicias æquus.

Eripe tanto Italiam periculo;
Julium serva innumeros in annos,
Cui data est rerum merito sacrarum
 Summa potestas.

Huc ades lauru caput implicatus:
Nos tibi sacras statuemus aras
Compotes voti, dabimusque sanctos
 Thuris honores.

Tum gravi taurus redimitus auro,
Cui breve erupit modo fronte cornu,
Dum satur lætis juvenescit arvis,
 Imbuet aras.

Ad Romam.

Ergo ego, qui a puero tot jam fugientibus annis
Roma tuo in gremio, rerum pulcherrima, vixi,
Jam senior numquam posthac te lumine cernam?
Ergo ego, Tibri pater, patrio mihi carior amne,
 Qui

Qui me post curas, & multa negotia lassum,
 Sæpe tuo leni recreasti murmure, & undâ;
 Nostra tuis numquam ponam vestigia ripis?
 Vita ubi fingebam mihi felsâ ætate beatam?
 Nec vos, ô septem colles, hortique revisam?
 In quibus ipse tener collegi sæpe nitentes
 Rore rosas, fecique novo de flore corollas;
 Pigra gelu, & squalens alibi cum terra rigeret?
 Non ager Assyrius vobis contendat odore,
 Parthenoque suis cedat bene olentibus herbis;
 Ver proprios quando vobis concessit honores.
 Nec vestris fruam, ô dulces ante omnia amici,
 Amplius alloquiis? quibus olim incommoda nostræ
 Speravi demens leniri posse senectæ?
 O fortuna potens, ut nos spe ludis itani,
 Cunctaque veloces (si vis) mutantur in horas!
 Afer, & Hircanus Romam colit, & colit Indus,
 Quique bibit Tanaim, quem sæva Britannia partu
 Edidit, & Tauri qui natus vertice montis.
 At nos quos utero mitis tulit Itala tellus,
 Sedula quos veluti nutrix modò Roma fovebat,
 Principibusque viris caros, nullique molestos,
 Cogimur heu miseri obscuris nunc vivere in oris.
 Omnia præ Româ loca consita nocte videntur.
 Nec vos o Thermæ, nec vos Capitolia, & alta
 Tempia Deûm, nec vos æquata Palatia cœlo
 Visere jam possum, sparsus modò tempora canis;
 Quæ toties ego sum primis ingressus ab annis,
 Et semper colui, & suspexi vester alumnus,
 Munereque insignis vestro, & decoratus honore:
 Nec tua, sancte pater, quæ nunc struis ampla theatra
 Metiri licet his oculis, nec monte salubrem
 Quam deducis aquam; nec sacras quas Pius ædes
 Ponis, & exornas fulgenti marmore & auro.
 Mœnia quid referam? quibus Urbem providus aures,
 Et quibus illa feros hostes circumdata temnit.
 Quidve Piam memorem portam? quid strata viarum?
 Quid decora usque tuis quæ sumptibus adiicis aulæ?

Me miserum, mihi si nunquam fas ista videre,
 Æternumque tuâ cogar, Pic, luce carere,
 Et Româ, præter solitum quæ pulchra renidet.
 Illa tuis radiis, Patrum & perfusa nitore,
 Quos virtus cumulat donis, atque induit ostro,
 Emicat, atque urbes superat vi luminis omnes;
 Sint licet illustres studiis, armisve superbæ.
 Aurea sic Phœbi restinguit sidera fulgor.
 Nos igitur procul à Româ caligine merfi,
 Ut lucem reddas, humili te voce precamur.
 Ipse, tuo sancto adspectu recreatus, & Urbis.
 Si mihi permittes pedibus procumbere sacris,
 Intexam præclara meo tua facta libello;
 Ni renuis parvo deducta poemata versu.
 Fortior & rediens huc nostro munere fungar
 Assiduè pascens, & curans pervigil agnos,
 Quos olim tua commisit mihi magna potestas,
 Cum Deus in summa meritò te sede locaret.

Pauli Manutii epitaphium.

Qui te, Paule, gemit, linguam gemit ille Latinam.
 Quos simul extinctos hic brevis orbis habet.
 Illa tuo stetit ingenio, & præstante labore
 Sustentata diu; teque cadente cadit;
 Et voluit, tecum quia multos vixerat annos,
 Tecum etiam hoc tumulo post tua fata tegi.
 Una fuit vobis fors vitæ, & mortis, & urnæ:
 Unus & ambobus plangor, & unus honos.

Petri Bembi epitaphium.

Quæ jam victa situ squalebat lingua Latina,
 Bembe, tuâ floret nunc bene culta manu.
 Quin deflorescit, modò te spoliata magistro,
 Postque tuos cineres, non velut ante, viget.
 En inculca tuum languenti flore sepulchrum
 Spargit, & incultis slet tua fata modis.

Epitaphium Christophori Columbi.

O Ligur, Italiæ decus, & lux certa, Columbe,
 Heu brevis extinctum te quoque testa capit.
 Te modo non potuit terras qui amplectitur omnes
 Oceanus, magno continuisse sinu.
 Illius es fines ultra rate vectus ad Indos,
 Quo prius haud pennis Fama tetendit iter.

Epitaphium Caroli V.

Carolus hic situs est, magnos qui sæpe coëgit
 Europæ reges subdere colla jugo.
 Qui Libyam domuit, Thracasque fugavit, & armis
 Adjunxit regnis Indica regna suis.
 Qui mox se invictum vicit; se fortior ipso,
 Cum spoliū spreuit, quidquid & orbis habet.
 Pulchrius, imperii se se spoliasse coronâ,
 Quam reges forti tot domuisse manu.

Epitaphium Henrici Gall. Regis.

Pro Gallis, Henrice, feros dum tendis in hostes,
 In latere hæserunt spicula nulla tuo.
 Dum pacem celebras ludis armisque, ruentis
 In te fracta tuum perforat hasta caput.
 Ah scelus! haud potuit te pax arcere periclo,
 Illa licet per te sit modo lapsa polo.
 Nec tua quæ forti servasti pectore regna,
 Servari a mortis te valere manu.

Ad Hippolytam Gonzagam Ferrandi filiam.

Hippolyta, extinctum jam desine flere parentem,
 Et pulchro roseas ungue notare genas.
 Non isti decorant genitus, lacrimæque sepulchrum;
 Non qui floridulo defluit ore cruor.
 At decorant cruor, & gemitus, quos edidit hostis,
 Qui cecidit toties illius ante pedes.

De Lycoride lætitiâ mortuâ,

Dessebat mater cari modo funera nati,
 Cui rigido Mavors abstulit ense caput.
 Improvisum illi se filius obtulit alter,
 Quem mersum Eridani fama ferebat aquis.
 Ut vidit natum incolumem, quem fleverat olim
 Amissum, subito concidit exanimis.
 Sic periit vi lætitiæ semel icta Lycoris,
 Quæ nequirit gemino fixa dolore mori.

Epitaphium Julii Cesaris.

Qui modo inauratis Capitolia ad alta quadrigis
 Vectus, & Eoos rexit, & Hesperios,
 Ecce cadit Cæsar, transfossus pectora ferro,
 Et simul e dextrâ sceptrâ superba cadunt.
 Umbra fumus, cui vix fuerat sat maximus Orbis,
 Nunc hujus cineres parvulus orbis habet.

In Silenum.

Vita mihi jucunda fuit: mihi dolia cordi,
 Et cyathi, & plenis vina fuere cadis.
 Nec mihi amara dies, cum nostra ad limina venit,
 Et pede percussit mors violenta fores.
 Namque pedum strepitus nostras non attigit aures,
 Corpus erat somno, mensque sepulta mero.

In ebrium.

Dum vixi, sine fine bibi, sic imbrifer arcus,
 Sic tellus pluvias Sole perusta bibit.
 Sic bibit assidue fontes, & flumina Pontus,
 Sic semper sitiens Sol maris haurit aquas.
 Ne te igitur jactes plus me, Silene, bibisse;
 Et mihi da victas tu quoque, Bacche, manus.

In eundem.

Jactabunt alii partum sibi sanguine nomen,
 Regiaque audaci colla subacta manu.

Et tumulo inscribent, depulsos mœnibus hostes,
 Milleque disiectas Marte favente rates.
 Maxima palma mihi, Baccho duce, pocua mille
 Grandia, cum multo sæpe bibisse mero.
 Gloria nec tenuis, si cantharus ante sepulchrum,
 Pendet, & immensi, nostra trophæa, cadi.

In eundem.

Nil mihi cum Florâ dum felix vita manebat,
 Sed mihi cum Baccho plurimus usus erat.
 Non igitur sit sparsa novis mea floribus urna;
 Sed potius dulci sparsa sit illa mero.
 Ut fuit hujus odor vivo mihi floris odore
 Suavior, extincto sic erit ille mihi.

Ad Laurentium Gambaram.

Quid fles assidue jucundi funus amici,
 Quem potes e Stygiis eripuisse vadis?
 Sume lyram, & lacrimis careant muliebribus ora:
 Te lyra, non lacrimæ, culte poëta, decent.
 Turpe tibi, cineres fletu decorare perenni,
 Quos tibi perpetuis fas celebrare modis.

De Lycidâ.

Sternit humi, heu, patrem Lycidas, dum verberare torto
 Concurit, & duro calce fatigat equum.
 Ille miser, patre extincto se protinus ense
 Traicit, & moriens talia voce refert:
 Fas utinam bis posse mori! sic debita possem,
 Care pater, gemina reddere morte tibi.
 Pro letho tibi quod peperî, pro munere vitæ
 Quam duxi, haud fatis est me cecidisse semel!

De Lyco.

Dum pugnat Lycus ob patriam, cadit obrutus hastis,
 Et matrem adspiciens jam moriturus, ait:
 Pro patriâ, mihi dulce mori: te propter, amarum est.
 Hinc atque hinc gemino victus amore trahor.

Illa

Illa gravem egregiâ superans virtute dolorem,
 Hæc siccis oculis aurea dicta dedit:
 Redde quibus debes animam lætusque libensque,
 Tu patriæ, & cælo, non mihi natus eras.

In M. Antonium.

Quid facis Antoni? perdis civemque, senemque,
 Qui linguæ, & patriæ dicitur esse pater.
 Ille dedit linguæ lucem, patriæque salutem;
 Tu morte unius tollere utramque putas?
 Falleris. Urbs etiam nunc stat, Cicerone perempta;
 Et magis, atque magis lingua Latina viget,
 Nam, tua quæ solum resonabant illius ore
 Crimina, nunc eadem mille per ora sonant.

In eandem.

Dextra tua, Antoni, perfusa est sanguine civis:
 Quin potius patrio tincta cruore rubet.
 Quem jugulas, uno ore vocat patria ipsa parentem,
 Utque patri lacrimas dat laniata genas.
 Ah miser, extincti qui post sua funera vivit
 Enseque transfixus guttura, voce sonat.
 Nam lingua illius totum jam sparsa per orbem est,
 Inque tuum torquet spicula, ut ante, caput.

In aquam Virginem Romam ductam.

Virgo, quæ nitidis translucet candida ab undis,
 Ut nitet è puro splendida concha vitro;
 Huc adsis, studio matris terrâ eruta ab altâ;
 Illa sacro accipiet te veneranda sinu.
 Hic tuto poteris nullo tardata timore,
 Perque vias omnes currere, perque domos.
 Nec fraus virgineum, nec vis violabit honorem.
 Sanctus enim sancta regnat in urbe pudor.

Ad Laurentium Gambaram.

Ille, novum virtute suâ qui repperit Orbem,
 Oceani infuetas ausus ire vias,

Argumentum ingens tibi præbet fortibus ausis,
 Victor in Europam cum spolia ampla refert.
 At tu materiæ clarum addis, Gambarà, honorem,
 Grandeque Apollineâ carminis arte decus,
 Nam versu decorata tuo nova facta Columbi,
 Sparfa velut Solis lumine signa, nitent.

Ad eundem.

Gambarà, dum celebras petiit qui puppibus Indos
 Primus, & Hispanis parta trophæa tulit:
 Magna tui versus exornant illius acta,
 Non secus ac versus illius acta tuos.
 Amborum virtus duplici cumulata decore est:
 Alter ab alterius lumine lumen habet.
 Sic gemmis ornata nitet magis Indica concha:
 Sic magis in conchâ gemma reposta micat.

Ad Lælium Pasqualinum.

Jam Læli superare aude celsi ardua Pindi,
 Carmen ubi egregiâ texuit arte Maro.
 Ecce, iter ad durum tibi plectro, & voce canora
 Molliat, Aonidum jam chorus omnis adest;
 Teque vocat montis de vertice Cynthius alto:
 Nec mirum, similes diligit ille sui.
 Non mentum juvenile tegit tibi barba, nec illi:
 Nec magis illius quam tua forma nitet.
 Nunc illi es similis: sed cum te fronde, lyraque
 Ipse suâ ornarit Cynthius, alter eris.

Ad Vincentium Justinianum.

Vincenti, egregio sic enitet aurea virtus
 Ore tuo, ut puro lucida gemma vitro.
 Nec fuco, aut maculis adsperfa adparuit umquam,
 Ceu Sol qui nitidum fert sine nube diem.
 Quaque vigil flectis divinæ lumina mentis,
 Illa tibi semper prævia monstrat iter.
 Perge viam; non te fortis super ætheris oras
 Nunc rota, sed virtus te tua sola vehit.

In Invidum.

Si quis Romanâ me furtim mordet in aulâ
 Invidus, & ficta se mihi fronte tegit:
 Detegat ô potius quæ condit mente, palamque
 Evomat in nostrum tetra venena caput.
 Spicula nil curo linguæ mihi nota malignæ;
 Sed metuo ignotis spicula tincta dolis.
 Navita sic scopulos temnit, quos prospicit alto;
 Quæ cæco latitant gurgite, saxa timet.

De fonte Julii III. Pont. Max.

O fortunatæ volucres, quæ ruris amœni
 Dum canitis laudes, garrula lympha salit.
 O fortunati pisces, qui murmure silva
 Dum resonat, sacro ducitis amne choros;
 Invideo vobis: securum degitis ævum,
 Insidias vobis non struit ulla manus.
 Hic utinam, vel avis vos inter dicere carmen
 Possem ego, vel piscis ludere mutus aquâ.

In fontem Cayd. Madrutii.

O pictæ volucres, lætos date gutture cantus,
 Madrutii vobis munere parta quies.
 Retibus haud cinxit nemus, ut vos implicet illis,
 Sed vos ut tutas reddat ab insidiis.
 Jam vos non laqueis, non visco decipit auceps,
 Nec tela in vestrum dirigit ulla caput.
 Nec laniare potest vos duro milvius ungue:
 In vos imperium nec Jovis ales habet.
 Laudibus hunc igitur, qui vobis otia fecit,
 Tollite, & hæc variis dicite rura modis.

De Casare.

Ister, in Euxinum qui magnis flexibus æquor
 Tendis, & invicti Cæsaris arma vehis,
 Tolle caput: tibi jam Tigris, tibi Nilus, & Indus
 Serviet, & Tanais sub tua jura fluat.

Ecce feros solo adpectu jam disiecit hostes
Cæsar, ut imbelles regius ales aves.

Ad Basilium Zanebum.

Sim licet assidue ferrato carcere clausus,
Transilit æratas mens mea sæpe fores:
Atque mare immensum, & terras circumvolat omnes
Libera, cœlestes itque, reditque vias.
Hac ego te absentem complector, candide amice,
Hac ego sæpe tuis perfruo alloquiis:
Adfixusque tuo lateri per amœna locorum
Incedo, Phœbus qua tibi monstrat iter.
Non hîc sunt lacrimæ aut gemitus, non nubilus aër,
Nec Notus immitti turbine perflat humum:
Sed cithara, & cantu resonans, micat aureus æther,
Mulcet odoratas & levis aura rosas.
Hîc ego permixtus Musis nova carmina canto,
Carmina, quæ donat Calliopea mihi.
O Musæ, colui magno vos semper honore:
Posthac majori semper honore colam.
Vos mihi mordaces lenitis carmine curas,
Et penitus toto vellitis ex animo.
Vos è Castalio finitis me fonte liquores
Sumere; & Ascraeum me quoque inire nemus.
Per vos nunc lætus vivo: vix credere dignum est,
Me placide in turpi vivere posse situ.
Credideris tu, Zanche, tamen, qui paupere tecto
Colligis e Musis gaudia tanta tuis.
Nam veluti per prata novos merit undique flores
Læta apis, & mirâ construit arte favos:
Sic alacer studio invigilas, atque aurea vatum
Passim dicta legens, nobile rexis opus.
Et quamvis te pauperies angusta fatiget,
Et premat immerito; fers grave lætus onus:
Egregii que operis miro succensus amore
Divitias spernis, quas rude vulgus amat:
Et tibi quæris opes, quas non aboleverit ætas,
Non Mars, non ignis, non rapidi unda freti.

Quin

Quin potius frueris magno sudore paratis:
 Nam Sophiæ est hortis jam tibi parta quies.
 Sis felix, nostrique memor: tua maxima virtus
 Non umquam nostro defluet ex animo.

Ad Camillum Capilupum, fratris filium.

Cernere si posses virtutem, cernis ut Æglen;
 Illius, haud hujus captus amore fores.
 Nam nihil in terris virtute est pulchrius ipsa;
 Nil ipsâ immensus dignius orbis habet.
 Divitias non illa cupit, quas expetit Ægle;
 Sed nos divino munere sola beat.
 Nam Superum delapsa choris nos tollit ad astra,
 Ducit & ad summi regna beata Jovis.
 Sic Theseus Virtute duce, & qui contudit hydram,
 Atque alii, mensis accubere Deûm.
 Huc igitur, malefane, tuum jam transfer amorem.
 O quanta est flammis dignior ista tuis!
 Illi gratus eris; non te formosior alter;
 Formosis virtus pulchra favere solet.
 Huc aciem precor ingenii jam flecte, Camille;
 Sic fas est homini posse videre Deam.
 Quam simul ac cernes, totus flagrabis amore;
 Et dices, Ægle, mî modo cara, vale.

Vita Senis.

Sit mihi quæ niteat domus, & qui floreat hortus,
 Conditaque ex ignis vina Falerna cadis.
 Et dape non empra mecum contentus amicus,
 Laudibus extollat facta vetusta senex.
 Lumina non umquam condant mihi somnus ad ignem,
 Dum verso patrii nobile vatis opus.
 Inque sinu ludens, teneris mihi colla lacertis
 Implicet, ac libet parvulus ora nepos:
 Detque mihi requiem nocturnis lectulus horis;
 Et volucris lætos Sole oriente modos.
 Hinc fugiat morbus nulla sanabilis arte:
 Sit dolor hinc lateris, sit quoque cura procul.

Nec

Nec mihi mens umquam languescat conscia recti,
 Vivat & æternum firmior alma fides,
 Si rot dona seni dederit mihi rector Olympi,
 Optandæ magni non mihi regis opes.

Ad Gregorium XIII. Pont. Max.

Sancte pater, qui luce Deum perfusus, in alto
 Stas folio, & nitido Sol ut in axe, nites:
 Non curru te dextra suo fortuna, nec aura
 Principis, aut hominum sustulit ulla manus:
 Sed tua te virtus ad summum evexit honorem,
 Quisque sacro æthereas indicat igne vias.
 Sic quoque vir justus quondam, duce fretus eodem,
 Est in flammiferis vectus ad astra rotis.

*Ad Claudiam Ragoniam, antea Olympiam
 dictam.*

Claudia, dum partu vix edita lucis in auras
 Sol velut exoriens, undique clara nites.
 Impositum meritò fuit hoc tibi, Olympia, nomen;
 Quod te nunc etiam candida Nympha decet.
 In te namque situm est, roseoque renidet ab ore,
 Quidquid perspicui pulcher Olympus habet.
 Non superat candore tuum via lactea pectus,
 Nec coma, quæ stellis addita, luce comas.
 Quæque rosas aspersa genas it prævia Soli,
 Numquam visa magis fronte nitere tuâ;
 In quam translucet radianti Virginis astro
 Purior, e casto pectore cana fides.
 Nec Veneris par stella tuis micat aurea ocellis,
 Nec qui flammiferis æthera lustrat equis.
 Non jubar illa die, non hic fert noctis in umbrâ:
 Sed tu fers nobis nocte dieque jubar.
 Nec Diana, choros cùm cælo argentea ducit,
 Te magis incedit conspicienda pede.
 Et quod acu depinxit opus cùm vicit Arachnem
 Pallas, idem tenui tu quoque pingis acu:

Et

Et reliquos natura tibi dedit hujus honores,
 Queis inter magnas fulget honesta Deas:
 Adjecitque decus, quo sese Cypria jactat,
 Valleque in Idæâ jure superba fedet.
 Quæ tecum in terris igitur contendat? Olympo
 Si bona cuncta tuo pectore; & ore micant?

Ad Lælium Arigonum.

Ne tibi sit, Læli, mirum, cur noctis in umbra
 Corporis ex omni Claudia parte micet.
 Illius ex oculis clarè fax æmula Solis
 Splendet, & è puro candida corde fides.
 Quamque suis illi manibus modo Pallas & arte
 Texuit, in niveâ stat quoque veste nitor.
 Sic decus astrorum candenti lucida amictu,
 E nitido jactat corpore Luna jubar.

Amorem auro tantum flesti.

Cur toties Lalagen crudelem dicis, Amynta?
 Cur miser assiduis fletibus ora rigas?
 Pone modum lacrimis jam tandem, pone querelis:
 Non prece, non lacrimis janua victa patet.
 Victa patet gemmis, patet auri pondere victa:
 Plus prece, plus lacrimis, dona in amore valent.
 Pro prece da gemmas igitur, pro fletibus aurûm,
 Hoc Danaes quondam est turris aperta Jovi.

In Tityrum.

Cur genere aut formâ semper te, Tityre, jactas?
 Non genus, aut formam candida Phyllis amat.
 Phyllis amat gemmas, & tinctas murice vestes:
 Huic si cara dabis munera, carus eris.

In Ceram puellam.

Cera sibi solet admotis liquefcere flammis:
 Durescit flammis proxima Cera meis,

Me licet adfixum Cereæ puer improbus urat ;
 Illa tamen pueri negligit usque faces .
 Nec lacrimis potis est nostris mollirier unquam
 Sed potius misero fit mihi dura filex .

De Hippolyta .

Hippolytæ crines, digitique, & sidera frontis,
 Dant Veneris puero retia, tela, faces .
 His me devinxit laqueis, hac cuspage fixit,
 Et nostra his radiis corda percussit Amor .
 Solve mihi jam vincla, puer, nec tange sagittâ,
 Eripe & ardenti viscera nostra foco .
 Sat nodis fuimus vincti; sat vulnera passi;
 Sat crepuit fervens pectore flamma meo .

Ad Galateam .

Nox erat, atque inter fulgentia sidera cœlo,
 Ducebat tacitos candida Luna choros .
 Tuque Padi in ripâ roseis comitata puellis,
 Saltabas niveo jure superba pede .
 Illa prius numquam tam pulchro splenduit ore :
 Nec tam formosis tu mihi visa genis .
 Mi dubium est, propriumne daret tibi Luna nitorem ;
 An potius Lunæ tu Galatea dares .

Ad Pholoës oculos .

O fortunati Pholoës ante omnia ocelli,
 Si vobis vosmet cernere fata darent
 Sed me vos quoties lustrastis luce beatâ,
 Quæ tenebras nostris eiicit ex animis,
 Sidera sideribus vidistis cedere vestris :
 Et vestris Phœbi lumina luminibus .
 Ne vobis igitur certent cœli aurea signa,
 Vestra acies oculis fixa sit usque meis .

De Phyllide

Phyllida servantem summo de monte capellas,
 Orabat supplex nuper amator Acon.
 Ille preces simul, & lacrimas ubi fudit inanes,
 Ex alto sese vertice præcipitat.
 Et dum per vacuas in præceps volvitur auras,
 Jam periturus, ait: laus in amore mori.
 Quæ vox ut tetigit surdas non jam amplius aures;
 Protinus heu saltum quâ puer, ipsa dedit.
 Atque illum impavidâ sic est quoque voce secuta:
 Quæ tibi mors laudi est, nec mihi turpis erit;

Ad Galateam.

Post reditum, Galatea, tuum sunt omnia tuta,
 Et lustrata novo lumine villa micat.
 Non ovibus lupo insidias fruit amplius ullas,
 Dum procul a stabulis flumina nota petunt.
 Non apibus stragem immitis molitur hirundo,
 Crura replent tenero dum sibi & ora thymo.
 Nec flores, velut ante, negat lætissima tellus,
 Serta suis manibus dum tibi necessest Amer.
 Quæ tibi se in terris ausit conferre puella?
 Si fera, si volucris, si tibi paret humus.

De eadem.

Turba puellarum dum ludit margine rivi,
 Qui trepidat dulci per mea rura sono;
 Impulit in nitidas Galatheam Cynthia lymphas,
 Dulceque subridens talia voce dedit:
 Tu similis Nymphæ incessu, tu fronte, comisque:
 Te decet ut Nympham ludere fontis aquâ.
 Illa pedes, atque uda caput, se protinus unda
 Extulit, & mirus fulsit ab ore nitor.
 Sic madidis Aurora genis e fluctibus exit,
 Portat & humenti crine decora diem.

Ad

Ad Lycorim.

Æthera Sol radiis percurrens, tempore eodem
 Fert illi jubar, hunc deserit in tenebris.
 Tu quoque nos oculis percurrens, tempore eodem
 Lucem aliis adfers, lucem aliis adimis.
 Hinc se felicem dicit quem lumine lustras,
 Quem spoliis, miris se miserum esse modis.
 Sol varios flores e pratis elicit: at tu
 Divinos sensus elicis ex animis.
 Inter sidereos unus Sol enitet ignes:
 Inter virgineos tu quoque sola choros.
 Ergo tibi, & soli si par permiffa potestas,
 Sol alter nobis, pulchra Lycoris, eris.

Ad Hippolytum Costam pictorem.

Quæ tibi, Costa, feram pro tali dona tabellâ,
 Quæ mire sensus, oraque nostra refert?
 Nam cum turparit faciem mihi languida ruga,
 Et sparget canis alba senecta caput;
 Tunc etiam tenerâ per te lanugine mentum
 Signabit primo flore Juventa mihi.
 Cumque in perpetuam mors jam mea lumina noctem
 Clauserit, invitâ morte superstes ero.
 Sic utinam celebrata meo tua carmine virtus
 Vivat ab extincto clarior usque rogo.

Ad Galateam.

Huc ades ô Galatea precor, mea rura revise:
 Huc cita formoso, lux mea, curre pede.
 Tu quoties nostros spatiaris læta per agros,
 Rore viget, vario flore renidet humus.
 Nunc irata meos quoniam tu despicias agros,
 Rore caret, nullo flore nitescit humus;
 Nuda genu fontis tremulâ cum ludis in undâ,
 Dat saliens dulcem lympha per arva sonum.

Nunc

Nunc quia te fontis vitreâ non abluis undâ,
 Non resonat fugiens per vada rivus aquis.
 Nec tibi quæ læta certabant voce volucres,
 Dant ullos liquido gutture, ut ante, modos.
 Et modo quæ silvis spirabat molliter aura,
 Silvarum umbriferas non movet ulla comas.
 Te sine cuncta silent, sine te sunt omnia muta,
 Et nostri nullus te sine ruris honos.
 At, mea vita, iterum placidâ si fronte redibis,
 Et mea lustrabis lumine rura tuo:
 Spirabunt tenues auræ, tellusque virebit,
 Fons saliet, pictæ dulce querentur aves.

Ad eandem.

Viſta redis tandem blandis, mea vita, querelis;
 Adventu exultat villula noſtra tuo.
 Te redeunte ſimul redeunt decora omnia ruris,
 Et ſimul omiſſus jam redit omnis honos.
 Huc magno Jove digna veni: non ulla per herbas
 Tam nitido incedens ore puella micat.
 Te jocus atque una Charites comitantur euntem,
 Et rutilam Veneris fert puer ante facem.
 Non eſt tam celebri Nympharum cincta corona,
 Cum faciles agitât pulchra Diana choros.
 Adſurgit tibi jam paſſim viridiſſima ſilva,
 Et præter ſolitum purior unda ſalit.
 Jam veris redituſque tui prænuncia mulcet
 Æthera, & aureolis ſe implicat aura comis.
 Undique jucundo ridens tibi fragrat odore,
 Et vario tellus picta colore nitet.
 Namque pedem quocumque moves, & lumina flectis,
 Sternit odorato ver tibi flore ſolum.
 Oſtentanſque bonis veſtitos frugibus agros
 Flava tibi neſtit ſpicea ferta Ceres.
 Mitia & Autumnus plenis fert poma caniſtris,
 Promittens plenis dulcia vina cadis.
 Sola fugit deformis hyems adoperta tenebris;
 Nec potis eſt vultus lumina ferre tui.

At volucres circumvolitant mea rura fretæ
 Nec querulos edunt, ut prius, ore modæ.
 Sed lætos dant voce sonos, tolluntque canoro
 Certatim laudes gutture ad astra tuas.
 Et tibi balat ovis distentis lucida mammis,
 Et tibi plena thymo dulce susurrat apis,
 Te Driades, Satyrique simul, Faunique salutant,
 Te Deus Arcadiæ, te nemus omne canit.
 O te felicem, largo cui copia cornu
 Fundit opes, proprium dat Venus alma decus.
 Juppiter haud ulli tribuit tot dona puellæ;
 Tot bona non ulli fata dedere viro.

De Galatea.

Sidereas agitat choreas cum Phœbus Olympo,
 Invehitur roseis conspiciendus equis.
 Virgineos Galatea choros dum ducit in agris,
 Aureolo incedit conspicienda pede.
 Sunt Phœbo intonsi crines, & læta juvenus.
 Et clarus propriâ luce nitente micat.
 Candida colla tegit nostræ coma longa puellæ,
 Purpureæque nitent ore micante, gene.
 Inter se similes ambo (mirabile visu)
 Lac ipsum lacti non magis est simile.
 Sunt quoque dissimiles ambo (mirabile dictu)
 Lux ipsa est Nocti non mage dissimilis.
 Ille jubar, gratumque diem mortalibus adfert:
 Hæc mihi fert tenebras, hæc mihi fert lacrimas.
 Ex Erebo manes imos ille elicit herbis:
 Me vivum ad manes hæc oculis adigit.
 Tu me, non alia mens est sanabilis arte,
 Adspice, & e tantis eripe, Phœbe, malis.
 Quid sit amor non te latet, & tibi gramina nota,
 Queis animi morbos pellere sæpe soles.
 Sic jam non certet tecum plaudente choreâ,
 Sic cedat radiis, sic Galatea comis.

Ad Vespasianum Gonzagam.

Dum leni regis imperio, frenoque coërces
 Credita virtuti regna beata tuæ;
 Et vigil egregio te tollis ad astra labore,
 Cui rex Hesperix præmia digna parat:
 Est mihi dulce seni vitam traducere in urbe,
 Pax ubi & alma fides, jusque in honore viget.
 Meque juvat gravibus seclusis pectore curis,
 Fortunæ instabilem cernere mente rotam:
 Et metiri oculis Regum testa alta potentum
 Diruta, quæ potuit solvere longa dies.
 Ecce jacent æquata solo Capitolia, & arces,
 Quæ terris prisco tempore jura dabant.
 Ecce arcus Phrygiis nixi cecidere columnis,
 Sæpe triumphantes quos subiere duces.
 Et periit tandem Romana potentia bello
 Cognita, qua volucres Sol agit almus equos.
 Et forsitan ruet immensi cras machina mundi,
 Quæ jam jam flammis forsitan usta cadet.
 Omnia fert secum fugiens opera inclita tempus,
 Et nos post cineres mors facit æqua pares.
 Cum domino servus tumulto, cum divite pauper
 Et puer, & juvenis cum sene mistus erit.
 Sic permista solent ex arbore dulcia acerbis
 Decutere infano flamine poma Noti.
 Sic quoque falce novos flores per prata colonus,
 Et qui jam ponunt languida colla, secat.
 Uno etiam feriunt ictu turresque superbas,
 Agrestumque humiles fulmina dira casas.
 Quid, Gonzaga juvant igitur nos sceptræ? quid aurum?
 Quidve peregrinæ, quas dedit Indus, opes?
 Quidve rotæ auratæ profunt? quid eburneus axis?
 Qui spolia ingenti parta labore vehit.
 Quidve coronatis percurrere puppibus altis,
 Sanguine quas victus tinxerat hostis, aquas?
 Cum victore simul victus rate vectus eadem
 Post obitum stabit Judicis ante pedes.

Hæc exempla docent nos alta spernere vultu,
 Quod mare, quod tellus continet ampla sinu:
 Et toto colere ex animo, qui munera nobis
 Aurea cœlesti missus ab arce tulit,

In fontem ad pontem Ælium.

Ut lupus in Martis campo, mansuetior agno,
 Virgineas populo fauce ministrat aquas:
 Sic quoque perspicuum cui virgo prælidet undam,
 Mitior hic lædo fundit ab ore leo.
 Nec mirum; Draco qui toti pius imperat orbi,
 Exemplo placidos reddit utrosque suo.

Ad S. Innocentes.


Vos licet, ô Pueri, sternat gens effera ferro,
 Ut lupus imbelles dentibus acer oves;
 Vestra tamen cœlo fulgent proprio ora cruore;
 Uda velut pratis lilia rore nitent.
 Felices animæ! lucem vos additis atris;
 Non secus atque auro, splendida gemma decus.

In S. Laurentium.

Dum mentem, atque oculos Laurentius æthera in altum
 Tollit, & heu flammis membra cremantur, ait,
 Quid me flamma voras? sine sensu pasceris artus:
 Jampridem æterni me Patris ussit amor.

Ad Amicam.

Cùm rides, mea vita, nitent ceu sidera, ocelli,
 Tinctaque purpureo labra colore micant.
 Cùm mœsta illacrimas, lacrimis rosea ora renident,
 Rore velut sparsæ Sole oriente rosæ:
 Labentescque genis guttas Amor improbus haurit,
 Ut rorem è cœlo qui cadit haurit apis.
 Hæc Paris observans iudex, incertior esset,
 Tune fores risu pulchrior, an lacrimis.



CAMILLI CAPILUPI

MANTUANI.

Ad Margaritam Paleologam, Mantuae Ducem.

Quos maris in morem cernis se attollere fluctus,
 Tam placidi sedem quis puter esse Dei?
 Mincius hic ille est, placidis qui leniter undis
 Splendidior vitro prata rigare solet.
 Nunc præter solitum, quia te in sua regna recepit,
 Perstrepat, & tantis jure superbit aquis.

Ad Deum.

Salve rerum opifex, salve hominum salus,
 Qui cœlum tonitru, qui pelagus cies
 Nutu sedibus imis,
 Et mulces tumidum, ut libet.
 Ad te confugio consilio indigens,
 Imploroque tuam suppliciter fidem,
 Ut vincam mare, jussu
 Quod curro pavidus tuo.
 En me monstra petunt æquoris horrida
 Noctes atque dies, quò ingluviem expleant;
 En quanto miser æstu,
 Quantis fluctibus obruor!
 Hinc me præcipitem ira atque odium rapit;
 Hinc duris agit me stimulis Amor,
 Hinc caligine septus,
 Vanis ducor honoribus.
 Cùm torres miserum me assiduè nigris
 Involvant tenebris, tu Pater omnium
 Nostri nubila cordis

Sancto flamine discute.

Tu lucem potis es luce carentibus,
Et fessis requiem reddere mentibus;

O spes certa, salutis,


Me tandem excipias sinu.

De Pholoë noctu caneros legens.

Nymphæ, quæ vitreas nitido pede verritis undas
Tartaris, obliquos ducitis inque sinus:
Tartaris irrigui, mea qui fœcundat opimus,
Et circum dulci murmurat arva sono:
Ut Pholoë mea cura sinus succincta fluentes,
Nuda genu, vestris nocte refulget aquis!
Ut tenues nodo manicas collecta, lacertos
Expedi, & mirâ promovet arte facem!
Et loca vestigat digitis, quæ pervia ocellis,
Pasti ubi se cancri condere sæpe solent.
Sed licet haud melius conchas Dea colligat Indo
Gurgite, quam genuit qui maria alta regit:
Sic tamen, ô Nymphæ, caneros disponite, in illos
Ut facilè iniiciat nostra puella manus:
Et facite ut niteant tremulâ sub luce lucernæ,
Rana nec insultans garrula turbet aquas.
Lætus ego hinc spargam vos flore, & candidus hædus
Huic fonti sacros corruet ante focos.



JULII CAPIILUPI
MANTUANI.



Ad Innocentes Martyres.

DUm frustra, ô Pueri, tentant vos perdere ferro
 DE matrum raptos impia turba sinu;
 Omnipotens summo adspiciens vos rector Olympo,
 Pro Nato immeritâ mortè perire suo:
 Excipiens gremio cœlesti in sede locavit,
 Et dedit æterno lumine posse frui.
 Sanguine nunc tincti in cœlo splendetis, ut horto
 Candida puniceo mala colore rubent.

De Sancta Agnete.

In cœlum attollens oculos interrita virgo,
 Arfura in mediis dum jacet illa focus:
 Vos, ait, ardentes a me discedite flammæ,
 Omnia sunt penitus corporis ulla mei:
 Nam Patris æterni flagrans ego propter amorem;
 Sunt meâ jampridem viscera facta cinis.

De Thyrsò.

Thyrsus in Eridanum pronus dum despicit, & dum
 Effundit tristes in fluvium lacrimas;
 Dilectæ mœrens Galatææ funera, nuper
 Abstulerat misero quam sibi nigra dies:
 Ite, ait, ô lacrimæ rapido cum flumine, & alto
 Vos nostram pelago mergite tristitiam.

De Tityro.

Florida pascentes dum tondent prata juvenci,
 Eridanus liquidis qua fluit amnis aquis;
 Tityrus hos servat summo de margine ripæ,
 Et caræ Nemesis tristia fata gemit.
 Dum pronus fluvium spectat, dumque illius ore
 In rapidas falsus labitur humor aquas:
 Ite, ait, ô lacrimæ pelagi cum flumine ad undas;
 Majoremque illis addite amaritiam.

De altero Tityro.

Tityrus extremo recubans in marmore ripæ.
 Quam taciti Minci leniter unda fugit;
 Immatura suæ deflebat fata Næaræ,
 Effundens lacrimas pronus in amnis aquas;
 Cum potum ad fluvium vaccis venientibus ultro
 Hæc dixit tristi tristia verba sono:
 Vos procul hinc fugite, atque alias jam quærite lymphas
 Quæ possint vestro pellere ab ore sitim.
 Namque meis adeo est lacrimis infectus amaris
 Mincius, ut jam sit dulcior unda freti.

Ad Corneliam.

Desine, lux mea, nunc gelido percussa timore,
 Perque sinus lacrimas fundere, perque genas:
 Desine, & injustas diffundere mœsta querelas;
 Namque hæc sunt misero spicula dura mihi.
 Ante suos tetro flectent vaga flumina cursus,
 Destituetque suas Cynthus ire vias,
 Quam tua de nostris secedat flamma medullis,
 Et vertat sensus altera cura meos.
 Tu mihi dulcis amor, tu spes mea sola, puellas
 Inter formosas tu mihi sola places:
 Tu requies nunc sola meæ Cornelia, vitæ:
 Dulce mihi per te vivere, dulce mori.

De Amynta.

Jamdudum ardebat Nemefim formofus Amyntas,
 Abdere nec poterat jam miser ipfe faces.
 Evenit ut tandem illi fe tulit obvia virgo,
 Dum redit ad patrios incomitata lares:
 Quam subito ut vidit, pariter fe fe obtulit illi,
 Voceque fubmiffâ talia verba dedit:
 O multum dilecta mihi formofa puella,
 Sum nescis dudum captus amore tui.
 Talia fed Nemefis non fueta audire, colore
 Infecit rofeo virginea ora pudor.
 Purpuream dominæ faciem cum vidit Amyntas,
 Extemplo claufo deftitit ore loqui.
 Non fatis Actæoni olim vox faucibus hæfit,
 Cum vidit nudam ludere fonte Deam.

De Thyrfio.

Lanigeras dum fervat oves prope flumina Minci,
 Hæc caræ Nemefi Thyrfis amator ait:
 Non miror quod Sol fpoliet vaga fidera luce;
 Nam cedunt magnis lumina luminibus:
 Sed quod noftra modo fpoliafti pectora fenfu
 Miror, ubi rofeus fulfit ab ore nitor.
 Si tam rara tuo virtus infufa nitori eft,
 Ergo tuis cedat pulcher Apollo genis.

De Cypariffio & Galateâ.

Dum pulchris Galatea fuis micat aurea ocellis,
 Purpureisque genis, hæc Cypariffus ait:
 Sola puellarum digna es, cui Cypria dicat,
 Me fuperas oculis, me Galatea, genis.
 Hæc contra Galatea, fuos Cypariffus amores
 Dum canit, & doctâ dum fonat arte lyram;
 Tu folus vatium es dignus, cui dicat Apollo,
 Me fuperas cantu, me Cypariffe, lyra.

De Claudiâ Rangoniâ.

Dum Tiberis formosa sedet prope Claudia ripam,
 Et micat illa oculis, & micat illa genis;
 Nascuntur passim violæ, mollesque hyacinthi,
 Sit quamvis rigido terra adoperta gelu.
 Sic ait, admirans hæc cum vidisset Amyntas:
 Claudia Sol nobis clarior alter erit.

Ad Daliam.

Cum Luna exoriens radiis micat æthere ab alto,
 E terris umbras luce nitente fugat:
 Sic facie, speculâ cum fulges Delia ab altâ,
 Ex animo tenebras fronte micante fugas.
 Nocturnos cum Luna choros argentea olympo
 Ducit, sideribus clarior ore micat.
 Sic quoque tu, choreas agitas ubi candida in urbe,
 Delia, virginibus pulchrior ore nites.
 Hoc igitur merito impositum est tibi Delia nomen,
 Namque tu, illius splendet in ore decus.

Ad eandem.

Formosas superet quamvis Galatea puellas,
 Hanc tua sola tamen vincere forma potest.
 Nam facie, aut oculis, vel si certare capillis
 Audebit tecum; protinus illa cadet.
 Sic audax quondam periit, dum vincere Arachnes
 Divinum frustra Palladis audet opus.

Epitaphium pauperis senis.

Pauper eram; mihi parva domus, mihi vilis agellus,
 Et tenui in mensâ parva salina mihi.
 Non stomacho, captive meo dolor obfuit unquam,
 Nec secuit vetulos tarda podagra pedes.
 Nec mea sollicitæ vexarunt tempora curæ;
 Nec timui parco mixta venena mero.

Sic

Sic vixi &, perii, Cræso felicior ipso;
 Namque deesse nihil, nec superesse dolet.
 Ut fuit ad victum jam vivo terra, sepulto
 Sic erit ad tumulum nunc mihi parva fatis.

Epitaphium Cardinalis Farnesii.

Qualis in æthereo collucet Phæbus olympo,
 Dum vehitur roseis conspiciendus equis:
 Talis Alexandri splendent facta inclita terris,
 Dum Famæ incedit conspiciendus equo.

ANTONII CARACCIOLI


NEAPOLITANI.



Ad Lysistratum.

DUm Fabio de te refero, Lysistrate quot sint,
 Quæ nullo scribis carmina iudicio:
 Scribat, ait: nam dispeream si iustior ulla est
 Pœnâ hac, a magnis quam precer huic Superis.





FULVII CARDULI

In Urbem Romanam.

Languentem gressum paulisper siste viator,
 Et lege marmorcis carmina scripta notis.
 Roma fui, quondam toto celeberrima mundo,
 —Arte, situ, ingeniis, Marte, opibusque potens.
 Sola triumphatum frænavi legibus orbem:
 Paruit imperio terra, fretumque meo.
 Impositæ septem nituerunt montibus arces,
 Totque arcus, thermæ, templa, theatra, domus.
 Prorsus eram felix, si non ruitura fuisset;
 Et mihi ni cunctas fors rapuisset opes.

20 02

Rome, ego jam non sum: perii, propriisque ruinis
 Obruta sum: gremio condor & ipsa meo.
 Reliquias quascumque vides, quæ diruta cernis
 Mœnia, splendoris sunt monumenta mei.
 Frustra igitur Romam Romæ nunc quæris: abire
 Hinc licet: ah Romæ Roma sepulta jacet.
 Interea monitus, perituras ne strue moles:
 Exemplo poteris cautior esse meo.
 Carpe viam, volui scires hæc pauca: memento
 Ut meminisse mei, sic meminisse tui.

*In necem Gasparis Collignii Gallicæ Classis
 Præfeti.*


Occubuit tandem justis Collignius armis,
 Et patriam tetro sanguine tinxit humum.

Rac

Raptatum Eumenides truncum rapuere cadaver:
 Sequana projectum respuit omne, nefas.
 Hinc laceros artus hostis terræque, polique
 Nec tellus gremio, nec tegit unda sinu.
 Debita sacrilegum suscepit furca latronem,
 Ut rapidas pendens aëre pascat aves.
 I nunc prædo furens, rectumque evertit, piumque;
 Sceptraque per fraudes, insidiasque pete.
 Accipe, quam Regi pestem, Regnoque parabas;
 Auctores perdit techna nefanda suos.

JOANNIS CARGÆ

FOROLIVENSIS.



*De cœlestibus, non de humanis opibus esse
 cogitandum.*

Quousque tandem cæco amore prosequar
 Opes caducas, atque inanem gloriam,
 Si dives ille splendide superfluens
 Torquetur igne inferno: egenusque Lazarus
 Accumbit in sinu Abrahæ? hinc ô hinc procul
 Abite vana mentis ægræ somnia,
 Et quotquot estis execratæ imagines,
 Quæ me retentum fraude blanda luditis.
 At vos profusa lacrimarum flumina
 E fonte cordis intimo prorumpite:
 Restinguite hanc habendi inexpletam sitim,
 Æstusque mentis, sensuumque incendia,
 Flammasque edaces, & nefandos fomites,
 Quos usquequaque dirus Orcus suggerit,
 Ut nos profunda devoret voragine,
 Et tetri adurat igne sacro sulphuris,

Et

Et luce, & omni mancipet solatio.
 Me pœnitere, me dolere, me mea
 Delicta flere, Jesu Christe, me tuum
 Juvet tribunal cogitare, & vindicem
 Pœnam timere: ut quando judex veneris,
 Me pro tua clementia, ô salus mea,
 Voces, ubi beata coelitem agmina
 Ævi fruuntur sempiterni munere,
 Tuique gaudent numinis præsentia.
 Cui namque acerbus fletus, aut gravis dolor,
 Aut dura possit esse pœnitentia,
 Qui te sequi, te amare, te frui velit?
 Quod si tu imago, & splendor æterni Patris
 Mortale corpus induis, si te neci
 Volens libensque tradis, ut me ab impia
 Sævi tyranni servitute liberet,
 Cœloque dones, & beatorum choris:
 Ergo hujus in me caritatis immemor,
 Et propriæ salutis æque negligens
 Adhuc recusem extrema quæque perpeti
 Pro consequenda æternitatis gloria?

Ad animum suum.

Quid ô proterva mens in horas singulas
 Magis magisque me mihi ipsi subripis?
 Quid cogitas? quid expetis? quid desipis?
 Nec te, misella, colligis? nec respicis
 Finem, scelestâ? nec saluti consulis?
 Et pro te in alto stipite ipse conditor
 Terræ polique pendet, & large suum
 Fundit cruorem, & morte languet, ut tuas
 Labes lavet, tibi que vitam conferat?

O Christe Jesu, quem invocare est vincere,
 Tu me labantem pro tua clementia
 Pro singulari caritate sustine,
 Maloque ab omni libera: nec respice,
 Quod victus hosti fraudulento cesserim,

Et sensuum procacitati indulserim,
 Mundique blandimenta magni fecerim,
 Peccavi : iniquitatem amavi : turpiter
 Vixi : sitivi opes, honores, gloriam :
 Et cogitavi, & dixi, & egi plurima
 Tibi tuisque legibus contraria :
 Nunc omnium me pœnitet, nunc lacrimis
 Ductis ab imò corde, conscientia
 Lavare gestit hæc nefanda crimina.
 Et sive lux reducit aureum diem,
 Seu nox quieti fessa mandat corpora,
 Opem tuam suspirat illa, & gratiam.
 Ergo, ô redemptor unice, audi supplicem,
 Audi benignus, & benignus annue
 Me sic tui flagrare amoris ignibus
 Me sic crucis mysteriis insistere,
 Ut te sequutus clara super sidera
 Felicitate sempiterna perfruar.

In malum Dæmonem.

Quid me tenebris circuis nigrantibus,
 Et imminente cæcitate territas
 Invisa cælo, invisa terris bellua?
 Credis ne tantum me his ocellis fidere,
 Legesve formidare nascenti datas?
 Nec scire jam quo subtrahar periculis?
 Nitorque quantus his ab umbris emicet?
 Est una lux, quæ nec refurgit, nec cadit
 Unquam, nec ullo tempore unquam deficit;
 Quæ pulchra cælo sidera, & solem vagum
 Candoris igne accendit admirabili,
 Quæ te scelus detrusit alto ab æthere
 Imisque mersit luridæ Stygis vadis.

Hæc una lux metam nitenti lampade
 Splendoris intus nutrit, atque illuminat,
 Ut nil profundæ noctis horrescam minas.
 Sed nec quot umbras, nec quot unquam imagines

Grex omnis Orci vi furente percitus
 Caliginosis expulit fornacibus,
 Cum tanta belli, & pestis, & famis mala
 Mortalibus formidolosis intulit,
 Metuque diro ignava corda percudit,
 Quare nefande obcæca, adure, exulcera:
 Et vulneratum hoc omne corpus, ut libet,
 Et cæcitate, & ferro, & igne distrahe,
 Et in me Averni effunde totum carcerem:
 Nihil movebor, vivida spe gratiæ
 Divinæ, & almi fultus aura numinis.

At ó dator victoriæ, atque præmii
 Benigne Jesu, me tua juves ope
 Certamen hoc certantem inexpugnabili,
 Ut hoste victo, & his fugatis nubibus,
 Tandem illa ducas montis in cacumina,
 Illisque sistas in beatissimis sedibus,
 Quibus nec ulla nox, nec horror ingruit,
 Sed & perennis lux, perennis gloria
 Tui perennis, & videndi copia.

Senex resipiscit.

Hei mihi misero, hei mihi,
 Tempus quam cito præterit!
 Homo quam cito deficit!
 Et mors quam cito criminum
 Pœnas exigit omnes!
 Magnam qui benefecerint
 Mercedem referunt: ego
 Annis jam gravis, & gravis
 Culpa en distrahor omnium
 Per tormenta malorum.
 Nox cæcis tenebris premit
 Morbo languida lumina:
 Menti & sensibus incubat
 Quidquid est miserum, & grave.
 Vivum es, Carga, cadaver,

Vivum: nam patulæ vigent
 Aures, sed tuba in ultimum,
 Quæ te iudicium vocat,
 Quali, proh pietas, sono
 Metus duplicat omnes!

Ergo tam miser, & nocens
 Ad quem confugiam, nisi
 Ad te Rex meus, & pater?
 O Rex, ô Pater, ô Deus

Tu mei miserere
 O & perugium, & salus
 Humani generis, pie
 Jesu precor, ah precor
 Illa luce novissima

Tu mei miserere,
 Tu quem sanguine proprio
 Æternis redimis malis
 Pro tua pietate me
 Æternis recrea bonis:

Et mei miserere.

*Ad Virginem matrem quæ Laureti
 colitur.*

O maris magni Dea, cujus astrum
 Imperat ventis ab utroque ponti
 Littore, & nautis, ubi vota tendunt
 Vela, refulget.

Hadriæ fluctus humidos ab alma
 Sterne Laureti domo, & aura tutum
 Det rati cursum tua, ne procellis
 Obruat Auster.

Nos tibi in portus patrios recepti
 Vota solvemus cumulata donis:
 Tureque, & cantu fluet omnis ara
 Littore ab omni.

De victoria Ducis Albæ apud Belgas.

Lætitiæ bona signa cavis date turribus æra,
 Et pia sollicito solvite corda metu.
 Et vos sacra cohors divinas carmine laudes
 Perque domos divum dicite, perque vias.
 Et tercentenas operati rite per aras
 Mystica sacratæ reddite dona dapis.
 Vos quoque dum summus referat Jubileia Pastor
 Limina, divinum carpite gramen oves.
 Sacrilegæ periere acies, periere nefanda
 Agmina, & in Belgas quot cœtere manus.
 Nam justo potuit quisquis superesse furori
 Arripuit turpem protinus ille fugam.
 Pars major sceleratam animam pro crimine pendit,
 Mergitur & rapidis Styx quibus ardet aquis:
 Hic ubi supplicii subeunt genus omne gigantes:
 Par scelus est, debet par quoque pœna sequi.
 Ossa inhumata jacent: volucres pavere, lupique
 Corpora: inundanti sanguine castra natant.
 Sanguine pinguescunt campi, nemora alta madescunt,
 Et moritur, fibris ne bibat herba nefas.
 Quod si quem Pythona novum feret impia tellus,
 Impia tam dirum si scelus illa feret,
 Qui sternas Pythona novus tu vivis Apollo,
 Gloria magnanimum, magne Tolete, Ducum.
 Te quis stare potest contra? quis fervida contra
 Vota pii patris, Regis & arma pii?
 Carolus hæc summo cernit dum lætus olympto,
 Et nato gaudet jam minor esse parens.
 Miratur carumque ducem, carasque phalanges,
 Ante Deum tales fundit ab ore preces:
 Virgine nate Deus, cujus pro nomine sanguis,
 Nunc meus immensum sustinet orbis onus:
 Si tibi quos vovit, justos agit ille triumphos:
 Bellaque te solum propter, & arma gerit:
 Da pater ut quo tu fregisti robore Avernum,
 Ille, tument terris quot modo monstra, domet.

Ille feros frenet populos, gentemque rebellem,
 Ille tuo subdat barbara colla iugo.
 Ille tibi exuvias referat, quas Maurus, & Indus
 Debet, & infidi litrus utrumque maris.
 Da simul & comites habeat, pater optime, qualis
 Alva meus, qualis, tu Perenote meus.
 Annuit omnipotens: nutum læta excipit aula
 Plausibus, in plausus lætior æthra ruit.
 Cedite præcipites sub Tartara cæca tumultus,
 Jam redit in nostras paxque, quiesque domos.
 Sedibus æthereis jam nunc demittitur ætas,
 Vates divinis quam cecinere modis:
 Et qualem, cum mundus adhuc tener esset, agebant
 Compositi e primo vir, mulierque luto.
 O vestros numquam serpens minuisset honores:
 Sed vetitis cur non abstinuiſtis avi?
 Vos propter terras liquit gens aurea cœli,
 Inviaque est illuc facta repente via.
 Sola recedentum manserunt nomina, sola
 Stipes, & incisus reddidit ora lapis,
 Nunc candor non est, non est pudor amplius ullus,
 Nec pietas, nec qui sidera adhibat amor.
 Nunc veneri indulgere hominem, nunc vivere raptò,
 Nunc juvat abrupta frangere jura fide.
 Et frater fratris manibus perit, & perit istu
 Natorum, contra qui gerit arma pater.
 Et Divum effigies passim sternuntur, & aræ,
 Et passim sacræ diripiuntur opes.
 Et Regum, legumque jacet veneranda potestas
 Hei mihi, num rabies fit sua cuique Deus?
 O quibus extremos nos propter ferre labores
 Non fuit indignum, nec grave quæque pati,
 Christe pater, Christique parens mitissima Virgo
 Supplicia in melius nostra referte precor.
 Et prohibete malum, sævumque arcete furorem,
 Et miserum placida pace juvate genus.
 Tuque adeo ô custos gentis, qui primus ab illo es,
 Quo nihil est majus, nec prius esse potest.

Tu veniâ fera corda doma, Pie maxime, & aude
 Pro sancta sanctum fœdus inire Cruce.
 Hinc populos Orientis aperto Marte Philippus
 Proterat, & Libici regna opulenta soli.
 Et sub Romanas mittat te principe leges
 Quidquid ad Auroram sol ab Atlante videt,
 Quidquid & immensis anfractibus occupat æquor,
 Et colit adverso terra reposta polo.

In obitu Julii Pogiani.

Jam nos, ô comites, ad cari funus amici
 Tertius ex alta convocat æde sonus:
 Cereaque extractum collustrat flamma sepulchrum,
 Incipit & mæstos flebilis ara modos.
 Procedant quibus ima tegit vestigia palla,
 Et fluit incompta squalida vitta coma.
 Ordine deinde suo lacrimis quos ora rigare,
 Et juvat humanas ingemuisse vices.
 Julius hoc Pogianus init sub marmore somnum,
 Quem labor ante diem noxque suprema tulit.
 Julius, Infubriæ genuit quem dives Arona,
 Mox rapuit, nunc & maxima Roma tenet.
 Rore pio tumulum sacratæ spargite lymphæ
 Atque animam terna rite plate prece.
 Poscite divinos æternæ lucis honores;
 Poscite perpetuæ gaudia pacis agat.
 Dignus erat cœlo: nam quis pietatis amore
 Romano assuevit grandius ore loqui?
 Ille per immensos tractus terræque, marisque
 Insurgens numeris lingua Latina tuis,
 Monstravit sensus, & vim sermonis, & artem,
 Relligio Grajos unde beavit avos.
 Ille pius regum causas, laudesque piorum
 Sæpe Pii dixit principis ante pedes.
 Fulmine verborum sacri juga montis, & alta
 Atria, & æratæ contremuere fores,
 Purpureusque suo stupuit cum Rege Senatus,
 Atque aliquis, majus nil habet orbis, ait.

Hic

Hic Vaticanæ regnator maximus arcis
 Arridens tales edidit ore sonos:
 Noster eris, Pogiane: tibi sit maxima rerum
 Posthac nostrarum tempus in omne fides.
 Eloquii candore tui fidei illa nitescat
 Summa, Tridentini quam petiere patres.
 Concilioque super quis cùm dubitaverit, a te
 Interpres nostræ littera mentis eat.
 At vos muneribus juvenem decorate, nepotes,
 Sit vestro lateri fidus & ille comes.
 Tu pares dicto, & cadis hoc sub pondere, Juli,
 Astra vel hinc potius, regnaque summa petis.
 Et capis hîc justo tibi præmia parta labore,
 Præmia non ulla diminuenda die.
 Felix sorte tua, neque in hos, servate, tumultus,
 Nos quibus exanimat vindicis ira Dei.
 Ecce palam bellis iterum civilibus ardet
 Hac Rhenus discors, hac furialis Arar.
 Nec satis est vacuasse suis cultoribus urbes,
 Omniaque immiti conscelerasse manu:
 In Divos, ipsumque Deum per testâ, per agros,
 Omne nefas scelerum turba ministra facit.
 Diruta templa cadunt a culmine, victa resedit
 Relligio: pietas prisca, fidesque jacet.
 Ecquid ad hanc rerum faciem superesse putemus,
 Quominus extremam jam ferat hora diem?
 Quis non emigret terris hoc tempore, quis non
 Huic sæclo cœlum præposuisse velit?

*Ad Jo: Baptistam Campegium de victoria Christi
 in Turcas.*

Christe fave, tibi quisque vacat, tibi quisque salutem,
 Victor ab immiti quam tulit hoste, refert.
 Quisque tibi donis cumulat solemnibus aras;
 Et cumulat blanda mystica dona prece.
 Undique flammæ radiis pia testâ relucent,
 Frondeque, & aurato vellere culta nitent.

Et festis late resonant tinnitibus æra,
 Et plautū exiliunt, læritiaque viæ;
 O ego, ne solus possim cessare tacendo,
 Quam vellem laudes dicere Christe tuas!
 Tu precor inspira mentem, tu suffice vires,
 Tu mihi principium, tu mihi finis ades.
 Tu sola terrarum, tractus maris, ætheris orbes
 Condis, & intus alis quidquid ubique viget;
 Et quacumque libet, quando libet, omne potentis
 Justitiæ exerces, & pietatis opus:
 Tu modo clade domas infandi monstra Tyranni,
 Et classem Joniis obruis ultor aquis.
 Illic perfidiæ pœnas det barbarus: illic
 Insignem prædam Pontus, & Orcus agat.
 Tu scelerum vindex, hæc ô spolia ampla triumphi,
 Quem videt, & nondum concipit orbis, habe,
 Una dies, una hora tulit, quod temporis ætas
 Nulla potest veris explicuisse notis,
 Quin potius, tanti Deus est tua summa potestas?
 Ipsa fidem facti vix facit alma Fides;
 Hostis erat, qualem tellus Ægyptia numquam
 Suscepit, madido sustinuitve sinu.
 Nec talem scelerata domus Phlegetontis avari
 Expuit, aut Stygiis abdidit atra vadis;
 Vera loquor, tu Christe, nefas non passus ab altâ
 Mitius humanum despicias arce genus,
 In scelus Hesperias per fœdera cogis utraq;ue;
 Una fides ambas, unus obarmat amor.
 Nec sine mente tua Pius a te maximus, auctor
 Fœderis, omne subit, sponsor, & obfès, onus;
 Ipse Pius, dirum exitium si pellere terris
 Non datur, ô fortes pellite, dixit, aquis.
 Et vexilla Crucis, nostræ monumenta salutis,
 Tollite in obstantes impia rostra manus.
 Dixit, & insigni in mitrâ super agmina late
 Ter bona signa manu, ter dedit ore preces.
 Quisque alacris pia jussâ facit, neque segnus implet
 Quisque fretum ratibus, milite quisque rates,

Italiæ flos omnis, & omnis Iberia fervet,
 Præstat & ille magis, qui magis urget opus.
 Æratæ toto ducuntur littore moles,
 Remigio parent æquora, vela notis.
 Trinacria ex oculis abeuntum tota recedit;
 Italia ex oculis tota repente fugit;
 Hoc pelagi Dea sancta domo dum spectat ab alma
 Laureti, propius publica vota fovet,
 Et tu militiæ cælestis ductor ab æde
 Gargani nobis duxque, comesque venis.
 Ipse tenes manibus clavos, regis ipse rudentes,
 Et Zephyrum exploras, & vada cæca mones.
 Ergo vix Ithacam, vix te legit alta Zacynthos
 Nostra per Ægeas classis itura vias,
 Ecce adversa ruit lunatis altera velis,
 Nulla mora est, Mundi jam coiere manus.
 Missilibus cælum gladiis, & strage carinæ.
 Decolor effuso sanguine inhorret aqua.
 Jamque palam gelidus pavor, & fera mortis imago
 Occupat infidos, subsequiturque duces.
 Turba natat, ferro, & flammis extincta per undas,
 Vix pauci vinculis, vix superantque fugæ.
 Puppibus ac contra residet victoria nostris,
 Serta gerens capiti, sceptraque mille manu;
 Tunc Sol luce nova illuxit, volat ocyus Ales
 Nuncius æterni Numinis ante pedes.
 Atque iis, qui vita nobis peperere quietem,
 Præmia cœlicolum regna beata petit.
 Annuit Omnipotens; cœli Regina micanti
 Ipsa triumphantes excipit axe choros.
 Felices animæ; necis est ea gloria vestræ,
 Quod brevis hora facit tam bene in astra viam,
 Vos quoque felices ô qui mansistis in armis,
 Heroes certe, semideumque decus.
 Nondum venistis, nondum vidistis, & illum
 Vicistis, terror qui prius orbis erat.
 Scilicet & vestro cecidit Mars Thracius ense,
 Et bella in sævos sunt procul acta Getas,

Per vos omne feris vacuum prædonibus æquor
 Explet inoffensas divite merce rates.
 Per vos victor ovat Christus. Quærita per aras,
 Hæc sunt, Campegi, gaudia magna tibi,
 Hoc animo voluis, dum publica commoda tecum
 Suspiras, humili sollicitasque prece.
 Exigis hoc, quoties pondus græve dividis auri,
 Hinc partem tantæ tu quoque laudis habes.
 Gratia tota Deo; date vos modo jura Quirini
 Sanguis ab Adriaco per freta vasta sinu,
 Uno tercentum amittit certamine naves,
 Improbus, & vestras duplicat hostis opes.
 Jamque nihil majus Venetis navalibus usquam,
 Jamque nihil vobis sanctius orbis habet.
 Vos causa, vos consilio, vos vincitis armis;
 Serviat ô Veneto ventus, & unda Duci,
 Terra Pium, Regesque pios, quibus imperat ille,
 Postulat, inque pias dat sua jura manus.
 Et fortunatas lucas, ævumque beatum
 Concipit, & primi tempora prima senis.
 Votaque, communisque preces conatur ab imis
 Visceribus, tali sæpe iterare sono.
 Christe pater, mea regna tuis virtutibus alter
 Major Cæsaribus qui moderetur adest.
 Nuncque iterum, ceu te genuit quo tempore Virgo,
 Aurea pacatus sæcula Mundus aget.
 Nam tibi dilectum nomen, tua cura Joannes
 Captivo redimit libera colla jugo.
 Occultos abigit sub Tartara cæca tumultus;
 Inque Arabes miseram, Massagerasque famem,
 Postulat ab Aurorâ tibi regia dona remitti,
 Nascenti puero quæ prior illa tulit:
 Postulat ab edomito nondum custode sepulchrum,
 Quod tua Mors nobis, quod tua Vita fuit.
 His, ô Christe, precor cœptis, his annue votis;
 Gloria victoris, gloria tota tua est.

Id Sixtum V. Pont. Max.

Optima sunt tua facta bonis, & maxima magnis,
 Optime magnanimis; maxime, Sixte, bonis:
 Et si vox, calamusve tuas vult promere laudes,
 Deficit ad laudes vox, calamusque tuas.
 Jure igitur (totâ penitus quod mente fatemur)
 In terris summo proximus ipse Deo es.

J O N N N I S C A S Æ

F L O R E N T I N I .



Ad manes Flamini.

Flamini manes, instar mihi numinis, umbra
 Flamini, hæc campis cernis ab Elysiis?
 An tibi, quæ nostri fuerat tam fervida cura,
 Cocytus nigris eluit annis aquis?
 Tu solitus Priulique ausus compefcere inanes,
 Et molli versus frangere voce truces.
 At nunc ille malo Galateum carmine vexat,
 Et sanctum nobis pellit ab urbe virum.
 Tune ausus Priuli Galateum pellere ab urbe,
 Asperaque in dulcem dicere verba senem?
 Tune auctor, Romæ montani ut munera vici,
 Fumosi ut curam præferat ille laris,
 Aureus ille senex, vitæ cui licia Parcæ
 Intacta ducunt candidiora nive?
 Qui nec Principibus, Urbi nec scilicet agræ
 Formidet medicas adplicuisse manus?
 Quemque adeo nemorum custos, pecorisque magister
 Mandarit sacro summus adesse gregi?

Hinc eat, & fuscas ignoti ad flumina Melphæ
 Pascere cum vili conjugè pergat oves?
 Quid si animis juvenumque senumque est illius æque
 Dulcior Hybleis alba senecta favis?
 Quid si illum retinent quicumque Amaryllida curant,
 Hujus ad exemplum peccet ut illa minus?
 Uxorem hunc tamen ad vetulamque, humilemque releges
 Frigida ut in viduo ne cubet illa toro?
 Quæ puras pridem didici perducere noctes,
 Et monitis casta est, & proba facta viri.
 Sed tu Flamini potius jam nobilis umbra,
 Et multum insigni conspicienda lyrâ:
 Ni te cæca hujus cepere obliviam lucis,
 Cum tibi mors avidas intulit atra manus:
 Huc ades, & Priulum comescas, nam male nobis
 Jamdudum insolito versus in ore sonat.

In Ambitionem, ad Galateum.

Ut capta rediens Helene cum conjugè Trojâ,
 Lento homine, atque animi lenis, nimiumque remissi,
 Incidit in cædem ipsam, & funus forte sororis,
 Quam præceps miseri virtus jugularat Orestis,
 Succisam de more comam missura sepulto
 Germanæ cineri, fertur dempsisse capillo
 Vix tandem e summo paulum, ne forte placeret
 Tonsa minus, metuens Spartanis improba mœchis
 Haud aliter, Galatee, malis erroribus actus
 Nuper ego, & Phrygios nautas, Paridemque secutus
 Aufugi longe: atque idem, rediit tamen ut mens
 Ad se se peregre nimium remorata, protervæ
 Ornamenta fugæ sensim, lenteque repono.
 Parvi etenim refert, Venerisne cupidine, ut illa,
 Incensus, pulchra vel saucius ambitione,
 Tramite declinem recto, violemque pudorem.
 Debueram dudum crinem secuisse decorum:
 Hoc est argentum, comires, & stragula, cœnas,
 Lususque, & Musas missas fecisse loquaces,

Intrepidus nuper curatæ mentis, & acer
 Corrector: sed enim pravus populi pudor obstat:
 Hunc propter pavidi phaleris amicimur ineptis:
 Nec ficci madidam audemus (veriti bene potum
 Convivam vulgus) collo dempsisse coronam.
 Dedecus ambitio pulchrum est, vitiumque faventis
 Laudatum populi studio: i bone quo tua virtus
 Te vocat, i pede fausto, & nomen laudibus auge,
 Æquales ajunt, comitesque, piique propinqui:
 Quod si natura, aut ratio virtutis habendos
 Germanas propriasque notas evincat honores,
 Publice ut æs signant, extemplo ut noscere, nummus
 Quanti quisque licet possint, per turbida Ponti
 Curramus rapidi maria, & gelidas properemus
 Ipsâ hyeme in mediâ tantum ad decus ire per Alpes.
 Obliti podagræ nervos urentis, & artus.
 Nunc pravos inter tituli discrimen inanes,
 Atque bonos nullum signant, sæpe & toga pectus
 Candidius multo, & majus pulla arctaque textit,
 Quam laxi, Tyrioque infecti murice amictus:
 Nam si legitimum nobis virtutis inurant
 Fasces, & tituli signum; merceatur honores
 Ipsâ vel vitâ, informis ne prodeat, inque
 Excusus, Priulusque bonus, simplexque Faërnus,
 Prudens & veræ virtutis cultor uterque:
 Vitrea quos numquam titillat gloria, febris
 Purgatos hujus. Nos quamvis cesserit horror,
 Atque æstus, sani nondum tamen usque valemus:
 Sicque animus positam reminiscitur ambitionem;
 Vulnus ut obductum prurit tamen; hæret asello
 Ut nudo clitellis nonnumquam ulcus in armo.
 Vos agite aureolum tondete a vertice crinem
 Lascivo huic capiti, atque domi cohibete severi,
 Non Menelaus uti, erronem me tu, Priulusque,
 Utroque & melior Polus (quod dicere vestrâ
 Pace mihi liceat) nitidaque extrudite Româ
 Restantem: ut duri mulam quandoque cerebri,
 Luctantem in trivio, atque equiti parere negantem,
 Sibi-

Sibilo agunt primum & magnis clamoribus, inde
 Profiliunt longis armati fustibus: illa
 Nixa diu, tandem plagis deterrita currit.

Satyra.

Si te cura vigil Sophiæ delectat; & acre
 Ingenium vires si sufficit, utere porro
 Munere tam claro Divum; sic rectius, atque
 Commodius multo, longeque decentius ævi
 Quod tibi cumque neant Parcæ victurus amicæ.
 Nec de te plebis quæ sit sententia, magni
 Securus pendas: ignarum pleraque vulgus
 Pravo metitur modulo: tu negliges, & isto,
 Qui nunc te exercet, fugias decedere campo.
 An populi arbitrio quisquam plebisque bonorum
 Posthabeat sanus plausum, quem jure feres tu?
 Quandoquidem cunctos quicumque feruntur eisdem
 In spatiis, jam recto nimirum, ac sapiente
 Judice præcurris Bembo: cum hic interea nos
 Desidiæ arguimur populo, ne forte probari
 Credideris genus hoc vitæ simplex, etenim ad res
 Versiculis, missisque jubent accedere nugis;
 Ex umbrâ, & tenebris in Solem exire, diemque
 Et gnavi me segnem culpant. Altera blando
 Pars animum integrum queritur me dedere amor
 Per luxum, & patruî verbis objurgat acerbi:
 Qui simul ac stomachum, quamquam permulta ferentî
 Ut placem, morunt; regero graviora receptis.
 Tu proprium servas auri sceleratus acervum
 Undique congestum; neglectis, jura, fidemque
 Exponis tota venalem legibus urbe:
 Cum miserum, atque inopem dejectum rure paterno
 Deferis, atque adeo prudens, numinisque redemptus
 Prodis; emunctum productâ lite clientem
 Usque adigis, dum ædes etiam proscribat avitas:
 Turpiter aut ultro servis, plerumque furentis
 Mancipium dominî, manibus ten' ferre catinum

Cœnanti ingenuis? aliam ten' sumere mentem
 Deterioris heri ad nutum, atque aliam? haud animo par
 Est generi, quicumque suos apud ortus honeste
 Imperio abjectus paret, trepidusque ministrat.
 Quid quod amicitia, caro dum cuncta lucello
 Metiris, cultus tu nullos, nullaque nosti
 Officia; anormique decor concinnus inepto
 Quid distet nescis? pecudis næ nos cute tectam
 Naturam inspicimus, quid publica cum geritur res
 Per te, si furtis quo sit locus, atque rapina,
 Bellorum causas jussus præcidere, nutris:
 Desidia aut tu me censor culpaveris otii?
 Flagras ambitione, ardesque cupidine sævâ
 Purpurei haud vitam hanc, moresve decentis amictus.
 Uror amoris ego haud me dignis ignibus: esto,
 Quando ita me insimulas: quid tum? peccamus uterque
 Nil est cur tu me prior incuses, graviora
 Offendens multo, & nimium distantia recto.
 Nam qui vel parvo conductus pejerat, & qui
 Tamquam turbatâ victum tibi quæritat undâ
 Piscator, pacem bellis ubi miscuit, idem,
 Judicium, atque crucem si demas, ire latrones
 Inter jam velit, & jugulare homines: sua quisque
 Defendunt lenes vitia, & minuunt: aliena
 Carpere plerique austeri, nimiumque severi.
 Adde quodd incurata gerens, serpentinaque intus
 Ulcera, corrupto tandem pulmone peribis:
 Purgandum illius cum te committere morbi
 Non medico studeas; annus non unus, & alter
 Imminuat quicquam, pulchris macrescere captum
 Divitiis frustra tantum doleamus amici.
 Ne mea post paulo febrisque reliquerit ultro,
 Frigidior veniens morbum cum leniet ætas,
 Intereaque veteris non animum gravis urget.
 Me tamen insequitur populus: quid si nihil omni
 Est actum in vitâ nobis, quod lædere quemquam
 Possit? non ego rem, mihi solers quam pater auxit,
 In Venerem effundam, neque lite petitus amator


Injustâ, omittam fundumque, laremque tueri:
 Nec fuerim, mimam quo sit mihi laxius unde
 Munerer, usquam inopi nimium contractus amico.
 Denique non os, non ætas alienior: adde
 Ille etiam laqueo statuit qui nectere collum
 Aurata ne trabe, an de putri pendeat ulmo,
 Si quicquam referre putas, quam ego honestius,
 Intereo, seu me Musis, & Apolline claro,
 Seu quis me pulchro captum culparit amore.
 Me tamen insequeris, colloque. ac faucibus anguis
 Inflat viro: vitam deducere inertem
 Indignum clamat fucos, segnem malus urget.
 At tecum si quis sic egerit: itur ad urbem
 Europâ ex omni, credo, ut vestigia summo
 Inspiciant veteris veneranda in colle Quirini,
 Sive in Aventino Romæ, ac non perditus exul
 Expes ut quisque est, huc se se contulit, ut si
 Bargulum ad Illyricum dicas, latrociniumque
 Concessum, nimium merito dicatur acerbus:
 Oderit, & rabidum populusque patresque venenum.
 Non ego: nec vulgi si irritor vocibus, hoc nunc
 Immeritum quemquam latrarim, possum ego multos
 Eximere e numero, turpis contagia morbi
 Quos nulla attigerint, sanos, recteque valentes,
 Sincerum ut Mollæ pectus, lavere salubres
 Pierii quem fontis aquæ, puroque Camœnæ
 Curatum cantu servant: studioque referti
 Spectatus dudum tanto plausuque theatri
 Ubaldinus, inops agrique, larisque paterni,
 Virtutis locuples, populo spectante Quirini
 Hunc non donatum, scænâ decedere turpe est.

In mulieres nuptas, Hippolyti. Ex Euripide:

Concinnum in auras luminis hominum malum
 Cur protulisse dixerim te feminas
 Juppiter? etenim erat si serendum hominum genus,
 Haudquaquam oriri debuit de feminâ:

Sed

Sed emere liberorum oportuit sibi
 Semina genus mortalium, ferens tua
 In templa tantum aut æris, aut auri gravis,
 Ferrive, quanti unus foret quisque pretii:
 Domosque habere feminis sine liberas.
 Nam nunc in ædes vehere cum malum parant,
 Extemplo opes pro eo rependunt patrias.
 Atque hoc liquet malum esse magnum feminam;
 Namque ad alienos pellit hanc ex ædibus
 A se pater prognatam, & eductam suis,
 Additque dotem, ut liberet sese malo:
 At ille contra, stirpem in ædes noxiam
 Qui ad se recepit, lætus est: cum pessimam
 Pulcherrime ornat statuam, & auro, & purpura
 Certat, beatas sumptibus miser domos
 Exhaustiens; atque hæret: etenim splendidis
 Affinibus gavifus uxorem asperam
 Perfert: proba at si ea, sed propinqui futiles
 Evenerint, bono miseriam comprimit.
 Veruntamen commodius evenit, quibus
 Nullius uxor sedet in ædibus preti,
 Ac fatua; nam sapientem ego odi feminam,
 Meæ nec intra venerit limen domus,
 Quæ, quam mulierem sapere par est, plus sapit.
 Facilius etenim perspicaces edocet
 Astutias, dolosque Cypris improba.
 At fatua mulier ob stoliditatem sapit,
 Penetrare nempe ad feminas oportuit
 Nulli licere familiarium, simul
 Sed belvarum includere rabiem domi
 Loqui insciam, sermonem ut inferre alteri
 Ipsæ nequirent, nec alii illas adloqui:
 Nunc facinora, intus quæ malæ mala cogitant
 Dominæ, foras hæc familiares efferunt.



*Ad Faërrum, cùm ab Urbe profectus
Venetias iret.*

Humida Tyrreni fugientem flamina venti
 Cælumque pestilens Lati
 Me Venerum excipient mitissima littora, & auræ
 Salubriores, putribus
 Jam membris lenio, & podagra turgentibus acri,
 Qua stare fuerunt, nec mala
 Imbutæ tussi, neque in ipsis fluctibus udæ
 Faërne, mireris licet.
 Profus, qui Romam liquit, rerum ille carebit
 Pulcherrimo spectaculo.
 Nec cætum æquè illustrem hominum, nec Palladis æquè
 Instructa pectora artibus,
 Terrarum ut cunctas lustret circumvagus oras,
 Offendet usquam gentium.
 Fragmina nec muri aspiciet majora vetusti
 Non diminutis urbibus.
 In primis Bromii latices, & frigida siccis
 Requiret idem faucibus
 Pocula lympharum sub terras condita opacas,
 Aut fossa Lucanam in nivem.
 Ipse ego, ferventi delapsam ex imbrice lympham
 Nuper, nec altos in scrobes,
 Et vappam, falices inter quæ nata palustres
 Cæni saporem patrii
 Potanti offundet, mediis fervoribus, ardens
 Arente fauce traxero.
 Ast idem hospitibus placidos, & dulcia pacis
 Impertientes commoda
 Mortales cernam, & locupletem civibus urbem
 Dispar probantibus nihil.
 Cernam loricam violentam, ensaque superbum
 Inermibus suffragiis
 Constrictum, & diræ execratum cædis amorem
 Longè exulantem gentium.

- Illic

Illic cum cano prudentia sera capillo
 Paret vicissim, & imperat.
 Illo se nusquam propendens contulit æquum
 Bonæ comes concordia.
 Fraudibus Hesperia ut pulsum est, timuitque rapacis
 Uncas licentiæ manus.

De Ubaldino Bandinellio.

Tam caro capiti jam nimium diu
 Munus, Melpomene, lugubre, Nænam
 Debemus: querulam prome, puer, lyram.
 Siccis non ego te genis,
 Mœrore aut vacuus pectora lurido
 Laudabo: neque desiderium moræ
 Nostrum diminuunt, aut hominum atterens
 Furtim tristitiam dies.
 Te morum studium, te sapientiæ
 Cura, & nobilium fecerat artium,
 Ubaldine, quies gnava, operosaque
 Musarum otia divitem
 Non auri, pavidis addere mentibus
 Mordacem validi sollicitudinem,
 Non ostri, experiens quod reparat Ligur
 Nobis merce superflua:
 Irritet fugiens pauperiem æquora
 Iracunda levi navita palmula,
 Æstatem Libyæ perferat igneam
 Idem: idem Æmonias nives
 Vestigans lapides, femina quos petit,
 Vel flavo capiti, vel tereti decus
 Collo. Mentibus Atlantiades Deus
 Calcar subdere inertibus
 Ludens dum cuperet, fertur inutile
 Promisse aurum, acuens illo hebetes, uti
 Exercet puerum non vegetum nuce
 Mater sedula futili.
 At fortes (quoniam robore stat suo

Virtus, Peliaca ut quercus, & æquoris
Saxum Carpathii) nec famulæ decet

Auscultare pæcuniæ,

Nec firmos fragili fidere: defluit

Fortuna, ut subitis auctior imbris

Extemplo aret aquæ rivus inops suæ,

Nimbos si pepulit Deus.

Tu dulcem ex Latii copiam adeptus, &

Grajum divitias, & dominam urbium

Artem: quò mihi nunc & patriæ occidis

Multo flebilior tuæ.

Arni mœret enim fluminis accola,

Florens ingeniis accola fluminis

Arni, tot te animi compositis diu

Thefauris, tacitum mori.

Ut navim pelago præcipitans Notus

Vertit, quæ remorans, largiter alveum

Implerat spatiosum: illa Aræbum ferens

Gazas, illa ebur Indicum,

Et gratum redolens thus superis ferens,

Et pexa e foliis vellera sericis,

Ætnææ Cereris plenaque frugibus,

Portus frenua patrios

Ditaret, populos & procul oppidis

Effusos studio ad se raperet lucri:

Nunc sævi arbitrio volvitur Adriæ

Cæcis obruta fluctibus.

At tu, progenies aurea fulmine

Gaudentis Jovis, o desere ne meum

Carmen, Musa: diu sed vigeat sacri

Custos pagina nominis,

Hic me Castalii tramitis arduos

Flexus, Æoliæ hic me docuit lyræ

Ictus: o nebulam oblivio, & arceat

Furvam a nomine splendido

Noctem: ne volucris filia temporis

Ne rubiginis atræ admoveas meis

Dentem carminibus: neu nigra nubibus

Condas Italiæ decus.

*Ad Hannibalem Oricellarium nepotem, diligentissime
cavendum esse ab adulatoribus.*

Mentem blanditiæ perdere credulam
Norunt non secus, ac mortiferas malæ

 Multo melle novercæ

 Olim cum medicant dapes.

Viro imbuta malo dulcia murmura

Mendacis fuge linguæ, & teneras neque

 Falsis laudibus aures

 Admoris, cupidus puer

Verarum, bona ni decipit indoles.

Et tete excutias, tinniet improba

 Nugas cum modulans vox,

 Quas atro rapidi ferent

Cum fumo Boreæ, & pulvere fordido:

Ni quicumque libens dicier audies

 Verbis, te labor illum

 Rebus finxerit arduus.

Sensus ut juveni pellicit intimos

Virgo candida, cum turgidulas tegens

 Nulla veste papillas

 Molli illum recipit sinu:

Sic laudes animum, vera ubi concinunt,

Permulcere solent: nec mulier tamen

 Ut cantu sine dulcis

 Spernit psallere tibiæ:

Sic virtus, populus si taceat, sedens

Cessabit: nihilo nec minus obsitâ

 Noctis ferveat umbrâ,

 Et deserta silentio,

Quam cum per medias inclita ducitur

Urbes, & celebris voce faventium

 Direpta hostibus arma

 Affigit foribus Deum.

Cum laudis faciem sumpserit impudens

Fraus, affinxerit & cum tibi non tua

Tom. III.

S

Blan-

Blandâ nomina voce,
 Et dulcem illecebram struet,
 Ne te præcipitem trudat amor tui;
 Ne nugis capiare, ut volucris solet
 Dulci parvula cantu
 Tecti vepribus aucupis.

Ad Fortunam,

Expers consilii, quæ pede lubrico
 Incedis, Zephyris mobilior Dea,
 Et fluctu Jonii incertior æquoris,
 Te, cum læta sinum pandis, & uberes
 Fundis divitias, ac miseris ades
 Improvisa, boni progeniem Jovis
 Dicunt: tu ratio, tu sapientia,
 Servatrix eadem crederis urbium,
 Virtutisque sedens in folio nites.
 Sed mox, torva domos regum ubi concutis,
 Et congesta diu munera, turribus
 Dejectis, subito turbine dissipas;
 Vanæ te comitem stultitiæ ferunt
 Deliram, immeritum tu, titulo bonis
 Dempro, nobilitas: frena superbiæ
 Atris tu manibus detrahis ebræ
 Successu; & ruere hanc sic temere ad suum
 Rides arbitrium, mox humilem truces
 Vultus deposituram. O utinam meæ
 Oblita ostiolum prætereas domus,
 Seu tu sanguineis oppida territans
 Bellis, ingrederis per Latium fera:
 Seu pacemque gerens, & populos beans
 Pennis involitas versicoloribus:
 Nam: sic instabilem visere te meos,
 Vel lætam, atque hilarem, pertimeam lares.



De Francisco Turnonio Cardinali.

Quo tollor pavidus? quo feror insolens?

O quæ Castaliis fontibus aureos

Crines, osque lavis virgineum, genus

Magni Melpomene Jovis.

Cruri purpureos indue candido

Soccos: nam juga transmittimus Alpium

Soli: est unus enim mi comes argui

Mendaci metuens pudor.

Vatem Diva tuum tu moneas viæ;

Si pure colui vestra puer sacra

Fervens mente novâ, si senior tua

Nunc vestigia persequor,

Quercus umbriferas inter, & ilices

Quærens aërias. Non ego divitum

Vanis edidici perstreperere auribus

Empto carmine: non ego

Corruptus prætio nunc mēditor parum

Castæ ducere te ad vestibulum domus.

At tu prome puer, prome age barbiton

Cessantem nimium diu.

Spartanus veluti, per nemus asperum

Dumis insidiantem ut pecori lupum

Egit, cum fremitu, & laude faventium

Pagorum redit ad gregem;

Villorumque globos sanguine sordidos

Bert rictu generoso, e jugulis feri

Vulfos hostis: aquas sic repetit sui

Turnonus Rhodani, bene

Defensa Hesperia clarus, & impigri

Compresso celebrer militis impetu,

Bellonæ ancipitis numina militis

Horrere immemoris diu;

Alternæ sed enim ille admonuit ferum

Fortunæ, celeri vertere turbine

Gaudentis vacuum corpus; uti choros

Lascivæ juvenes ubi
 Ducunt, & Zephyris huc agitantibus
 Atque illuc, Phrygio Sidonias acu
 Illufas clamydes, instabili citæ

Lustrant atria poplite.

Directa ingrediens passibus Æquitas
 Ad normam paribus, nec modulo sibi
 Majore atque aliis commoda dividens,
 Quorum non dubia est comes.

Illos ære micans non peditum cohors,
 Non sævis equitum turma frementium
 Horrens cuspidibus terreat, aut mari

Vectæ cæruleo rates,

Nam recto favet, & justitiam bono
 Plerumque æquus alit Juppiter exitu,
 Obscuram & tonitru, & fulmine territans

Fraudem, atque implicitos dolos

Nudans. At vigilem fallit amabilis
 Acrem simplicitas, & super æneas
 Accersita fores, & super ardua

Pernix mœnia transfilit.

Hanc puro retinens in gremio fovet
 Sincere Italiam, & diligit hospitam
 Turnonus, patriam civis uti suam,

Natorum, & memor aureæ

Civis conjugis, hunc purpureus pudor,
 Elutisque Fides candida sordibus,
 Et presso digitis ore Silentium

Arcanum insequitur: neque

Infandumque nefas ense domans Themis
 Distrito, comitem se negat inclito
 Impolluta feni, mundave Veritas

Albo lucida pallio.

Ergo permadidos felle animos nigro
 Regum diluere est ausus, & aspera
 Permulcere manu pectora turbidæ

Plena iræ, intrepidam struens

Pacem, quæ manibus sanguineis diu

Attrectata, magis post niteat, velut
 Fulgentes lapides, ærave lucida
 Cum tergere volunt, luto
 Conspurcant; id agens egregius senex
 Celtarum procerum sanguis, & oppida
 Firmans obtinuit Marte labantia
 Quassante, & miseris suas
 Urbes restituit civibus, impigram
 Pacem, tela cruenta inter, & asperos
 Procudens sonitus ferri: etenim gelu
 Torpens quam peperit timor
 Pacem, serviet illa, horrifoni simul
 Bellonæ strepitus ingruerint feræ,
 Imbellis. sed enim desine fervidos,
 Dulcis Melpomene, modos:
 Nam nec cuncta pudor fert, neque veritas
 Cum lucro alma decorum explicuit caput
 Semper: tum melius tecta silentio
 Virtus invidiam latet,

De Horatiano Charactere.

Sunt qui versiculo minutiore,
 Verum pernitido, atque perfluenti,
 Tamquam Palladii liquore olivi
 Complures properent linite chartas:
 Atque, araneoli angulos domorum
 Ut tela tenui solent replere
 Quantumvis facilè, ore fila parvo
 Nentes longa, ita compleant libellos
 Totos versiculo minutiore,
 Hi vatum in numero anne sint habendi,
 Vulgus viderit, atque si qua vulgo
 Pars vatum est similis, quibus Thalia
 Flacci sordeat optimi poëtæ,
 Quòd is versiculo minutiore,
 Atque perfacili, atque perfluenti
 Totas spreverit occupare chartas.

*De Margarita Regis Gallorum
sorore.*

Heu mos, ut atris sæpe coloribus
Contaminatus purum animum inquinat

Vix eluendis fordibus, per
Tædia solliciti laboris.

Me vitreis & fontibus, & coma
Silvæ virentis lætum, & amabile

Ruris silentium sequentem
Aoniæ puerum Camœnæ

Mersere sacri gurgite fluminis,
Intacta ut essem candidior nive;

Immunda sed mox polluit me
Roma luto nimium tenaci:

Quod longa nec dum discutiat dies,
Sacri nec amnes hæcenus abluant:

Quin horret & me, & ora cœno
Fæda nigro refugit Thalia.

Vulgus venenis vertere Cholchicis
Plerasque mentes aptius, eripit

Sensus priores, atque mutat
Alba nigris, maculisque gaudet.

Impurus atra quem populus manu
Tractarit, ille & decolor, & niger

Erit diu, obductamque fæcæm
Vix iterans removebit annus,

Notam relinquens: at mihi candidæ
Mandanda virgo est regia paginæ,

Farnesio jubente: bacca
Purior illa nitens Eoa,

Intaminato digna cani Dæ
Est ore, lucis Castaliis Dæ

Quæ vulgus arcetis profanum,
Et nitido prohibetis amne,

O tetra tandem consilia hæc bonæ
Oblivioni tradite turbidæ,

Labemque nobis rore sacro
Abluite, illuuiemque vulgi.

Deflet mortem Horatii Farnesii.

Te flebimus flos Hesperix puer
Madente multis carmine lacrimis
Et debitam laudi Thalam,
Nania lugubris occupabit.
Ille, ense pectus qui tibi candidum
Trajecit, iisdem vulneribus Latī
Cecidit & spes, & virefcens
Italix decus ense carpsit
Horati eodem. Non ego sauciam
Ictu parentem mortifero tuam
In lacrimas culpam ruentem,
Nec viduæ gemitus puellæ
Compescere ausim carmine: lugeat
Immo illa dulces funere nuptias
Miscens amaro, nec fat unquam
Te misera illacrimata flerit.
Jam nec capillo parcere, nec genis
Æquum puella est regia; lacrimis
Efflagita Martem cruentum
Uberibus, pueri cadentis
Dulces ocellos, & tuâ gaudia,
Quæ conciderunt exorientia:
Ut stella, quæ vix dum coorta
Hesperium occultitur sub æquor.
Non ille avorum, nec foci immemor:
Dulcique flagrans igne tui, neci
Ultro obvios gressus superbos
Intulit, intrepidumque pectus
Objecit hosti, quæ violentius
Bellona nigris fœda cruoribus
Est visa Martis sævientis
Sanguineas glomerare turmas.
Nunc lætus umbras vulnera nobiles

Ostentat inter pulchra, nemus tenens
 Beatum, ubi Hæctorque, & Latini
 Sunt veteres, Rutulique reges.
 At Theſpiis o grata ſororibus
 Oblivioſi pellere temporis
 Idonea umbram, atræque mortis,
 Gloria vulneribus mederi;
 O trade Muſis, & Polyhymniæ
 Cuſtodiendum nomen Horatii
 Clarum, & domum Farnæſiorum
 Hanc Latii, Italiæque lumen.

In Petrum Victorium.

Nobis, Calliope, magnum alienum æs ſuperest vetus
 Nam pridem ratio ſcripta mihi eſt pectore in intimo:
 Tu quæſo patere a te ſolvam quidquid id eſt, Dea.
 Non Victorius eſt exiguis verſibus, aut lyræ
 Aptandus tenui: veſter amat Phœbus eum neque
 Ulli plura bonum munificâ crediderim manu
 Largitum, uber enim ſicut ager, ruraque pampino
 Mitis florida Jacchi, & Bromio, & frugibus oppida
 Circum plena hilarant, muneribus dives Apollinis
 Etruſcos populos ingeniî fruge bonâ bonus
 Ille enutrit alens. Sic ſenior vertice Pelii
 Olim Phyllirides frondifero ſemifer uberi
 Grajos nobilium ſeminio dicitur artium
 Ditaffe. Ille dies e medio tollere qui poteſt
 Ritu Cecropio ſcripta tibi clara volumina,
 Victori, eripiet roriferis ſidera noctibus,
 Idem ſubtrahet & piſcibus, idem æquora nantibus,
 Contages populi tetigit lurida morbidi
 Numquam: te ambitio curriculum prætereuntium
 Obliquis oculis adſpiciens nec pepulit; neque
 Illi roboris hoc attribuit Juppiter, ut ſacrum
 Phœbo deſcutiens commoveat pectus; originem
 A Cæo licet, & Porphyrione a valido trahat
 Conatis ſolium Cœlicolum ſcandere fratribus.

Non

Non res, cui cumulus semper abest, cunctave metiens
 Aurum te pupugit: te nitidum Musa salubribus
 Fontis Castalii lavit aquis candida: tu meæ
 Es lumen patriæ percelebris: sat mihi fructum
 Ignava hæc tulerint exilia in montibus asperis
 Quæsitâ; argueris desidiæ ni tibi debitum
 Carmen, nive inopis quod citharæ dinumerem modos,
 Acceptum id mihi te ferre neges, jureque respuas.

In campanas.

O quæ terrificos vicinâ e turre cietis
 Tot nocte ærâ sonos tinnula, torque die,
 Si mihi venturæ noctis dormire licebit
 Per tot tinnitus particulam misero:
 Nec cum defessos jam jam continget ocellos,
 Vos metuet subito diffugietque sopor:
 Ipse ego cras vobis ultro tortique rudentis
 Spiras, & firmo e robore fulcra dabo:
 Tutius ut sonitu Boreamque lacerare sævo
 Possitis posthac, & maria, & tonitrus.

In eadem.

Cum cinctum nimbis, & nigrâ nube sedentem
 Deficient olim flammea tela Jovem:
 Cum fuenta in Pontum plenis decurrere ripis
 Præcipitem sistent flumina prona pedem:
 Fluctibus & raucis Siculum pertundere littus
 Jonii cum jam desinet unda maris:
 Tunc quoque vicinis suspensa in turribus æta,
 Cessabunt bombos edere raucifonos.

Idem.

Cum mare nec fremitus edet, nec sibila venti,
 Nec nimbi, abruptis nubibus igne, sonum:
 Et cum nubigenæ Thaumantidis ora, sinumque,
 Deficiet croceus, purpureusque color:

Cum


Cum pontum nitidi pisces, cum littora pictæ
 Conchæ, cum densum deseret umbra nemus;
 Turre tua tunc Corneli dulcissime raticos
 Tinnula cessabunt æra ciere sonos.

Ad Germanos.

Quod vos apud, Germaniæ humanissima
 Gens, culpor, atque turpioris flagitii
 Ornasse dicor nescio quid laudibus,
 Impuro id est ab homine confictum, & levi:
 Testisque tellus omnis est mihi Itala,
 Tantum me ab omni abesse turpitudine,
 Quantum ille ab omni laude semper abfuit.
 Annis ab hinc triginta, & amplius, scio,
 Nonnullâ me, fortasse non castissimis
 Lusisse versibus; quod ætas tunc mea
 Rerum me adegit inscîa, & semper jocos
 Licentius gavisâ, concessu omnium,
 Juventa: quod fecere & alii item boni.
 At nunc abit juventa, lusus permanet:
 Et carmini illi nomen adscribunt meum
 Idem, quod ante erat: nec adscribunt diem
 Eandem, erat quæ quando id olim lusimus:
 Sed quod puer peccavit, accusant senem.
 Verum hoc ut ut tamen sit, obscœni nihil
 Scripsisse me scitote: namque tunc quoque
 Festiva nos a turpibus secrevimus,
 A mollibusque impura: cumque versibus
 Laudavimus Furnum, haud mares laudavimus
 (Quod ille ait per maximam calumniam)
 Sed feminas plane, ut videre carmine
 Ex ipso adhuc potestis, atque moribus,
 Industria, pudore, continetia,
 Lasciviam nos carminis correximus
 Illius, emendavimusque seriis
 Jocos, boni quod litteris quam plurimi
 Testantur: inter quos senex illè optimus

Est Bembus: is me versibus lectissimis
 Ornavit, is pedestribus sermonibus,
 Cum maxima esset dignitate præditus,
 Et splendide habitare in meâ dixit domo
 Virtutem, homo gravis, senectute ultimâ,
 Eburneâ, tu Flamini, me concinis
 Lyrâ, & libellos dicis aureos meos.
 Victoriousque candidus me laudibus
 Complexus omnibus, vereri vos vetat
 Quid turpe de me. Non ego possum infici
 Calumniæ caligine ulla turbidæ,
 Quando tuetur fama me consentiens,
 Constantisque vatum: totaque testimonio
 Et acta pure vita luce in urbium
 Clarissimarum, diligit me civitas
 Beata Venetum, ut diligit cives suos.
 Quid? clariorem habere quod me neminem
 Se dicitat flos patria urbium mea?
 Quid nobilem oppidum Bononiæ, artium
 Causâ bonarum, cognitum vobis quoque?
 Exquirite, amabo vos, quid sentiat
 De me: mea illa civitas nutrix fuit,
 Namque erudit illa nos a parvulis.
 Quid ipsa Roma? prædicanti ignoscite
 De me mihi, non tota nos complectitur
 Amore, mater liberos uti sinu
 Complexa gaudet? quare habere transfugæ
 De me fidem nolite perditissimo:
 Sed enecate eum in dies magis siti,
 Pedoribusque & esuritionibus:
 Quod belle adhuc fecisse vox existimo,
 Virtute natio, & fide atque industriâ,
 Et litteris clara, ingenii que gloriâ.

20 02 20 02



M. ANTONII CASANOVÆ

MANTUANI.



De Scriptore & Citharædo.

Lælius est scriptor, Janus citharædus: uterque
 Ejulat; hic chiragrâ, Lælius at podagrâ.
 Ambo nocent manibus: scribendo hic, ille tacendo.
 Iste omnes lacerat: omnibus ille placet.
 Ut juvet hic omnes; ne lædat Lælius omnes:
 Sit chiragra huic podagra: sit podagra huic chiragra.

In Julium II. Pont. Max.

Vix bellum indictum est, cum vincis, nec citius vis
 Vincere, quam parcas: hæc tria agis pariter.
 Una dedit bellum, bellum lux sustulit una;
 Nec tibi, quam bellum, longior ira fuit.
 Hoc nomen divinum aliquid fert secum: & utrum sis
 Mitior, ane idem fortior, ambiguum est.

Ad Cardinalem Columnam seniozem.

Si inspiciant populi desiderium, alta Columna,
 Quandocumque obeas; vixeris una parum.
 Si spectent, quotquot tu erexeris, atque relictum
 Ne meritum unum illis; vixeris una fatis.
 Mirentur si animi, atque operum monimenta tuorum,
 Dicent te nullo tempore posse mori.

In Zeusim Pictorem.

Pinixisses totam Venerem, nisi sola supersint
 Lumina, & ut pingis forte sinistrum oculum;

Acci.

Accensus mire est: lychnum absumplisse papyrum
 Zeusi putas? ussit se ipsa suis facibus.
 Namque tuis oculis flammæ impexit ocellus,
 Inque oculum rediit flamma tuo ex oculo:
 Ut Sol, cum excipitur speculo, speculoque reflexi
 Ipsi urunt radii rem speculo oppositam.

De Alexandro Magno.

Testatur se uno rerum natura minorem,
 Nam, quod plus posset vincere, non habuit.
 Parvus Alexandro fuit orbis: sed fuit orbi
 Magnus Alexander; ipse sibi exiguus.
 Questus, quod citius, quam miles, terra deesset;
 Quodque suum Oceanus clauderet imperium.
 Omnia vicisset: sed non tamen omnia vicit
 Ille, ubi se solum vincere non potuit.

Hannibal.

Primus in Ausonios objectas esse per Alpes
 Dicor, & æthereas non timuisse minas.
 Ante ego quam Italiam, Romanaque signa viderem,
 Cum duris scopulis, & Jove bella gero.
 Cui non obstiterint Alpes, non Juppiter hostis
 Viccrit; Ausonii perdomuere duces.

De M. Tullio Cicerone.

Proscribi nisi ab hoc Cicero, & nisi percuti ab illo
 Posset: par facinus hic jubet, ille facit,
 Carnificem invenit tam sævum Antonius: ipse
 Vix ullâ posset sævior esse manu.
 Illum non vellet se servavisse patronus:
 Illum non vellet se genuisse pater.

De Papyrio Cursore.

Dum tibi tam celeres palmæ rediere, videris
 Plus manibus Cursor currere, quam pedibus.

De Virginia.

Perdere ne possit cum libertate pudorem,
 Quam melius cecidit filia Virginii!
 Servat utrumque cadens: fuerit pulcherrima virgo;
 Non tamen est plagâ pulchrior illa suâ.
 Dicere jure potest fugiens dispendia vitæ:
 Plus enectâ patri debeo, quam genita.

De Portiâ.

Portia magnanimi poteram post fata Catonis
 Vivere? debueram non suæ esse patri.
 Sed me fata tuo servabant, Brute, dolori:
 An dux ad mortem non satis unus erat?
 Dumque sibi ferrum queritur moritura negari:
 Hanc, ait, explorant Numina & igne domum.

De Clælia.

Si potuit sacros contemnere Mutius ignes,
 Et mihi, ait, sacræ cur timeantur aquæ?
 Dumque animosa jacet rapidum se Clælia in annem:
 Quém fugio, est hostis, quam peto, ait, patria est.

De Lucretiâ.

Dicite, cum melius cadere ante Lucretia possit,
 Cur potius voluit post scelus illa mori?
 Crimine se absolvit manus illa, habitura coactæ
 Ultorem, & patriæ depositura jugum.
 Quam bene contempto sacrat sua pectora ferro,
 Dum pariter famæ consulit, & patriæ?

De Bruto.

Natorum cæde orbasti te nomine patris,
 Cerneret ut verum te tua Roma patrem.
 Et semel optasti pulchram per vulnera mortem,
 Ut nullo posses tempore, Brute, mori.

De Hannibale, Romam obsidente.

Ne sua confccleret ſpectando lumina Phœbus,
 Nubilus hic, inquit, fit ſine luce dies.
 Pœnus ait: miles clypeis, age, pelle tenebras;
 Terribilique duplex uſus in ære fuit.
 Tunc vigili Iliacas tutaris Juppiter arces;
 Vix tamen & tanti ſunt tua tela patet.

De Hannibale, dum a Scipione ſuperatur.

Herculei focius decoris, quo rupit in ima
 Altius Auſoniæ viſcera nulla manus,
 Per cœlum Libycis referat qui gentibus orbem,
 Exuperans uni vix juga viſa Deo:
 Dum caderet pubes Italis ſpectata ruinis,
 Talem indignanti protulit ore ſonum:
 Quis neget armatum me majeſtate parenti?
 Eripere arma poteſt hæc mihi nulla dies.
 Hannibali ſat nomen erit, quo terreat hoſtes:
 Et dum me noris vivere, Roma, time.

Scipio Africanus major.

Lælium amicitia, at victos clementia, virtus
 Hannibalem, ſed nec ſolum habet Hannibalem:
 Nam me etiam, ut vinco, virtus Carthaginem utramque
 Teſtem habet: ac pietas patrem habet, & patriam.

Horatius Cocles.

Solus ad anguſti Cocles discrimina pontis,
 Cum daret ingentem grata ruina ſonum:
 Non gravis unus, ait, patriæ jactura reliqui
 Non reditum ipſe mihi, nec tibi, Etruſcæ, viam.
 Et ſe dum jaceret rapidas animoſus in undas,
 Per medias victor navit onuſtus aquas.

Non

Non undæ, hostesve obstiterunt, quin arma referret,
 Arma quibus servat se patriæ, & patriam.
 Quid contemptorem ferri miraris, & undæ?
 Majores animas hac tibi, Roma, dabo.

M. Marcellus.

Virtutem dixisse reor, cum templa dicares:
 Pro me Marcelli numina, Roma, cole.

Q. Cincinnatus.

Quintius adspiceret si tam diffusa sepulchra,
 Diceret; ipse minor noster agellus erat.
 Uxorem tamen ille, & dulcia pignora alebat:
 At moles unum vix tegit ista hominem.
 Respondere meo certabunt rura labori,
 Ista tamen secum mortua terra jacet.
 Quantum, dum vixit, patriæ nocuisse putatis
 Istum, quando etiam post sua fata nocet?

Demosthenes.

Quid dat præcipuum calamus Demosthenis? an ne
 Scripta viri eximii? sive necem egregiam?
 Utraque res digna est, ista se liberat, illis
 Libertatem almae quæsierat patriæ.
 Erras, si hunc periisse putas: neque enim exiit unquam,
 Quod non sit dignum vivere, ab hoc calamo.

M. T. Cicero.

Quod majus lumen, Demosthenis, an Ciceronis?
 Hic nullum, paucos ille pares habuit.
 Hic decus, ille aurum præfert, hic fortis, at ille
 Degener, eloquium hic donat, at ille locat.
 Profuit assiduè hic, numquam ille obfuit: illi
 In miseros studium, huic dicere pro miseris.
 Immo cum Spartis Thebas, & congere Athenas:
 Quod mentita sibi est Græcia, habet Cicero.

C. Plinius Secundus.

Plinius, & Titan illustrant omnia : lucem
 Ille dedit terris, artibus ille dedit.
 Verus uterque pater : te propter, maxime Lari,
 Jure se ait soles orbis habere duos.

Tutia.

Omnia quæ vigili semper Dea lumine cernis,
 Si mereor, ne me sic patiare mori.
 Tuque, Tibri, fave, patriæ fidissime custos :
 Cujus virginibus numen adesse solet.
 Et cribro sancti dum ferret fluminis undam,
 Cedite, ait, famæ turba profana meæ.
 Cedite, nunc mea vita ullo ne possit ab ævo
 Extingui, æterno lumen ab igne capit.

De pictura quadam.

Posse loqui credas : sunt & sua sensa tabellæ.
 Nunc gemino geminas una agit ore faces.
 Cetera si formæ respondent, femina nasci,
 Aut Dea non pingi pulchrior ore potest.

Claudius Nero.

Dum celeres animos celeri pede Claudius æquat,
 Mecum age nunc miles utere, ait, pedibus.
 Mox etiam : pedibus quid posses, vidi ego, miles,
 Nunc ostende hosti, quid valeas manibus.

M. Caracciolus

Postquam animam in vacuas effudit Martius auras,
 Audiit & nati tristitia fata parens:
 Testem, inquit, nate exilium virtutis habebas :
 At testem exitium nunc pietatis habes.

Fulvius Flaccus.

Si renuo, invidiam, perituros Flaccus honores :
 Quod caret invidiâ, non renuo exilium.

Dum me, quod renuo, fatearis Roma mereri
Et, quod non renuo, me meruisse neges.

Cossus.

Jure, ait, ingenti rapior ardore duelli:
Et patria immemorem me facit esse mei,
Nam si vincendum est, vel si mihi forte cadendum,
Victurus melius, nec moriturus ero.

Sertorius.

Dicere Dardaniis poterat nutritus in armis,
Dura per Hesperium dum gerit arma solum:
Armavi invictum me majestate perenni:
Nil timet hæc, miles dum gerit arma, manus.
Compulit hæc toties fugientem in castra Metellum,
Hæc toties Magni terga videnda dedit.
Illustrare alii poterunt per funera vitam:
Vita mihi vitam post mea fata dabit.

Lucullus.

Ut se barbaricis revocari sensit ab armis
Lucullus, tales solvit ab ore sonos:
Nil superest, quod agas; quid enim tibi, Magne, relictū est
Crede tibi hoc Pontum dicere, & Armeniam.
Quos titulos mihi, Roma, tuus dare debuit hostis,
Ipsa negas, quod non vis dare, fama dabit.

Curtius.

Nunc ego, vos Superi, testes pietatis habebo;
Dixit: & impulso præcipitatur equo.
Quam bene devovit speciosos Curtius annos!
Pulchrior & quanto mors miseranda venit.

De C. Fabio & Paulo Æmilio.

Eraterna Fabius renuit nece, fata triumphus
Inter natorum contigit Æmilio.
Fortunam hic, pietas hunc vicit, tam bene vinci,
Tam bene qui possit vincere, nullus erit.

Me-

Menenius Agrippa.

Communi Agrippæ decorant dum funera sumptu,

Ista locuturus, si potuisset, erat:

Paupertas nostræ fuerat gratissima vitæ:

Cur mihi mors pompâ luxuriosa novâ?

Vivus eram minimo contentus: post sua fata

Non etiam minimo mortuus ullus eget.

Paupertas, post fata figens, ditissima res est:

Sola suas nullo tempore perdit opes.

De Marte, & Minervâ.

Cum sine patre datus Mars, & sine matre Minerva:

Plusne boni natum creditis, an ne mali?

De M. Marcello.

Non mallet captam tanto præ funere Romam

Pœnus, & ingenti sic ferus ore tonat:

Qui potuit patrium spoliis ornare Tonantem,

Quique Syracula victor ab urbe redit:

Quem sua per gladios evexit ad æthera virtus;

Hic potuit vestri terga videre ducis.

Quod si Marcellum Carthaginis ora tulisset;

Hoc duce jam, fateor, diruta, Roma, fores.

De C. Julio Cesare dictatore.

Spectat Alexandri picta ut certamina Cæsar.

Ast ego nondum aliquid gessi; ait illacrimans.

Quid? si & Alexander spectasset Cæsaris acta,

Dixisset: Persas vincere pigritia est.

De Pompejo Magno.

Nostra trophæa orbem implerunt, & Nerea tutas

Per magnum soli fecimus ire rates.

Cetera confeci; civilia bella relicta

Sunt tantum alterius conficienda manu.

Plus quemquam, fas non esset ; sceleri datur, ullum
Fortunæ metam præteriisse meæ.

De M. Bruto, & C. Cæsare.

Cæsaris, & Bruti sacratum sanguine ferrum
Officium patriæ præstitit, & domino.

Una pium cædes ostendit, & altera fortem :
Non alio Cæsar debuit ense mori.

De Horatio, & Fabio.

Servasse hanc cursu memoratur Horatius urbem :
At Fabius solâ restituisse morâ.

Tam bene cunctari qui possit, non erit ullus :
Tam bene qui possit currere, nullus erit.

De tribus Deciiis.

Tres Decii Romæ nascuntur. Numina nasci
Jure illos alio non voluere loco.

Sed dum se patriæ sic devovere, videntur
Nec melius nasci, nec potuisse mori.

De Atilio Cæsaris milite.

Dum videt abscissæ miles dispendia dextræ :
Sufficiat bello læva superstes, ait.

Quam quoque ut injectat virtus animosa carinæ,
Sorte neque alterius territus ille pari est :

Victor adhuc, hostem impellens sic intonat ore :
Discite, quos habeant Cæsaris arma viros.

Nos freta, nos ferrum, nos temere possumus ignes :
Vincimus absque manu : vivimus absque animâ.

De Juliâ Pompejâ Cæsaris filiâ.

Dixisset sic mœsta viro, sic mœsta parenti,
Ante faces patriæ ni tumultata foret :
Noster erit, quisquis referet victricia signa :
Et qui victus erit, hic quoque noster erit.

Sed

Sed sum vel victo pariter casura parente
Julia, vel victo sum moritura viro.

De Eurydice.

Nulla suos uxor melius jactabit amores :
Nam mori, ut Eurydice, bis bene nulla potest.
Et si forte mori cuiquam bis posse daretur,
Eurydice fieri non tamen ulla velit.

De Spartana matre, filium interficiente.

Dum se, & dum patria indignum Spartana necaret,
Quærenti dixit, nunc ego mater ero.
Plus pariet mihi, ventre manus : facit ista parentem :
Quæ mihi, quæ patriæ non peritura parit.

C. Cassius.

Proiice te in ferrum miles, jurabitur istos
Per cineres : victus pro patriâ moreris.
Nil post fata refert volucres pavisse : sacrabis
Plus campi, quo plus dilaceratus eris.
Ecquid erit, vester metuam quod Cassius, illum
Non metuens, magni qui tremor orbis erat ?

Plato.

Ut referunt sacri incunabula prima Platonis ;
Ipsius in labris mellificastis, apes,
Ni nos deludunt oracula Socratis, illi
In somnis cycni visus in effigie est.
Judicia hæc voluere, auditor dignus ut esset
Socratis, & dignus doctor Aristotelis.

Aristoteles.

Uno oculo unum hominem mirum est potuisse videre
Quidquid cælum oculis prospicit innumeris.
Ni tot lumina habet, quot verba ; at fallimur, uni
Ni verbo innumeros credimus esse oculos.

Jure ab Aristotele nil cœlum distat : uterque
Dum videt æternis omnia luminibus.

Penthesilea.

Penthesilæa, rux si vera est fama catervæ,
Optarent tales spicula nostra viros.

Epitaphium Paulla.

Servatura virum venienti se obiiicit hastæ;
Et non femineo pectore tela tulit.
Dum trajecta manu trahit hastam Paulla: secuta est
Hasta manum, hastam anima, & læta sua ipsa nece est
Felix, quæ fidei sic spectatore marito
Occidis, & vitæ plus paritura peris.

Parthenius.

A se servatum Martisque, forique procellâ,
Dum videt in se ensem stringere Parthenius:
Et dextram, & linguam illi offert, atque insit: utramvis
Abscinde: hæc pro te pugnat, & hæc loquitur.

De Homero.

An Smyrna est, quæ te nascentem excepit, Homere?
An ne fuit, varem quæ tumulavit, Jos?
Altera nomen habet violæ; tenet altera myrrhæ:
Fata tuum his decorant ortum, obitumque locis.
Quid magis est, quod te divine deceret Homere.
Quam nasci in myrrhâ, decedere in violâ?

De Virgilio.


Dicite, qui ripas Minci coluistis, Olores,
Vobiscum exorta est gloria Virgilio?
Dic mihi Parthenope, sic sis pulcherrima semper,
Virgiliusne tuo decidit in gremio?
Et meruit, cui contigerat nasci inter Olores,
Inter Sirenum decubuisse choros.

Prospero Columnæ.

Tres modo fama duces circa tria munera belli
 Ante alios primum iussit habere locum:
 Castra locare, fuit Pyrrhi, Fabiique morari,
 Marcelli proprium, conseruisse manus.
 Tu castris hostemque morâ, & certamine, Prosper,
 Vicisti; atque trium quod fuit, unus habes.

BALTHASAR. CASTILIONII

MANTUANI.

*Alcon.*

EReptum fatis primo sub flore juventæ,
 Alconem nemorum decus, & solatia amantum,
 Quem toties Fauni, & Dryades sensere canentem,
 Quem toties Pan est, toties miratus Apollo,
 Hebant pastores, ante omnes carus Jolas
 Tristitia perfundens lacrimis manantibus ora,
 Crudeles superos, crudeliaque astra vocabat.
 Ut gemit amissos fœtus Philomela sub umbris,
 Aut qualis sociâ viduatus compare turtur,
 Quam procul incautam quercu speculatus ab altâ
 Immitis calamo pastor dejecit acuto:
 Non viridi fedit ramo, non gramine læto,
 Non vitrei dulcem libavit fluminis undam,
 Sed gemitu amissos tantum testatus amores,
 Languidulus mœstis complet nemora alta querelis.
 Nulla dies miserum lacrimis sine vidit Jolam,
 Nec cùm Sol oritur, nec cum se condit in undas;
 Non illi pecudes, non pingues pascere tauros
 Cura erat, aut pastos ad flumina ducere potum

Hædorumve gregem, aut vitulos includere septis,
 Tantùm inter silvas, aut solo in littore secum
 Perditus, & seræ oblitus decedere nocti
 Rupibus hæc frustra, & furdis jactabat arenis.
 Alcon deliciæ Musarum, & Apollinis, Alcon
 Pars animæ, cordis pars Alcon maxima nostri,
 Et dolor, his lacrimas oculis habiture perennes,
 Quis Deus, aut quis te casus miser abstulit? ergo
 Optima quæque rapit duri inclementia fati?
 Ergo bonis tantum est aliquod male numen amicum?
 Non metit ante diem lactentes messor aristas,
 Immatura rudis non carpit poma colonus:
 At fera te ante diem mors nigro immerisit Averno,
 Injecitque manus rapidas crescentibus annis.
 Heu miserande puer, tecum solatia ruris,
 Tecum amor, & Charites periere, & gaudia nostra.
 Arboribus cecidere comæ, spoliataque honore est
 Silva suo, solitasque negat pastoribus umbras.
 Prata suum amisere decus: morientibus herbis
 Arida; sunt sicci fontes, & flumina sicca.
 Infœcunda carent promissis frugibus arva,
 Et mala crescentes rubigo exedit aristas.
 Squalor tristis habet pecudes, pecudumque magistros:
 Impastus stabulis sævit lupus, ubere raptos
 Dilaniatque ferus miseris cum matribus agnos:
 Perque canes prædam impavidus pastoribus aufert.
 Nil nisi triste sonant, & silvæ, & pascua, & amnes,
 Et liquidi fontes tua tristia funera flerunt
 Et liquidi fontes, & silvæ, & pascua, & amnes.
 Heu miserande puer, tangunt tua funera Divos.
 Per nemora agricolæ flentes videre Napeas,
 Panaque, Silvanumque, & capripedes Satyriscos,
 Sed neque jam lacrimis, aut questu fata moventur
 Impia, nec nostras audit Mors furda querelas.
 Vomeribus succisa suis moriuntur in arv s
 Gramina, deinde iterum viridi de cespite surgunt;
 Rupta semel non deinde annectunt stamina Parcæ.
 Adspice, decedens jam Sol declivis Olympo

Occidit, & moriens accendit sidera cœlo;
 Sed tamen occiduo cùm laverit æquore currus,
 Idem iterum terras orienti luce reviset.
 Ast ubi nigra semel duræ nos flumina mortis
 Lavere, & clausa est immitis janua regni;
 Nulla unquam ad superos ducit via, lumina somnus
 Urget perpetuus, tenebrisque involuit amaris:
 Tunc lacrimæ incassum, tunc irrita vota, precesque
 Funduntur, fert vota Notus lacrimalque, precesque.
 Heu miserande puer, fatis surrepte malignis,
 Non ego te posthac pastorum adstante corona
 Victorem adspiciam volucris certare sagittâ,
 Aut jaculo, aut dura socios superare palæstrâ.
 Non tecum posthac molli resupinus in umbrâ
 Effugiam longos æstivo tempore soles,
 Non tua vicinos mulcebit fistula montes,
 Docta nec umbrosæ resonabunt carmina valles:
 Non tua corticibus toties inscripta Lycoris,
 Atque ignis Galatea meus, non jam simul ambos
 Audierint ambæ nostros cantare furores.
 Nos etenim a teneris simul usque huc viximus annis,
 Frigora, pertulimusque æstus, noctesque, diesque,
 Communique simul sunt parta armenta labore.
 Rura mea hæc tecum communia, viximus unâ,
 Te moriente igitur cur nam mihi vita relicta est?
 Heu male me ira Deûm patriis abduxit ab oris.
 Ne manibus premerem morientia lumina amicis,
 Aut abeuntis adhuc supremum animæ halitum in auras
 Exciperem ore meo, gelidis atque oscula labris.
 Invideo, Leucippe, tibi, suprema dolenti
 Deficiens mandata bonus tibi præbuit Alcon;
 Spectavitque tuos morienti lumine vultus,
 Frigida tu mœsto imposuisti membra feretro,
 Sparsisti & lacrimis bustum, ingratumque sepulchrum,
 Inde ubi desletum satis est, & iusta peracta,
 Alconem ad manes felix comes usque secutus
 Amisso vitam socio non passus inertem es;
 Et nunc Elysia lætus spaciaris in umbrâ,

Alcone & frueris dulci, æternumque frueris.
 Atque aliquis forsan pastor pius ossa sepulchro
 Uno eodemque simul florentis margine ripæ,
 Amborum sacro manes veneratus honore,
 Composuit, lacrimasque ambobus fudit easdem.
 Ast ego nec tristes lacrimas in funere fudi,
 Debita nec misero persolvi iusta sodali.
 Quin etiam fortis duræ, ignarusque malorum
 Vana mihi incassum fingebam somnia demens.
 Hæc ego rura colam celeberrima; tum meus Alcon
 Huc veniet linquens colles, & inhospita saxa,
 Infectasque undas, & pabula dira veneno,
 Molliaque inviset prata hæc, fluviisque salubres. ;
 Occurram longe, & venientem primus amicum
 Agnoscam; primus caris complexibus ora
 Impediam, excutient hilares nova gaudia fletus.
 Sic tandem optato læti sermone fruemur,
 Ærumnasque graves, olim & transacta vicissim
 Damna referre simul, rursusque audire juvabit;
 Tum veteres sensim fando repetemus amores,
 Delitiasque inter pastorum, & dulcia ruris
 Otia, securæ peragemus tempora vitæ.
 Hæc amat arva Ceres, juga Bacchus, pascua Apollo;
 Ipsa Pales herbas pecori, lac sufficit agnis.
 Montibus his passim teneræ assuevere Napeæ
 Sæpe feras agitare, & sæpe agitare choreas.
 Hic redolens sacros primævæ gentis honores,
 Perluit antiquas Tiberis decora alta ruinas.
 Hic umbræ nemorum, hic fontes, hic frigida Tempe,
 Formosum hic pastor Coridon cantavit Alexin.
 Ergo ades ô dilecte puer: te pascua, & amnes
 Expectant, tibi jam contexunt florea festa,
 Adventuque tuo testantur gaudia Nymphæ,
 Summittitque novos tellus tibi dædala flores.
 Hæc ego fingebam miser ab spe ductus inani,
 Nescius omne nefas morti, fatisque licere.
 At postquam frustrata leves abiere per auras
 Vota mea, & vivos Alconis cernere vultus

Non licuit, vivasque audire & reddere voces,
 Huc saltem, ô saltem umbra levi per inania lapsu
 Advolet, & nostros tandem miserata dolores
 Accipiat lacrimas, fimo & supiria corde
 Eruta, quasque cava hæc resonant antra querelas.
 Ipse meis manibus ripâ hac Anienis inanem
 Constituam tumulum, nostri solatia luctus,
 Atque addam pia tura focus, manesque ciebo.
 Vos mecum ô pueri beneolentes spargite flores,
 Narcissum, atque rosas, & suave rubentem Hyacinthum,
 Atque umbras hederâ, lauroque inducite opacas.
 Nec desint casæ, permixtaque cinnamiamomom,
 Excitet ut dulces aspirans ventus odores.
 Nos Alcon dilexit multum, & dignus amari
 Ipse fuit nobis, & tali dignus honore.
 Interea violas intertextent Amaranthis,
 Et tumulo spargent flores, & ferta Napeæ:
 Et tumulo mœstæ inscribent miserabile carmen;
 Alconem postquam rapuerunt impia fata,
 Collacrimant duri montes, & consitus atrâ est
 Nocte dies; sunt candida nigra, & dulcia amara.

CLEOPATRA.

Marmore quisquis in hoc sævis admorsâ colubris
 Brachia, & æternâ torpentia lumina nocte
 Adspicis; invitam ne crede occumbere letho.
 Victores vetuere diu me abrumpere vitam,
 Regina ut veherer celebri captiva triumpho;
 Scilicet & nuribus parerem serva Latinis,
 Illa ego progenies tot ducta ab origine regum,
 Quam Pharii coluit gens fortunata Canopi,
 Delitiis fovitque suis Ægyptia tellus,
 Atque Oriens omnis Divûm dignatus honore est.
 Sedulitas, pulchræque necis generosa cupido
 Vicit vitæ ignominiam, insidiasque tyranni.
 Libertas nam parva nece est, nec vincula sensu,
 Umbraque Tartareas descendi libera ad undas.

Quod

Quod licuisse mihi indignatus perfidus hostis,
 Sævitiæ insani stimulis exarsit, & irâ,
 Namque triumphali in vectus Capitolia curru,
 Insignes inter titulos, gentesque subactas
 Extinctæ infelix simulacrum duxit, & amens
 Spectaculo explevit crudelia lumina inani,
 Neu longæva vetustas facti famam aboleret.
 Aut seris mea fors ignota nepotibus esset,
 Effigiem excudi spiranti e marmore jussit,
 Testari & casus fatum miserabile nostri.
 Quam deinde, ingenium artificis miratus Julius
 Egregium, celebri visendam sede locavit
 Signa inter veterum heroum, saxoque perennes
 Supposuit lacrimas ægræ solatia mentis:
 Optatæ non ut deslerem gaudia mortis,
 [Nam mihi nec lacrimas lethali vipera morfu
 Excussit, nec mors ullum intulit ipsa timorem]
 Sed caro ut cineri, & dilecti conjugis umbræ
 Æternas lacrimas, æterni pignus amoris
 Mœsta darem, inferiasque inopes, & tristia dona.
 Has etiam tamen infensi rapuere Quirites.
 At tu Magne Leo, Divum genus, aurea sub quo
 Sæcula, & antiquæ redierunt laudis honores,
 Si te præsilium miseris mortalibus ipse
 Omnipotens Pater æthereo demisit Olympo,
 Et tua si immensæ virtuti est æqua potestas,
 Munificaque manu dispensas dona Deorum,
 Annue supplicibus votis, nec vana precari
 Me sine: parva peto; lacrimas Pater optime redde,
 Redde oro fletum, fletus mihi muneris instar,
 Improba quando aliud nil jam Fortuna reliquit.
 At Niobe, ausa Deos sceleratâ incessere linguâ,
 Induerit licet in durum præcordia marmor,
 Flet tamen, assiduusque liquor de marmore manat.
 Vita mihi dispar; vixi sine crimine, si non
 Crimen amare vocas, fletus solamen amantum est.
 Adde, quod afflictis nostræ jucunda voluptas
 Sunt lacrimæ, dulcesque invitant murmure somnos,
 Et

Et cum exusta siti Icarus canis arva perurit :
 Huc potum veniunt volucres, circumque, supraque
 Frondibus insultant, tenero tum gramine læta
 Terra viret, rutilantque suis poma aurea ramis,
 Hic ubi odoratum surgens densâ nemus umbrâ
 Hesperidum dites truncos non invidet hortis.

Profopopæja Ludovici Pici Mirandulani.

Credite mortales, animæ post fata supersunt,
 Diraque mors nostri nil nisi corpus habet.
 Fabula nec manes vana est exire sepulchris
 Per noctem, tenebris & volitare vagos.
 Nam modo, dum nostro Mirandula milite cincta est,
 Vidi ego vera quidem, sed caritura fide.
 Nox erat, & noctem superans candore nivali
 Clara repercusso lumine Luna magis.
 Ipse ego sub muris fossâ defensus opacâ
 Scrutabar, turum qua magis esset iter:
 Adstitit hic subito manifestus mœnibus ipsis,
 Ante oculos Picus visus adesse meos.
 Tristis erat facies, atroque inspersa cruore,
 Et lacerum ambusto tunc quoque crine caput.
 Obstupui, gelidusque tremor per membra cucurrit,
 Et subito arrecta est hirta timore coma.
 Ille autem torvum despectans castra, repente
 Infremuit, gemitu solvit & ora gravi.
 O Pater, o pastor populorum, ô maxime mundi
 Arbiter, humanum qui genus omne regis,
 Justitiæ, pacisque dator, placidæque quietis,
 Credita cui soli est vita, salusque hominum,
 Quem Deus ipse Erebi fecit, cœlique potentem,
 Ut nutu pateant utraque regna tuo,
 Quid potui tantum infelix committere? culpa
 Aut mea quæ nam in te tam gravis esse potest?
 Ut patriam, natumque, meum, uxoremque, laresque.
 Perdere, & excidio vertere cuncta velis?
 Certe ego te propter caput objectare periculis,
 Nec timui toties velle subire necem,

Felsina cum imperium jam detrectaret, & in te
 Tristia civilis fumeret arma furor,
 Hæc mea dextra tuos armis compefcuit hostes,
 Et letho multos sanguinolenta dedit.
 Denique, dum innumeris cupio te ornare triumphis,
 Sanguinis ipse mei prodigus occubui.
 Vulnere testantur nostros hæc sæva labores,
 Implorantque tuam, nomen inane, fidem.
 Flens tener in cunis vagitu natus amaro
 Pollicitis queritur pondus abesse tuis.
 Tot perpeffa graves conjux miseranda labores
 Supplicibus veniam mœsta petit lacrimis.
 Stant miseri squalore patres, trepidæque puellæ,
 Et matrum passis flet pia turba comis.
 Omnes in te animum jam convertere, rogantque
 Ut tua det fessis dextera rebus opem.
 Adspice captivis vacuos cultoribus agros,
 Abductis pecudes, agricolasque boves,
 Disiectasque domos passim populataque raptis
 Arboribus late, & frugibus arva suis.
 Tu vero ulterius lacrimis dulcissima conjux
 Et gemitu manes lædere parce meos:
 Postquam nulla potest mitis clementia diræ
 Consilium mentis flectere, nec pietas;
 Effuge, quodque unum est nostri tibi pignus amoris,
 Dulce onus hinc ulnis fer puerum ipsa tuis.
 Nec mea discedens saxo hic clausa ossa relinque
 Condita: sed caro tecum habeas gremio,
 Ne rabie immani, tumulto sint eruta avito,
 Et jaceant mediâ semisepulta viâ.
 Hæc speranda mihi, postquam sectatur & umbram,
 Sæviti & in cineres mens male grata meos,
 Nec sinit inferias nostro te ferre sepulchro,
 Annuaque extincto reddere justa viro.
 Sed tamen & superi cernunt mortalia, habetque
 Justitiæ ultorem dextra minax gladium.
 Inque malos, sit lenta licet, certa ira Deorum est,
 Pœnaque tam gravior, quam mage sera venit.

Nec

Nec longum nostro lætabitur impius hostis
 Sanguine: fata illum non leviora manent.
 Hæc ille, & plura his, sed verba extrema loquentis
 Terribilis nostro rupit in ore sonus.
 Nam subito ingenti tormenta impulsa ruinâ
 Increpue, e, gravi terra tremit sonitu.
 Fulminei ingeminant ictus, volat impete diro
 Ferrea sulphureo concita ab igne pila.
 Mœnia tum nutant labefacta, at tristis imago
 In tenebras querulo mœsta abiit gemitu.

De Elisabellâ Gonzagâ canente.

Dulces exuvia, dum fata, Deusque sinebant,
Dum canit, & querulum pollice tangit ebur,
 Formosa è cœlo deducit Elisë Tonantem,
 Et trahit immites ad pia verba feras,
 Auritæ veniunt ad dulcia carmina filvæ,
 Decurrunt altis undique saxa jugis,
 Stant sine murmure aquæ, taciti sine flamine venti,
 Et cohibent cursus sidera prona suos.
 Atque aliquis tali captus dulcedine sentit
 Elabi ex imo pectore sensim animam.
 Flebile nescio quid tacite in præcordia serpit,
 Cogit & invitos illacrimare oculos,
 Flecte ratem male grate hospes, neu desere amantem,
 Ah misera, ah mors est jam prope, flecte ratem.
 Quòd si tam dulces nequeunt fera corda querelæ
 Flectere, nec gemitu hoc mens labefacta tua est,
 Non tibi diva parens, generis nec Dardanus auctor,
 Perfide, sed duris cautibus es genitus.
 Surdior ah scopulis dulces fugis, improbe, terras,
 Deliciisq; olim littora chara tuis.
 Illa autem extremo tandem devicta dolore,
 Irrita nil postquam verba, precesque valent,
 Sanguine sancta suo temerati jura pudoris
 Ulta est, ipsa suæ sæva ministra necis,
 Quemque torum toties tecum male presserat olim,
 Infelix etiam nunc premit exanimis.

Respi-

Respice, funeræ sunt illa incendia flammæ,
 Et miseranda illis ardet Elisa rogis,
 Ardet Elisa, tuum sæve indelebile crimen;
 Olim quod terris fama loquatur anus.
 At tua præcipites fugientia carbasa venti
 Cæruleum profuga per mare classe ferunt.
 Obrue devotam, pater ô Neptune, carinam,
 Ah nimis infidum sustinet illa caput.
 Illa virum portat, quem non periuria tangunt,
 Quem non sancta fides, sæve, piuvè movet,
 Quem neque dulcis amor miseræ morientis Elise
 Flectere, nec lacrimæ, nec potuere preces.
 Ah ferus est, quicumque animo non mitis agressi
 Audiit & siccis hæc pia verba oculis.
 Quòd tamen hæc moveant, quòd sint tam dulcia verba,
 Non faciunt verba hæc sed nova Elisa canens.
 Et certe non est hæc uxor Elisa Sichæi,
 Nec quemquam hæc Phrygium novit Elisa virum.
 Altera Elisa hæc est, Superis gratissima, qualem
 Nec tulit ulla unquam, nec feret ulla dies.
 Audiat Æneas hanc si tam dulce querentem,
 Flens ultro ad littus vela dabit Lybicum.
 Quòd si dura nimis, blandisque immota querelis
 Mens fera propositum non remoretur iter,
 Invitam ad littus portabunt æquora classem,
 Flaminaque ad fletus officiosa pios,
 Excidet atque animo regnum dotale, nec unquam
 Dardanius Latium navita classe petet.
 Nam nimium validas facies habet ista catenas,
 Et validum nimis hæc lumina carcer habent,
 Hæc formosa Deas superat forma Heroine,
 Pace tua Venus ô, pace Minerva tua.
 Quidquid agit, pariter certant componere furtim
 Et decor, & Charites, & pudor ingenuus.
 His lætos Natura oculis afflavit honores,
 Et quiddam majus conditione hominum.
 Ambrosiam rosea spirant cervice capilli,
 Et patet egregio vera decore Dea.

Quacunq; ingreditur, læta undiq; pabula vernant,
 Signiq; dat tellus numen adesse aliquod.
 Arrident silvæ passim, tangiq; beato
 Certatim gestit quælibet herba pede.
 O centum æquoræ formosa Doride natæ,
 Et quascunq; maris contigit esse Deas,
 Huic date, quidquid habent gemmarum littora rubra
 Oceani, & quidquid dives arena vehit.
 Quosq; habet alma Thetis, quos & Galatea lapillos,
 Neræe in oculis candida nymp;ha suis.
 Quidquid odoratæ messis Panchaia tellus
 Protulit, huic felix munera portet Arabs.
 Huic uni Seres Tyrio satianda colore
 Arboribus pectant vellera cara suis,
 Hæc una est nostri rarissima gloria sæcli,
 Digna suas cui det maximus orbis opes.
 Vos quoque cœlicolæ hanc merito celebretis honore,
 Non erit hæc vobis dissimulanda Dea.

Hippolyte Balbassari Castilioni conjugi.

Hippolyte mittit mandata hæc Castilioni,
 Addideram imprudens, hei mihi, panè suo.
 Te tua Roma tenet, mihi quam narrare solebas,
 Unam delicias esse hominum, atque Deûm.
 Hoc quoque nunc major, quod Magno est aucta Leone
 Tam bene pacati qui imperium orbis habet.
 Hic tibi nec desunt celeberrima turba sodales,
 Apti oculos etiam multa tenere tuos.
 Nam modo tot priscae spectas miracula gentis,
 Heroum & titulis clara trophæa suis.
 Nunc Vaticanæ surgentia marmore templa,
 Et quæ porticibus aurea recta nitent
 Irriguos fontès hortosque & amœna vireta,
 Plurima quæ umbroso margine Tibris habet.
 Utque ferunt, cœu convivia læta frequenti,
 Et celebras lentis otia mista jocis.
 Aut cithara æstivum attenuas, cantuque calorem;
 Hei mihi quam dispar nunc mea vita tuæ est!

Nec mihi displiceant, quæ sunt tibi grata, sed ipsa est
 Te sine lux oculis panè inimica meis.
 Non auro, aut gemma caput exornare nitenti
 Me juvat, aut Arabo spargere odore comas.
 Non celebres ludos festis ipectare diebus,
 Cùm populi complet densa corona forum,
 Et ferus in media exultat gladiator arena,
 Hasta concurrit vel cataphractus eques.
 Sola tuos vultus referens Raphaëlis imago
 Pieta manu, curas allevat usque meas.
 Huic ego delicias facio, arrideoque, jocoque,
 Alloquor, & tamquam reddere verba queat,
 Assensu. nutuque mihi sæpe illa videtur
 Dicere velle aliquid. & tua verba loqui.
 Agnoscit, balboque patrem puer ore salutat,
 Hoc solor longos, decipioque dies.
 At quicumque istinc ad nos accesserit hospes,
 Hunc ego quid dicas, quid faciasve, rogo.
 Cuncta mihi de te incutiunt audita timorem:
 Vano etiam absentes sæpe timore pavent.
 Sed mihi nescio quis narravit sæpe tumultus,
 Misericque neces per fora, perque vias,
 Cum populi pars hæc Ursum, pars illa Columnam
 Invocat, & trepidâ corripit arma manu.
 Ne tu, ne quæso tantis te immitte periclis,
 Sat tibi sit tuto posse redire domum.
 Romæ etiam fama est, cultas habitare puellas,
 Sed quæ lascivo turpiter igne calent.
 Illis venalis forma est, corpusque, pudorque;
 His tu blanditiis ne capiare, cave.
 Sed nisi jam captum blanda hæc te vincla tenerent,
 Tam longas absens non paterere moras.
 Nam meminî, cum te vivum jurare solebas
 Non me si cupias, posse carere diu.
 Vivis, Castilion, vivasque beatius, opto,
 Nec tibi jam durum est me caruisse diu.
 Cur tua mutata est igitur mens? cur prior ille,
 Ille tuo nostri corde refrixit amor?

Cur tibi nunc videor vilis, nec, ut ante solebam,
 Digna, tori sociam quam patiare tui?
 Scilicet in ventos promissa abiere, fidesque,
 A nostris simulac vestri abiere oculi.
 Et tibi nunc forsitan subeunt fastidia nostri;
 Et grave jam Hippolytes nomen in aure tuâ est.
 Verum ut me fugias, patriam fugis improbe? nec te
 Cara parens, nati nec pia cura tenet?
 Quid queror? en tua scribenti mihi epistola venit,
 Grata quidem, dictis si modo certa fides;
 Te nostri desiderio languere, pedemque
 Quamprimum ad patrios velle referre lares,
 Torquerique morâ, sed Magni iussa Leonis
 Jamdudum reditus detinuisse tuos.
 His ego perlectis, sic ad tua verba revixi,
 Surgere ut æstivis imbribus herba solet.
 Quæ licet ex toto non ausim vera fateri:
 Quali acumque tamen, credulitate juvant.
 Credam ego, quod fieri cupio, votisque favebo
 Ipsa meis, vera hæc quis vetet esse tamen?
 Nec tibi sunt præcordia ferrea, nec tibi dura
 Ubera in Alpibus cautibus ursa dedit.
 Nec culpanda tua est mora: nam præcepta Deorum
 Non fas, nec tutum est spernere velle homini.
 Esse tamen fertur clementia tanta Leonis,
 Ut facili humanas audiat aure preces.
 Tu modo & illius Numen veneratus adora,
 Pronaque sacratis oscula da pedibus.
 Cumque tua attuleris supplex vota, adice nostra,
 Atque meo largas nomine funde preces.
 Aut jubeat te jam properare ad mœnia Mantus,
 Aut me Romanas tecum habitare domos.
 Namque ego sum sine te, veluti spoliata magistro
 Cymba, procellosi quam rapit unda maris.
 Et data cum tibi sim utroque orba puella parente?
 Solus tu mihi vir, solus uterque parens.
 Nunc nimis ingrata est vita hæc mihi; namque ego tantum
 Tecum vivere amem, tecum obeamque libens.

Præstabit veniam mitis Deus ille roganti,
 Auspiciisque bonis, & bene, dicet, eas.
 Ocyus huc celeres mannos conscende viator,
 Atque moras omnes rumpe, viamque vorâ.
 Te læta excipiet festisque ornata coronis,
 Et domini adventum sentiet ipsa domus.
 Vota ego persolvam templo, inscribamque tabellæ;
 Hippolyte salvi conjugis ob reditum.

De morte Raphaëlis Pictoris.

Quod lacerum corpus medicâ sanaverit arte,
 Hippolytum Stygiis & revocarit aquis;
 Ad Stygias ipse est raptus Epidaurius undas.
 Sic pretium vitæ mors fuit artifici.
 Tu quoque dum toto laniatam corpore Romam
 Componis miro Raphaël ingenio.
 Atque urbis lacerum ferro, igni, annisque cadaver
 Ad vitam, antiquum jam revocasque decus,
 Movisti Superum invidiam, indignataque mors est,
 Te dudum extinctis reddere posse animam:
 Et quod longa dies paulatim aboleverat, hoc te
 Mortali spretâ lege parare iterum.
 Sic miser heu prima cadis intercepte juventâ,
 Deberi & morti nostraque, nosque mones.

De Paulo canente.

Dulcia dum pulcher modulatur carmina Paulus,
 Dum mulcet colles &, mea Roma, tuos,
 Adcurrere simul Dryades, Faunisque bicornes,
 Ora immota truces & tenuere feræ.
 Tibris arundineo glaucum caput extulit alyeo,
 Et stupefacta novo restitit unda sono.
 Tum vocem, numerumque, inquit, miratus Apollo
 Orpheus Elysia valle meus rediit.
 Sed faciem ut vidit pueri, sacrumque decorem,
 Certe, ait, hic proles est, Cytherea, tua

Sæve puer, tentas me vincere voce, lyraque:
An vicisse arcu est gloria visa levis?

De Viragine.

Semianimem in muris mater Pisana puellam
Dum fovet, & tenero pectore vulnus hiat:
Nata tibi has, dixit, tædas, atque hos hymenæos,
Hæc defensa tuo mœnia Marte dabunt?
Cui virgo, haud alias tædas, alioſve hymenæos
Debuit hæc nobis grata rependere humus.
Hanc ego sola meo servavi ſanguine terram,
Hæc ſervata meos terra tegat cineres.
Quod ſi iterum ad muros accedet Gallicus hoſtis,
Pro patriâ arma iterum hæc oſſa, cinisque ferent.


Epitaphium Gratia puella.

Siſte viator, ni properas; hoc aspice marmor?
Et lege: ni ploras, tu quoque marmor eris.
Gratia (namque Deas etiam mors ſæva profanat)
Mortua, & hoc duro eſt condita ſub tumulo.
Abſtulit hæc moriens geminas miſeranda ſorores:
Sic Charites uno tres periere obitu.





FRANC. CASTILIONENSIS.



*Magnifico viro Cosmo ex præclara Medicorum
Familia,*

COSME, tuum magnos colere, & celebrare poëtas,
 Cosme, tuum est doctos semper amare viros.
 Et pro magnanima debes virtute, tuoque
 Ingenio, vates semper amare novos.
 Surgentesque adhuc lactantes ubera Musæ,
 Tollere humo, atque opibus sæpe fovere tuis.
 Parvus erat quandoque Maro, nec docta poëta
 Nec gravis, & lepida est Musa repente suo
 Nec Mecenatem magnum modo Musa Maronis
 Laudat, vel sola hæc gloria magna sua est.
 Sunt alii, quos ille fovet, Venusina propago
 Cynthius & nauta hunc Ovidiusque canit.
 Præterea innumeri, semper quibus ille benigne
 Vestitu, & victu, consuluitque lare.
 Nos autem in tenui censu versamur, & isto
 Tempore me miserum fors inimica premit.
 Nosti equidem quanta fuimus de sede repulsi,
 Hei mihi, quam facilis fors inimica venit!
 Et nosti quanto fuerit pater ante triumpho,
 Et quam sublimi sederit ille gradu.
 Et quamquam nil sorte mihi, tamen ille reliquit
 Virtutem, atque animum posse subire suum.
 Hac tibi nate via pergendum dixerat; hæc nos,
 Hæc nos de parvo duxit ad astra loco.
 Heu nunc in tenui censu versamur, & isto
 Tempore me (miserum!) fors inimica premit.

Sic nec nostra potest quicquam spirare Thalia
 Sublime, atque humili sic magis apta gradu est.

Quod si docta fides plectro pulsare canoras
 Nosceret, & digno digna referre pede,
 Non hæc Grajorum caneret præconia regum,
 Trojanasque acies, magnanimosque duces;
 Nec Romanorum veteres renovare triumphos
 Quæreret; aut præcos sollicitare Deos.

Sed te, resque tuas primo, claramque secundo
 Progeniem caneret, magnanimamque domum.
 Diceret, ut Latias celebris tua fama per urbes,
 Atque extra Latium non minor illa venit.

Ut saxo affurgant tibi celsa palatia quadro,
 Et quot sint opibus templa dicata tuis.
 Et quid consilio valeas, quantumque togatus,
 Utque bonus civis sis, patriæque decus.

Utque tua insignis sequitur vestigia proles,
 Dum nova reginæ gratâ sacella ponit.

Præterea innumeras laudes, nomenque referret,
 Cosme, tuum; ingenium sic tuâ facta darent.

Quod si magne favens fieres modo Cosme poëtis,
 Sumeret hinc primum nostra Thalia pedem.

Sed nec raucus olor pennis nudatus, & imbres
 Perpeffus, liquidos posset habere modos.

Sis felix, facili que novum sic, Cosme, poëtam
 Reddes Castalium posse subire chorum.

Magnifico viro Cosmo Medico.

Cosme, tuum repeto supplex bis, terque, quaterque
 Magnanimumque animum, magnanimamque domum.

Consiliumque tua venio, quæ sublevar omnes
 Gratia, quæque mihi est portus, & alta quies.

Nudus erit, vir magne, tuus, nudatus & omni
 Consilio vates, nec sua Musa canet.

Aspera fremet hyems, quod ni tu, Cosme, favebis,
 Haud poterit brumæ frigora sæva pati.

Tu pater, & dominus simul es mihi, Cosme, patronus,
 Quem peto cum magna sæpius ipse fide.

Nec tu spem nostram frustraberis; atque ita molles
Excutes cantus, excutiesque lyram.

Ad Cosmum natos.

Ad vos progenies clarissima, celsa propago,
Proles magnanimo digna parente tuo,
Vivite; sic vobis longinqua, & candida vita,
Atque hac sorte diu posse manente frui.
Vivite; sed memores numquam vestigia patris
Linquere, sic vatem vos quoque amate novum.

Magnifico Cosmo Mediceo.

Cæsaris hic fuerat magno mos Cæsare dignus,
Si tibi quis dederat carmina, dona dabat.
Hoc tibi liberior; nam das tua, Cosme, priusquam
Versiculos Vates proferat ipse suos.
Non tamen a nostra poteris sperare Camœna
Carmina quæ resonent; egra puella mea est.

*Cosme Mediceo hominum fortunatissimo, &
virtute præditissimo.*

Salve honor Ausoniæ gentis, spes una nepotum
Salve iterum o patriæ gloria magna tuæ.
Est in te virtus, Cosma celebrande, fidesque,
Et decus, & regum gratia, amorque virum.
Alter amicitia Damon, & Regulus alter,
Alter consiliis, & gravitate Cato.
Cui magis ad nutum producunt stramina Parcæ,
Divitiis, sancta conjuge, prole, domo?
Aut quis in Heiperiis te fortunatior oris,
Sive velis patria, sanguine sive velis.
Pace loquor Latii, soli tibi vota ministrans
Fata; favent soli numina cuncta tibi.
Jure quidem summo par est tua gloria cælo,
Quod pius es; quoque quod religione nites,
Que-

Quæris opes, & regna paræ; poscuntur honores,
 Navigat ad votum copia larga tuum.
 Digna quidem res est; vivis tibi, vivis amicis;
 Et vivit nemo liberiore manu.
 Dii tibi dent annos, & tempora læta senectæ;
 Dii tibi dent summa prosperitate frui.
 Vive diu felix casta cum conjuge, & omni
 Prole; Deos at mox, Elisiumque petas.

HIERONYMI CATHENÆ

NUCERINI.



Ad Bartholomæum Serenum.

Scribere Threicio respersum sanguine pontum,
 Claraque victrici parta trophæa manu;
 Illustres celebrare viros, heroas, & arma
 Condere veridico facta, Serene, mihi o:
 Nec minus adversum ferro te currere in hostem,
 Hæc referunt magni Cæsaris acta ducis.

In malum Pœtam.

Dum grandi tumefacta sonas tua carmina voce,
 Atque animat numeros spiritus ille tuus,
 Grandiloquum credis longe superare Maronem,
 Et te victurum longius esse putas.
 Te vivente, mihi credas, tua carmina vivent;
 Teque cadente, simul carmina & ipsa cadent.

In effigiem Faustine Mancinae.

Effigiem, Mancina, tuam dum specto nitentem,
 Incensas in me torquet Amor faculas.

Quid

Quid si viventem spectarem? heu cogeret isthæc
Lux, feriens sic me mortua, viva mori.

Ad Lottinum.

Lottine, est vatam vinum tutela: meracos
Quique cados haurit, grande poëma sonat.
Thymbreum salientis aquæ non rivus, ac haustus
Nectaris, & vatam dulcia vina juvant,
Vino vita datur facundis versibus; undis
Sed versus fluidos vertitur in latices.

In Pium Quintum Pont. Max.

Cum Roma spectante sacra, totoque senatu
Ornaret summum sacra corona caput,
Religio crexit multos neglecta per annos
E Vaticani vertice cæsariem.
Et dixit, Pie Sancte, dies lætissima tandem
Venit, qua fient debita sacra Deo:
Quaque ego terrarum totum diffundar in orbem,
Qua discant ritus barbara turba pios.
Vive diu; afflictis passim jam consule rebus;
Non nisi te vivo vita futura mea est.

Ad Camillum Austrium Corrigii dominum.

En tandem indomitus truculento Marte tyrannus
Concidit: en volvit Turcarum corpora Nereus,
Atque maris Scythico saturata en unda cruore.
Tu qui bella moves, & sanguine clarus avito es
Austriaco, tanti pars magna, Camille, triumphi,
Accipe quæ in victos lusi modo carmina Thracas.
Si possent nostræ infirmæ subsistere vires,
Egregiasque tuas laudes, & fortia facta,
Austriacumque ducem ferrem super æthera cantu.
Ut nunc Ismariam Corcyræ ab littore gentem
Lethali insignem jaculo, levibusque sagittis
Expellis, canerem; lymphata ut mente furentes
Huc illuc, passim mittis sub Tartara Mauros:

Et

Et quas Jonio perdis sub gurgite puppes
 Threicias, & quas Epyri in littoris ora
 Incendis, capis, excindis navesque, virosque,
 Dum tercentenis fulcabat puppibus æquor
 Turca ferox, spoliis quando exultabat opimis.
 Auderem bellantum acies, horrentia circum
 Agmina, & infando liquentia corpora tabo
 Concinere, & pluvios ignes, & sulphuris æstus,
 Sanguineos fluctus, captas, cæsasque triremes.
 Sit labor alterius, tantis sit conditor actis
 Corfus, grandiloqui æquiparans monumenta Maronis;
 Is tua perpetuis servabit nomina chartis.

In Selinum.

Dum videt infidum Neptunus vina bibentem
 Selinum, puras qui prius hausit aquas:
 Reginam volucrum impellit, validumque Leonem,
 Atque piam adversus Thracia monstra Crucem,
 Qui Nomadum classem cito, lunatasque phalanges
 Incendunt, capiunt, disiciuntque mari.
 I nunc, Neptunum temnas tumenisque Lyæo:
 Cede mari, & victus, Thrax, vada salsa bibe,

In Turcas.

Tergeminæ abstulerant Hecates duo numina Turcæ,
 Queis fuerat late sulca superba domus.
 Nam cælo lunam, pharetras, arcusque Dianæ,
 Atque his in nostros bella tulere duces.
 Ast ambæ Hesperix divino fœdere junctæ,
 Leucadis ad fluctus, Joniumque mare.
 Cornua fregerunt Lunæ, pharetrasque, sudasque,
 Traxeruntque domum barbara monstra, Scythas.
 Nunc Turcæ amisso cælo, terraque, marique,
 Solum vos Hecates tertia regna manent.

In Selinum.

Bella cives inter spumantia pocula Bacchi
 Seline, & classēm, relaque sœva paras?
 Composita & Venetis bacchans tu fœdera, rumpis?
 Atque scypho Cyprum concutis; ecce cadis.
 Non te Selinum stolidi dixisse parentes,
 Sed te Silenum dicere debuerant.

In Obitum Fulvii Stalle.

Ergo dum Veneris natos, Regnumque tueris,
 Occidis? heu pompæ, deliciæque breves.
 Heu Fulvi miserande, jaces: modo nec tua tangunt
 Et Venerem, & natos aspera fata nimis.
 Tu maris iratos poteras componere fluctus,
 Obruere insanis transtra inimica vadis.
 Dura Venus, crudelis Amor, spes irrita amantum;
 Fulvius hæc vester præmia miles habet.
 Ne excidii des signa obitu: procul omen abesto.
 Tu fat eris Cypriæ flenda ruina Dææ.

*In Turcas Navali prælio victos, ad Aldum
 Manutium Pauli fil.*

Aldè, quem colit Adria, atque Tiberis,
 Et quo Mercurius stupet loquente,
 O lux Palladia, unde litterarum
 Ornamenta nitent & hinc, & inde,
 Me desiderium rapit, Tyranni
 Tot cæsas canere impias triremes,
 Quæ per Adriacum sinum furebant
 Onustæ spoliis, rapina ovantes.
 Grandi percuperem Thalia honores
 Dicere Austriaci Ducis, sed ingens
 Me terret pudor, imparesque vires,
 Ne tanti minuam viri triumphos.
 Tu, qui Mæonio resurgis œstro,

Iberum juvenem cane, ut superbas
 Merfat Threicias rates sub undis,
 Et pontum Scyrhico cru re tingit,
 Ut cito Ismarias ruit phalanges,
 Invictas nimis, atque præpotentes.
 Turcis nectit ut æneas carenas,
 Ægeo dominatur, ac potitur
 Rerum, ut Marrigenæ trophæa Romæ
 Decus Romulidum refert Columna,
 Potens consilio, potensque dextra.

Heroas celebres & hos, & illos
 Insignes Venetos perenni honore
 Fortem Venerium, impigrum Quirinum,
 Acrem Barbaricum, gravem, sagacem,
 Prudentem numeris ad astra tolle.
 Gesta condito gloria referta, hæc
 Debebit tibi pugna sempiternum.

LUDOVICI CAVANI

PARMENSIS.



De Pio, & Turcis:

Ducunt horrendum inter se contraria bellum;
 Conferit Impietas cum Pietate manum.
 Spes hinc vincendi magna est; metus inde cadendi,
 Hæc ductum sequitur Dæmonis, illa Dei.
 Utram igitur partem maneat victoria, constat;
 Consistet Pietas, corruet Impietas.

In Joannem Austriam.

Milipis effreni vicit Mæotica bella,
 Dux tua centumano dextra timenda Gygi.

Miranturque igitur Tellus, Cœlum, Æquor, Avernus:
Fama volet pernix, restat, ad Antipodas.

In eundem.

Si crescente ævo, gestarum gloria rerum
Crescet; erit tandem nil quod in Orbe geras.
Aut Deus immensi fines tunc proferat orbis;
Aut positis armis sit capienda quies.

Eidem.

Si bellandi usu sic est tua clara Juventus,
Ut Caroli obscures facta notanda patris;
Qui solo hostiles terrebat nomine turmas,
Cui nullum sæclis fata dedere parem:
Mars alter fies virtutibus auctus, & annis,
Marsque tibi fessus bella cruenta sinet.

Ad eundem.

Credebam lumen, rebus concedere lumen,
Quarum esset lumen; nunc secus esse patet.
Splendor es Heroum: splendorem splendor obumbras;
Sic splendor nubes, lumina sic tenebræ,

De eodem.

Obstupuere omnes, unum fecisse potentem,
Quòd tot magnanimi non potuere Duces.
Ast ego non miror, tot non fecisse quod unus:
Unus pro centum millibus ille valet.

In Principem Urbini.

Auspiciis Fortuna tuis si læta fovebit,
Qui decus Urbini, mox decus Orbis eris.

In Ascanium Corneum.

Certavere diu inter se duo fulmina, Mars, Mors:
Vult Mars, ut vivat; Mors, cadat Ascanius.

For-

Fortior hæc illo, hac ego sum, inquit, fortior, ille,
 Unde minas alter non timet alterius.
 Quam longe & late pateant sua jura, tenet Mors;
 Quanta viro dederit nomina Mars meminit.
 Victricem Mortem vicit Mars victus: obivit
 Ascanius; vivet tempus in omne tamen.

In Michaëlem Bonellum.

Dum primâ vestis, Michaël, lanugine malas,
 Mira gerens armis, nobile nomen habes.
 Jam tua fama plagas volucris penetravit Eoas,
 Præpes & extremam contigit Hesperiam.
 Te simul ac perfecta virum firmaverit ætas,
 Mars dicet mirans: hic erit alter ego.

In M. Quirinum.

Dum sic fata volunt, bini venere Quirini:
 Hic est a Divo natus, & ille homine.
 Alter servavit patriam. quam condidit alter;
 Sic titulos pariter jactat uterque duos:
 Hic, sum mortalis patriam tutatus ab hoste:
 Ille, meâ diâ mœnia ducta manu.
 Major uter labor est? tædet me dicere: vos id
 Dicite, Romani, dicite vos, Veneti.

In Pium V. Pont. Max.

Intemerata brevi pietas toto orbe vigebit;
 Relligionis erit verus ubique modus.
 Quid mirum? exutum vitiis virtutibus Orbem
 Induit, atque homines vult Pius esse pios.
 Ut, cum unus nostræ sit portus, & aura salutis;
 Idem omnes capiat portus, & aura vehat.

In eundem.

Quinque fuere Pii, post fidi tempora Petri:
 Sed quintus, felix dicitur, atque Pius.

Nam Pius, hæreticis carum defendit ovile;
 Felix, cum Turcis maxima bella gerit.
 O pia prosperitas, pietas o prospera, que sic
 Commissum dupèci servat ab hoste gregem!

In M. Antonium Columnam.

Quod peperere dæces primi, amiserè nepotes,
 Quam malè servavit tradita posteritas!
 Nostra nihil debent antiquis sæcula, non res
 Ad nostram partem perviguerè diem.
 Obligat ætatem præteritam sibi celsa Columna,
 Et mediam, natis conciliatque patres.
 Nam veterum famam renovat, deletque nepotum.
 Dum jura acquirit præterita Romulidum,

Id eundem.

Nesciit optare Urbs, quantum ipsi, Marce, dedisti:
 Abs te sed quantum sat sit, habere negat,
 Cui multum debet, vult plus debere, tuncque
 Ingenti pro animo sperat, & ampla petit.
 Reliquias belli supera, spes una Quintum;
 Te queat ut patriæ Roma vocare patrem.

In Fontem Virgineum.

Romani virgineo quæ quondam fonte rigavi,
 Dum secura fuit candida virginitas,
 Castos subtraxi latices, ubi Martia cœpit
 Gens se lascivis artibus imbuerè.
 Nunc quoniam Pius omne nefas ejecit ab urbe,
 Riteque servantur jura pudicitie,
 Ipsa meas iterum potero diffundere lymphas,
 Ut vicè exultent, templa, theatra, fœca.

In eandem, quæ dicitur etiam fons Trivius.

Virgo, quæ miscet binis sua membra maritis,
 Jam nomen falso a virginitate tenet.

Et si sola fluat, faciens divortia posthac,
 Non eadem dici, quæ fuit ante, potest.
 Virginitas libata semel, corrupta manebit
 Semper: nunc vere est hæc muliebris aqua.

In Fontem Trivium.

Dic mihi Roma, trahat cur fons a Virgine nomen?
 Virgineus rivus quòd fugit Herculeum.
 Cur modo fons Trivius? triplex quod jungitur unda:
 Virgo, Salon coeunt, Herculeusque latex.
 Nec mirum, solvit tandem si virgo pudorem:
 Nunc fugit ipsa virum femina, nunc sequitur.

In eundem Fontem.

Virgineos partus puris spectemus ocellis,
 Et casto castas ore bibamus aquas.
 Hæc est, militibus latices quæ virgo latentes
 Ostendit plena sicca per arva manu:
 Et nunc Romanam fecundior irrigat urbem,
 Et magnas nitidis fontibus auget opes.
 Nec sanctum pulchros fœtus enixa pudorem
 Deposuit, binis nuper amata Piis.
 Incœpit Quartus, perfecit Quintus amorem:
 Virginea o pietas, o pia virginitas!

*In Othonem Truchses Cardinalem
 Augustanum.*

Me tria vota queunt felicem, maxime Princeps,
 Reddere, dum valeant pondus habere suum.
 Arribus ingenuis primum me Pallas honestet,
 Quæ fertur summi nata Jovis capite.
 Fas mihi præterea sit iussa capeßere Othonis,
 Quem nunc jure colo, perpetuoque colam.
 Denique possit Otho ingenti moderarier orbi,
 Et quisque illius procidat ante pedes.

Prima meus dabit assiduus labor, atque secunda
Magna viri pietas, tertia vota Deus.

In eundem.

Magne Heros, cujus fama est contermina cœlo,
Non sunt rubra tibi pilea sorte data.

Ad summos ardens Virtus te vexit honores;
Teque dedit primos inter habere locum.

Janua divini firmo te cardine regni
Volvitur, & crescit te duce Relligio.

Deprecor, ut tandem fias de cardine clavis;
Sit jus vertendi cardinis omne tuum.

In eundem.

Post homines natos habuit Germania nullum,
Qui tantum matrem diligeret Patriam;

Olim sanavit, quæ per corda alta meabat,
Pestem, Teutonico sanguine cretus Otho.

Que desperabat morbi gravitate salutem,
ædulus arte sua reddidit incolumem.

O felix tali Germania pignore, casus
Quo sine semper eras ingemitura tuos!

In eundem.

Qui semel alloquitur summæ pietatis Othonem,
Affari hunc iterum, terque, quaterque cupit.

Si quis non credit, faciat licet illè periculum:
Est re, cogetur dicere, fama minor.

Experto jam tantus amor mihi crevit eundi,
Ut, si semper eam, nec satis esse putem.

In eundem.

Quod virtus toto celebratur Othonis in orbe,
Optat laudatum quisque videre virum.

Se quoque felicem ducit, si cernere detur:
Sic probitas homines allicit, atque Deos.

Sors major, fari tanto cum Principe posse
Interdum: fors est maxima, sæpe loqui.

In eundem.

Si quis apud veteres rara pietate refulsit,
 Et summa ornatus Relligione fuit;
 Reddidit insignem si munificentia quemquam,
 Miraque si vitæ sustulit integritas;
 Si quis iustitia vixit super æthera notus,
 Et rerum clarus cognitione fuit;
 Dotibus eximiis non est æquandus Othonis,
 Ætas cui debet cedere nostra locum.

In eundem.

Seu fora perlustro, seu viso templa Deorum,
 Quisque tuum celebrat nobile nomen Otho.
 Maxima clauduntur tali præconia versu:
 Præcipuum est lumen Relligionis Otho.

In eundem.

Ut vitam eriperent, quid non fecere rebelles?
 At tibi prudenti nil nocuere doli.
 Quo magis obscuras sunt nixi obducere nubes
 Virtuti, emicuit clarior in tenebris.
 Et dum vecordes Pietatem evertere credunt,
 Justius ipsorum evertitur impietas.

In eundem.

Conatur latices vasto superaddere ponto,
 Quisquis Otho laudes vult celebrare tuas.
 Vix ortum, illustrem fecerunt te inclita facta,
 Magnanime o Princeps, Herculis auspicio.
 Et crescente ævo gestarum gloria crevit,
 Et crescente simul robore crevit opus.
 Si ter quadruplici sublatus in astra labore
 Ille est, mille polo tu quoque dignus eris.

In eundem.

Tu notus Rhodano, Princeps, tu notus Ibero,
 Cumque polo Australi notus Hyperboreis.

Colchorum populi metuunt, & regna Dacorum,
 Teque colit, quidquid lambitur Oceano.
 In nullum tempus devieta morte peribis:
 Tardis funeribus fama superstes erit.

In eundem.

Tanta tui, Princeps altissime, cura videndi,
 Et cor sollicitat tanta cupido meum:
 Ut nec terreret triplici me Cerberus ore,
 Qui ditis nigras excubat ante fores:
 Nec simul ille Draco, Hesperidum qui poma tuetur,
 Nec qui Phryxææ vellera servat ovis:
 Horreremque minus custodem Virginis Argum,
 Cujus centum oculis frons decorata fuit.
 Per medios enses transirem ductus amore,
 Et nihil optatum claudere posset iter.
 Ne veniam, possunt solum tua verba tenere;
 Sed mihi præcipias sæpe venire precor.

In eundem.

Annos bella decem sub Troja gessit Ulysses:
 Neptuni erravit regna per uda decem.
 Nec tantum ad patrios cupiit remeare penates,
 Ad natum, patrem, Penelopemque bonam,
 Ad te nos quantum exoptavimus ora referre,
 Dulce decus nostræ, præsidiumque domus.
 Venimus, & si vis, pœnas perferre, parati,
 Absque tuo quoniam venimus imperio.
 Dignus amor venia, desideriumque videndi:
 Principis est virtus parcere magna suis,

In eundem.

Stirps clara heroum, summum decus Urbis, & Orbis,
 Ne dum purpurei gloria prima chori.
 Si diuturna tuæ adjunctent Dii tempora vitæ,
 Te sero reddet terra benigna polo:
 Roma reviviscet, referent antiqua triumphos,
 Augustique sequens cognita signa ducis:

Aspe-

Aspera gens cultu, gens moribus effera, mitis
 Fiet: victa dabit quælibet ora manus;
 Et bello penitus sublato, pace fruemur,
 Late prolatis finibus Imperii,
 Nulla infestabit tutum piratica pontum,
 Securum carpes tuque, viator, iter.
 Et quæ nunc tantis jactatur cymba procellis,
 Tunc per tranquillas libera curret aquas.
 Quam bene docta reget nautæ hujus dextera lynthrem?
 Pastor commissas quam bene pascet oves!
 Quam bene proiciet piscator retia, prædam,
 Humanum ut capiat non genus æquoreum!
 Aurea tunc ætas Saturni regna reducet
 Rex, Dux, Piscator, Navita, Pastor Otho.

*Ad Alexandrum Farnesum Cardinalem
 amplissimum.*

Jam tua fama viget cunctas vulgata per oras,
 Et felix orbis te duce totus erit.
 Nec mala viperei serpent contagia viri,
 Nec nostras acies Turca superbus aget.
 Aurea tu cultor virtutis sæcula condēs,
 Et cadent paci bella cruenta piæ.
 Alter enim Augustus Jani delubra bifrontis
 Claudes, & dulcis surget ubique quies:
 Æternam & sedem terris Astræa locabit,
 Quæ prisco ascendit tempore pulsa polum.
 Florida replebunt tellurem, atque æquor odore
 Lilia, quæ semper tempora verna dabunt;
 Digna domus quovis titulo est Farnesia, tuque
 Qui subeas magnum Relligionis onus:
 Qui pater insignem gemmis, auroque coronam
 Sublimi gestes vertice, sceptrum manu.
 Pro te nunc populi jactant ad Numina voces,
 Fundit & assiduas Martia Roma preces.
 Si quid apud superos hominum pia vota valebunt,
 Tu rector vasti maximus orbis eris.

Ad Stanislaum Hofium Cardinalem Varmienfem.

Quod nitet aulæis, tua quod domus emicat auro,
 Quodque tuos ornant stragula picta thoros:
 Et quod es antiquo procerum tu sanguine cretus:
 Ut fortuna dedit, sic decus illa cupit
 Sed tua quod Tyrio virtus te vestiit ostro,
 Hic est verus honos, gloria tota tua est.

In eundem.

Quantum profuerit celeberrimus Hofius orbi,
 Testatur quidquid cingitur Oceano.
 Quotque animas cælo quæſiverit, ipse videbit,
 Cum ſedes tandem ſcanderit æthereas.
 Tot sunt crepti diris e faucibus Orci,
 Tota ut ſit ditis plena dolore domus:
 Delectos proceres, mundum quicumque gubernant,
 Juvit conſilio, juvit & auxilio.
 Magna viri laus, quam novit Styx, terra, poluſque,
 Pontifices, Reges, Imperiiſque duces.

*In Carolum Dangenés a Rombojulletto
 Cardin.*

Gallia Romuleam legatum miſit ad urbem:
 Majorem ad Gallos Roma redire dedit.
 Nam qui Celtarum Regis mandata ferebat,
 Regius hunc meritum murice velet honos.
 Quo probitas homines ducat virtutibus auctos,
 Cernite; quam faveat terra, poluſque bonis.
 Amplior in patriam redeat. Romamque reviſat:
 Quod detur, ſuperest pontificale decus.
 Hoc quoque ſperandum, niveo ſi grata colore
 Suppeditet melius Gallia ſemper iter.

In eundem.

Quam me conspectum Caroli delectat adire,
 Insignes vincit qui pietate viros!
 Omnia terrarum contemnere commoda malle,
 Quam gratum herois linquere colloquium.
 Non mihi Cecropio fecerunt digna cothurno
 Carmina ad hunc aditus; qui patuere igitur?
 Magnanimi natura Ducis mitissima gentes
 Allieit: allectis janua lata patet.

In obitum Pii V. Pont. Max.

Indue funereas vestes, & pectora plange,
 Roma, ciens gemitus passis per colla capillis.
 Heu teneros moriens timidis cum matribus agnos
 Destituit pastor fidissimus: omnia luctus
 Plena vides: sacris concurrunt undique gentes
 Oscula certatim pedibus dare, & ora tueri
 Sancti augusta Patris, quo numquam justior alter.
 Spiritus Elysia felix jam sede quiescit,
 Pro grege nec cessat, terrena in valle relicto,
 Exorare Deum, ut defendat ab ore luporum.
 Ingentis tumulo inscribatur caussa doloris;
 Post lacrimas non fata ejus, sed nostra dolemus,
 Marmoreis cælata notis hæc carmina laudes
 Testentur natis per sæcula cuncta legendas:
 Hic est, qui Gallos vicit mucrone rebelles,
 Confregit Scythicas inito qui fœdere vires;
 Et pius omne nefas ejecit ab urbe Quiritum,
 Expurgaturus totum, si viveret, Orbem.

*In Joannem Austriacum rursus contra Turcas
 irruentem.*

Austriadæ Heroes divorum sanguine creti,
 Quam sunt vestra feris arma tremenda Scythis;
 X 4 Jam

Jam vinci cœpit genus insuperabile bello,
 Subdere jam cœpit colla superba jugo.
 Jamque suos casus fracta cervice tyrannus
 Luget, & effuso sanguine tristis abit.
 Undas Ismaria conspexit strage rubentes,
 Totque rates mergi fluctibus Æmonias.
 Jam timet Eois Regni, qui corde tumentis
 Excidio nuper venerat Hesperiiis
 O virtus invicta ducum! nunc magna potentis
 Gloria resplendet Martis, & arma vigent.
 Vos ite, o juvenes, Carolumque accersite cœlo;
 Et placida tales hauriat aure sonos.
 Vicimus, o Cæsar, nobis concede columnas,
 Nobile gestamen, quod fuit ante tuum.
 Ibumus ulterius, veluti tua vota repositum,
 Degeneresque tui nec timor arguerit.
 Figemus domiti extremis in finibus Orbis,
 Alteram in Eois, alteram in Hesperiiis.

De Baldo.

Numquam sermones blasfos intelligo Baldi:
 Non Baldus posthac, sed mihi Balbus erit.

In Deum.

Tu Pater omnipotens nostros miserate labores,
 Bistonii adversus bella nefanda duces,
 Mente inspirata junxisti fœdere ternos,
 Ut classem Ismariam disiciant pelago,
 Concordes valeant hostile retundere ferrum,
 Cæsa super ponto gens inimica natet:
 Et restinguatur penitus Rhodopeius ardor,
 Nec sit, qui contra jam ferat arma crucem.
 O sacra vincla Dei, quibus expugnare superbos
 Tu, Pie, vos Veneti, ruque Philippe, potes.



In Fœdus .

Cur hinc cernuntur Veneti? cur inde Philippus
 In medioque Pius, sub pedibusque Draco?
 Ut Pius extremos sancita lege, Draconis
 Perpetuum medius jungat in excidium

In Fœdus .

Æquora cum vomito serpens, terrasque veneno
 Inficeret, pepulit maxima damna Pius,
 Sic permulsit enim summa pietate Leonem,
 Sic Aquilam, ut certum fœdus inire juvet.
 In dirum unanimes conspiravere Draconem,
 Vicerunt, victus sub pedibusque jacet.

In Fœdus .

Junxit quadrupedum Pietas cum Rege, volucrum
 Reginam, ut fortes horrida bella gerant.
 Quos contra? dentesque canum, rapidosque ferarum
 Ungues cur? rabies ut cadat, ut feritas.
 Ut vincant, Pastor quæ præbuit arma? Columnam,
 Quæ nec dente fodi, nec queat ungue peti.

In mortem Ascanium Corneum .

Non victus cecidi, non sum mærore peremptus,
 Victorem extinxit maxima lætitia.

In Selymum .

Utraque prætendens decrevit cornua Luna
 Cum sit decrescens cornibus orba suis.



In Pium V.

Nulla Bubafidis virtute superbia gentis
 Frenari potuit sæcla tot ante furens.
 Tunc posse arceri ternæ cecinere sorores,
 Cum Pietas quintum sumptèrit ampla gradum.
 Tempora jam tandem venerunt illa beata,
 Quintus nunc regnat, nunc Pater ille Pius.

In Pium, & Joannem.

Tunc superata suos lugebit Thracia casus,
 Cum Deus æthereo miserit axe duos
 Quos? unum, qui aliis ducibus dux robore præstet,
 Unum, aliis patribus qui Probitate Pater.
 Nullus Joanne est in toto fortior Orbe,
 In toto nullus sanctior orbe Pio.
 Ambo igitur cœlo delapsi egere triumphum,
 Integritate sua hic, viribus ille suis.

In Pium.

Sancte Pater, sensim quo ferrea pellitur ætas,
 Falciferi veniunt Regna beata senis.
 Sæcla brevi a rigidis defuescent mitia bellis,
 Cedent prisca novis tempora temporibus.
 Fallaces valeant fortes, & viscera; nobis
 Venturi dantur pignora certa boni.
 Non sunt per longam seriem conspecta dierum,
 Te duce quæ tribuit conspicienda Deus.
 Gallica nam strages, quæ tot detrusit ad Orcum,
 Terram purgavit peste necante animas.
 Cæruleo disiecta mari est Byzantia classis,
 Unde per Ægæum salva carina fluet.
 Ut dignus primis respondeat exitus actis,
 Ut mediæ crescat nobilitatis opus:
 Factorum quis finis erit? Pastoris ut unum
 Unius pascat sedula cura gregem.

In Carolum.

Venerat in mentem tibi ne umquam, Carole, Regem
 Te dempto sterni posse Boristenium?
 Non certe, nisi me superaret viribus alter,
 Vota secundaret fors magis alterius.
 Ecce triumphali redimitus tempora lauro
 Incedit victor cara tibi soboles.
 Majores fortuna tuas, dulcissime fili,
 Vires adjuvit, non ita amica Patri.
 Tu es præsentis, eris venturi gloria sæcli,
 Tamque insigne meum gloriior esse genus.

In Regem Philippum.

O Rex ante alios Reges felicior omnes,
 Cui dedit omnipotens maxima quæque Pater,
 Sanguine magnanimi tu cretus Cæsaris alto
 Sceptris aliis sceptris invidiosa tenes,
 Littoris Hesperii columen, custodia Regni,
 Frater adest, cujus nomen ubique sonat.
 Teque tibi simili fecit regina parentem
 Prole diu optata; poscere plura licet?
 Tanta, Philippe, tibi superos tribuisse memento,
 Ut bello credas, & tuare fidem.
 Istum perpetuo conserves fœdus amoris,
 Afris, Mygdoniis, Thracibus excidium.

In Joannem Austriam.

Themistocleos taceat Salamina triumphos,
 Tristia Persarum fata, ducisque fugam.
 Augusti sileat famam Epirotica tellus,
 Qui valida fregit classe Orientis opes.
 Omnis honor Naupacteo concedat honori,
 Hispanum quævis prædicet ora virum.

In eundem.

Sæpe tuas voluit, Princeps altissime, laudes
 Fortia facta meis versibus inferere.
 Verum non video tantum mihi roboris esse,
 Ut tua perpetuo fama vigere queat.
 Copia scriptorum non deerit, pectora vatum
 Per quos tu vivas liber ab interitu.
 Annales fient, divina poemata crescent,
 Inscripto facient nomine signa fidem.
 Mœnia si partum sub Naupactea triumphum,
 Strenue Dux, poterit nulla abolere dies.

In eundem.

Cæsar si toties bellans terraque, marique
 Devicto rediit victor ab hoste domum,
 Mantinas acies, nunc Cæsaris inclita proles
 Contudit, & salsa sanguine tinxit aquas.
 Mente tenens memori celeberrima facta parentis
 Iram compressit, vim, rabiemque canum.
 Quam virtute sua genitor cohibere nequivit,
 Quo, sola hac pugna non erit inferior.
 Hostili tanta de classe superfuit unus,
 Nec poterit celeris rostra cavere ratis.
 Regia vincat avis, sic usque Alcæa triumphet
 Crux pia, clamet Io, firma Columna regat.

In eundem.

Sic erat in fatis, nullius robore vinci
 Posse ducis populos, quos lavat Hebrus aquis,
 Regalis nisi clara domus insignia pandat,
 Alto prognatus sanguine Cæsareo;
 Et virtute duces nisi bellax anteat omnes
 Tum vectus navi, tum pede vincat æquo.
 Splendor Iberiæ gentis, sit gloria mundi,
 Et sit ad hoc celsi missus ab arce poli

Filius hic fortis Caroli est, fraterque Philippi,
 Laus procerum, Hesperiaë lumen, & orbis honos.

In eundem.

Nunc jactet Carolus natum, fratremque Philippus,
 Quem semper celebrem postera sæcla canent.
 Jamque suum felix Hispania laudet alumnum,
 Gestiat expandens Austria signa domus.
 Acer Pangæas p. sumdedit ille triremes,
 Atque amplas victor retulit exuvias,
 Abderitanisque arcebat finibus hostes,
 Latius & nostrum proferet Imperium.
 Et pravam extinguet sectam fortissimus heros,
 Deiciet Stygii turpia spectra viri.
 Extolletque Crucis totum vexilla per orbem,
 Et Christi nomen quælibet ora canent.
 Alter erit Carolus fama super æthera notus,
 Quin cedit nato gloria magna patris.

In eundem.

Non tantum piguit Carolum concedere fatis
 Edomitis nondum gentibus Æmoniis:
 Quantum stellifero nunc gaudet in axe triumphum
 Demirans filii, magna que facta sui
 Sic ait, o felix nate, ac fortissime, lætor
 Nomina nominibus cedere nostra tuis.

In eundem.

Inter tot titulos quos dat tibi bellica virtus,
 Et factis tribuit Bætica terra tuis,
 Quod tibi concedit pelagus, ne despice nomen,
 Tu dux Nepruni, qui freta vasta regit.
 Vincere perge igitur, Neptunia Regna tueri:
 Venti aspirabunt, Rex maris, atque mare.

In Joannem Austriam.

Impiger evertens patriis virtutibus hostes,
 Leucadias Cilici sanguine tinxit aquas.
 Cujus læva tenet fortunam, dextera robur,
 Qui decus est Regni, qui decus Imperii,

In eundem.

Colchorum vicit regnator sæpe, semelque
 Devictus, nullo tempore victor erit.
 Qui satis armatum vicit nunc vincet inermem?
 Induet arma, dabit carbasa vela notis.
 Qui paucis numerum, numero num vincere paucos
 Invicti soboles dux poterit Caroli?
 Ducat Phasiacam gentem currum ante triumphans,
 Et Romam lauro conspiciendus eat.

In eundem.

Dum Samon Joniis pulsabit fluctibus æquor,
 Dum Patræ stabunt, littus & Inachium;
 Qui capta fregit Byzanti classe Tyrannum,
 Ibit laudatus crebra per ora virum.

In eundem.

Quod tot tentarunt frustra, tibi contigit uni,
 Ob res, quas alii non habuere duces.
 Hæc vincunt, jus, ars, fors, vis, mens sanior; æquo
 Tu usu, fortuna, robore, consilio.

In eundem.

Postquam rerum opifex verbo usus condidit orbem,
 Divino nutu cuncta creata regens;
 Navalis nulla est insignior edita pugna,
 Hac minor Ætola Xerxis, & Actiaca.
 Postquam Gradivus cœpit clangore tubarum
 Ad funesta viros arma ciere ferus.

Tam fuit ardenti bellator pectore nullus,
 Nec tanta est ulli fama parata duci.
 Quantam virtute invicta sibi regius heros
 Nunc peperit, domitis gentibus indomitis.
 Cede, pater, nato, cui non tibi Thracia cedens
 Cedit turba suam quo dolet Afra vicem.
 Quæ truculenta patri obstabat Bithynia nato,
 Non obstat, fugiens arma pavore jacit.
 Cedite, qui Carolo cessistis, cedite proli,
 Cui cedit Carolus, cedere ne pudeat.
 Devictis totum pacabunt hostibus orbem,
 Primus honor volucrum, gloria prima ducum.

In eundem.

Non sibi præfigi patitur tua gloria fines,
 Atque tuis factis terminus esse nequit.
 Sive tibi Carolum proponis, sive Philippum,
 Te movet hic frater, te movet ille pater.
 Tendens ulterius, recoles si patria Sicna,
 Si fratris pandes, alius ibit honos.

In eundem.

Vitales Carolus si nunc evadat ad auras,
 Egregiis nati laudibus invideat.

In eundem.

Repressit Carolus rediens ad lumina vitæ
 Vires Parrhasii Principis Oebalias.
 Falleris ah demens, superas nec venit ad auras,
 Nec vicit Carolus, filius at Caroli.

In eundem.

Non tam obtenta prius victoria profuit omnis,
 Quam trucibus clades obstitit una Getis.
 Quam nuper Caroli inflixit fortissima proles,
 Mactans Plutoni millia tot ciconum.

Signa Pio misit templis figenda Quiritum,
Perpetua, ut clari sint monumenta ducis.

In eundem.

Quæ jam pugnare diu Mavorte secundo,
Barbaricas gentes qui docuit cadere?
Commaculare atro Neptunia Regna cruore?
Æquoreis miserum piscibus esse cibum?
Ille fuit Carolo genitum, quem fortia facta
Testantur populis, intrepidusque animus,
Consilium acre, manus velox, invictaque virtus,
Terrorum rabidis hostibus incutiens
Totque duces vicit domita qui classe superbos,
Ut paucis fuerit vita, salusque fuga.
Qui, sacras ædes spoliis oneratus opimis,
Possit Tarpeii nobilitare Jovis.
Quid valere arcus? dira quid cuspide tela?
Harpæque? & fœdi nomina vana viri?
Sic bis altarum cecidit cum milite Princeps,
Diffracta ut sero tollere membra queat.
Omnis ut insigni huic ubi victoria cedit,
Unius pro aliis sic celebretur honos.

In eundem.

Lætus regrederis Patareo victor ab hoste,
Advehitur patrios barbara præda lares.
Et Jani claudes nullum referanda per ævum
Phana brevi, pacis pignora perpetuæ.

In eundem.

Quanta sit in terris tua, dux Cartesie, virtus,
Gens devicta queunt dicere Celtiberi,
Immensoque tuum quid possit in æquore robur,
Naupaëti monstrant, & fera bella Sami.
Restat, ut in Lelegas iteres tellure triumphos,
Et ponat pugnis tertia pugna modum.

In eundem .

Juppiter ex alto prospectans bella futura ,
 Dixit avi : rursum suggere tela mihi
 Et diros adigam flagranti fulmine Thracas ,
 Et scelera pœnas ad Phlegetonta luent .
 Ales ad hæc ; solita est tua debellare Gygantes
 Dexterâ : pugna , Jovis non decet ista manum .
 Nequitiam qui frenet , habet Tartessia tellus ,
 Fac rogo tam clari sim Ducis armigera .
 I dixit ; mea , erunt immania corpora , bella ,
 Bessorum ille potens agmina sæva domet .

In Venetos .

Thesauros Maris Adriaci Regina reclusit
 Ut foret immani tutus ab hoste Leo .
 Strimonius caudam absciderat jam dente famescens ,
 Artus quærebat dilacerare canis .
 Non potuit catulos rigido tutarier ungue ,
 Non explere sitim sanguine , carne famem .
 Semianimisque jacent deserto membra cubili ,
 Pro cauda metuit pendere triste caput .

In Marcum Antonium Columnam .

Si nunc a prisca claros mutata triumphos
 Exoptas veterum Roma videre ducum ,
 En expressa tibi ante oculos offertur imago ,
 Unde tua agnosci pristina forma queat .
 Felicem Vaticanas properantis ad arces
 Ingressum civis respice læta tui .
 Captivos ducit manibus post terga retortis .
 Occurrunt equites , cum populoque Patres .
 Hic est , Romani quo maxima jura redibunt
 Imperii , & rursum tu caput orbis eris .

In eundem.

Alter suffectus, Cœlum qui fulciat Atlas,
 Alter non poterat sidera ferre senex.
 Heu jam nutabat convexo pondere mundus,
 Cum Passer cavit magna pericla Pius.
 Marcus successit confestim Antonius Astris,
 Sic iussus tergis grande quievit onus.
 Fortunati humeri, nimium, felixque Columna,
 Insignis pietas, provida cura Pii.

In eundem.

Artus percussit Romana Columna Tyranno,
 Secum more anguis faucibus membra rapit.
 Lethales iterum misero capiti inferet ictus,
 Reddeturque Asiæ civibus imperium.

In Principem Parmæ.

Tam fidæ domino Parmæ celeberrime princeps,
 Tu vere es princeps, attamen esse paras
 Vivis in assiduis armis, durosque labores,
 Perfers & vitæ mille pericla subis.
 Facta tibi ante oculos patrum versantur Horati,
 Nec non Octavi fortia gesta patris
 Pontifices miraris avos, & rubra tuorum
 Pileæ, & Austriacæ stemmata clara domus.
 Ad res egregias te virtus excitat horum,
 Qui modo sunt orbis, jamque fuere decus.
 Tu quoque magnanimus per te, tua dextera fortis,
 Hostibus elatum deprimit ecce caput.
 Si quid terra struit, si quid molitur & æquor,
 Non caret auxilio hoc, non caret illa tuo
 Nullum laudis enim quærendæ tempus omittis,
 Pugna Oenea tuum nomen ad astra tulit.
 Asiæcam irrumpis puppim, Lydosque trucidas,
 Omnibus occisis capta carina fuit.

præfentes animos, o nescia corda timorum,
 O miras vires Principis impavidî!
 Cernere nunc videor non vanos culpâdis ictus,
 Mœonas, ante tuos qui cecidere pedes.
 Haud sæcus, ac calamos æstivo tempore grando
 Interdum rapidis decutit-acta Notis
 Vis Princeps igitur dici, quod primus in hostes
 Vadas, & sine te fiat in Orbe nihil.

Id Principem Urbini.

Princeps, mœsta tuos discessus Umbria flebat,
 Urbes cum patrias, oppida desereres,
 Pacem mutares bello, requiemque labore,
 Intrares tumidæ bella tremenda Thetis.
 Tu dixisti: usquam mortem evitare nequimus,
 Funeris inquirat nobile quisque genus.
 Qui melius moritur, felicior; omnia quære,
 Nil quam pro cœlo est dignius oppetere,
 His dictis, ferrum strinxit tua dextra coruscum,
 Mygdones agnorunt Principis esse manum.
 Vis vi non potuit, virtus virtute repelli,
 Sospite Bebrycii te cecidere Duces.
 Pulchra etiam vita est, si mors tibi pulchra fuisset,
 Quærens rite mori, vivere rite para.
 Partum nulla dies armis abolebit honorem,
 Quam sunt gestorum hæc inclita principia!
 Auspiciis fortuna tuis si læta favebit.
 Qui decus Urbini es, tu decus Orbis eris.

In Ascanium Corneum.

Heroes reliqui post prælia longa quiescunt,
 Et cedit publi cana senectæ locum.
 Narrant clara suæ grandævi facta juventæ,
 Ut juvenum studiis ardeat his animus.
 Arma tamen numquam ponis tu natus in armis,
 Te fatis ars quamvis bellica sustulerit

Fortia de te alios, quam te Dux gesta referre
 Mavis, quæ juvenem, nobilitentque senem.
 Tunc tibi grata quies est, cum te bella fatigant,
 Vulnus, & adverso pectore detegitur.
 Splendor es armorum, bellandi gloria summa;
 Omnes exemplum sumite ab Ascanio.

In ejusdem funere.


Quid dare bellaci e terris ad sidera noto
 Præterea poterant fata secunda viro?
 Omnes namque suos valido feliciter annos
 Cum Marte exegit nobilis Ascanius:
 Et morti occubuit senior, victorque domique,
 Quando factorum gloria summa foret.

In ejusdem funere.

Bellonæ qui splendor erat, qui gloria Martis,
 Laus equitum, Orbis honos inclitus Ascanius:
 Invida mors rapuit, sed viver fama superstes,
 Quæ fugit invidiam, quæ fugit interitum.

In Paulum Jordanum Ursinum.

Jam tua te virtus ingens, te sanguine robur
 Indicat Hæctoreo, Romuleoque fatum.
 Nam quas miserunt Mareotica littora gentes,
 Prælia senserunt Marte cruenta tuo.
 Non animos addit sermo, sed fortia facta
 Militibus, dum tu corpora multa necas.
 Certatim feriunt focii, audâsterque trucidant
 Hostes, Lagæas comminuuntque rates.
 Quam bene corda virum didicisti accendere ferro,
 Te Duce tam gnavo, quis velit esse piger?



In Honoratum Cajetanum.

Albo fausta dies hæc est signanda lapillo,
 Qua magnam doluit Sithonis unda necem.
 Fastorum æternis pugna intexenda libellis
 Inclita, principibus tot decorata viris.
 Numquam visa fuit gens dignior, aptior armis,
 Bellorum poterat quilibet esse caput.
 Quid de aliis? non jure amplos jactaret honores
 Classis, Honorato nobilitata Duce?
 Per te clara fuit validis defensa lacertis,
 Splendorem ergo tibi non dedit illa? dedit.
 Dicêris posthac eo honoratissimus ante
 Semper honoratus nomine, reque magis.

In Comitem Sanctæ Floræ.

Num fatis extulerant virtutem Belgica bella?
 Num fatis extulerant inclita facta tuam?
 Nunc titulis titulos junxit Calydonia pugna,
 Addidit & meritis nomina nominibus.
 Non laudatum adeo certamen fata dederunt,
 Ex quo mundi habuit machina principium.
 Terra Libyssa fremens, Europa, Asia ivit ad arma,
 Contecta innumeris æquora sunt ratibus.
 Mæonicus bacchans deducta classe Tyrannus
 Movit in arma omnes, quos ditione premit.
 Et facta coiere manu qui signa sequuntur
 Christi, dulce quibus pro pietate mori est.
 Caribus at fractis bello, fatoque repulsis,
 Victor cum reliquis tendis ad astra manus.
 Quotidieque magis Sanctus florescis honore,
 Robustusque hostes cogis in exitium.

In Andream Auriam.

Andrea qui sis, produnt illustria facta,
 Terra tuum resonat nomen, & unda maris.

Tu tamquam prognatus aquis maria omnia nosti,
 Marmarici nequeunt te latitare doli.
 Quidquid agis, magna sapiens virtute gubernas,
 Non dubio eventu facta notanda putas.
 Non satis unde liquet, tua sit prudentia major,
 An robur, trepidans hostis utrumque timet
 Perge, tuum, perge est Libycas evertere gentes,
 Fortis inhumanos perdere perge Scythas
 Perge, ut nil restet Bithynam excindere stirpem,
 Sic tandem Andreas Aureus extiteris.

In Paulum Gbiserium.

Quis modo, Paule, tuas laudes, quis facta fileret?
 Debetur valido gloria magna tibi.
 Hostibus in mediis, telorum turbine septum,
 Non te defecit vis, animusque alacris.
 Lethi nulla tuam navim formido subegit.
 Linqere, nec membris vulnera lata tuis.
 Tuque diu fociis servasti solus ademptis,
 Robur inauditum quod Ducis intrepidi.
 Sed cum nulla salus numero crescente maneret,
 Securum ad litus te vehit Oceanus.
 Si Fortuna iterum faveat tibi tempore pacis,
 Sidera sublimi vertice percuties.
 Nominibusque tuis meriti reddentur honores,
 Clarus eris bello, paceque clarus eris.

In Marcum Quirinum.

Victores Veneti ut victricia signa referrent,
 Desuper armipotens Mars dedit auxilium.
 Bellacem æthereo demisit ab axe Quirinum,
 Qui patrio Lycias robore frangat opes.

In Victoriam.

Hostes Rhæteos quid mirum classe subacta
 Fœdasse effuso sanguine Nereidas?

Gentem belligeram e terris Rex misit Iberis,
 Et Dites Hæneti vela dedere Notis.
 Eximium Italiæ columen venire cohortes,
 Quarum nota solo, notaque fama Polo.
 Plus autem valuere Pii probitasque precesque,
 Quam tot magnanimum fortia tela Ducum.
 Sancti voce Patris ferrum in se aut verteret hostis,
 Aut Deus e cœlo mitteret auxilium.

In Victoriam.

Cur Leo lætatur? propter victricia signa
 Alitis, oblesso quæ tulit arma Jovi.
 Quo pacto fuit hæc victrix? adjuncta Columna.
 Quæ stetit hæc? rectam Crux Pia sustinuit,

In quendam illiberalem.

Vinea, cum plenis penderent vitibus uvæ,
 Est tua sæpe meo, Balde, petita pede.
 Sæpe suburbanos tecum nos vidimus hortos,
 Quo matura darent tempore poma cibos.
 Nec vis me quidquam cupidis gustare labellis,
 Nec sudariolo munera ferre domum.
 Deinde petis, quid tot dicam de fructibus istis:
 Sed quis ab ignaro diceret ore tibi?
 Hoc dicant oculi: fuit ori nulla voluptas:
 Si vocem nequeunt edere, verte modum.

In quendam ludimagistrum.

Parthenopes quidam præceptor missus ab urbe,
 Factus equum domitor Martis in urbe fuit.
 Officium nullum, quod convenientius esset,
 Mutata potuit conditione capi.
 Verbere cædit equos, pueros velut ante solebat:
 Pro pueris melius nunc domat asper equos.

In Selymum Sultanum.

Non posthac, Sultane, tibi victoria cedit,
 Non semper patitur facta scelesti Deus.
 Nam satis ira diu culpis divina pepercit,
 Tarda magis graviter crimina pœna manet.
 Stulte, a quo possis uno sperare salutem
 Persequeris, tua sunt arma inimica tibi.
 Si juvat oppugnare alios, te desine primum
 Oppugnare ferox, hic sapientis honor.
 Sique cupis palmam, palmæ cognosce datorem,
 Et cum tot tua sint, fac tuus esse velis.
 Tempora jam suadent, ut te sententia vertat,
 Tu nisi eris Christi, non eris ipse tuus.
 Hinc mors, excidium, inde tibi stant vita, triumphus;
 Vive triumphator dum potes ergo tui.

In quendam Turcarum Ducem.

Se multum vidisse putat cui nomen Ocelli
 Fecerunt, pavidus quod cito terga dedit.
 Lumen at exiguum potius tribuere specilla,
 Et quam longus erat, cernere non potuit.
 Visere quam Dominum fremdentem more Leonis,
 Vivere præstabat sub ditione Pii.

In Caracosium.

Annexam dextræ in Christum cœpisse macheram
 Caram rem quare es, perfide Turca, ratus?
 Adjuro, iste tuus quanti tibi constitit ardor,
 Vis, fremitus, rabies, impetus, ira, furor?
 Heu dicendo meum cogis renovare dolorem,
 Caro, nam vita; res tibi cara ea sit.

In eundem.

Cur, scelerate, Crucem preverſa mente negaſti,
 Unde hominum vitæ dulce pependit onus.
 An te ut prædonem faceret piratica primum?
 An vero, ut prædo, præda fores Aquilæ?

In Turcas.

Gens inimica Deo auxilium non ſperet ab alto,
 At potius pavitans, horreat excidium.
 Dux quoque Boſphorus quam poſſit fidere ponto,
 Suprema hæc clades perdocuiſſe poteſt.
 Terra negabit opem pariter, quæ torva tyrannos
 Oderit, aſſuetos ferre ſupercilia
 Perſugium hoc unum, ſpes hæc nunc ultima reſtat,
 Ut fautor Minos in ſua regna vocet.

In Selymum.

Quid monſtrum horrendum viſu molire marinum?
 Molior, ut ſanem vulnera ſoſſus aqua.
 At vereor, ne non curem, niſi ſaucia membra
 Componam terra, fidere nolo mari.
 Perſpice, quid facias, fluctus tua vita marinos
 Appetit, egreſſus, ne moriari, cave.

In eodem Turcas.

Orbis Luna ſui ſedem mutavit; in Orbem
 Terræ, intra Romæ mœnia lata fuit.
 Non ergo eſt terra major, non amplius errat,
 Hæret in anguſto denique fixa loco.

In eodem.

In Cœlo pars nulla tibi, cœleſte quid ergo
 Lunæ vexillum, Turca ſuperbe, geris?
 Perdis jure tuum quod non eſt, exere poſthac
 Eumenidas, ſigna hæc te, & tua regna decent.

In

In eosdem.

Præpetibus fretus pennis invaserat hostes
 Pervigil eructans virus ab ore draco.
 Sopitam classem, atque improvisam esse putabat
 Sed vigilem, & tutam reperit antidoto.

In eosdem.

Non hebetant Aquilæ radiantia lumina Solis
 Obtutum, illa acies, illud acumen inest.
 Non impune sua id tentavit lampade Luna,
 Unguibus est niveas dilaniata genas.

In eosdem.

Rege sub impuro vivens Oeagrius hostis
 Imbuit Jonias sanguine cæsus aquas.
 Injusti domini faciles qui iussa capeffunt,
 Morte sua semper facta nefanda pient.

In eosdem.

Si prius ad flexas Mæandri concinit undas
 Albus olor, mortis fata propinqua suæ:
 Dulcis colla sonos nunc dat per longa canoros,
 Ductores sævi quod periere Phrygum.
 Omnia concupiunt oppressa Tyrannide, justum
 Regem, homines, volucres, flumina, saxa, feræ.

In Selymum.

Quid jactare potest accepta clade Tyrannus,
 Qui promisisset certa trophæa sibi?
 Noctes, atque dies hæc ori verba recurfant,
 Mortuus est Carolus, vinceret ut soboles.



In Mortuos.

Hostibus est pulchrum devictis vivere ; verum
 Pulchrius est sancta pro pietate mori.
 Clarior est mortis , quam sit victoria vitæ,
 Jubilat in terra hæc, jubilat illa polo.
 Vos ergo cæsi, quibus est mors vita, triumphus,
 Vivite felices, vivite in Elysio.

In Marcum Antonium Columnam.

Cernere jam pridem cur Martia Roma quadrigas
 Cessavit? Martis desit Imperium.
 Cur incedit ovans nunc? amissum hoste subacto
 Alta Columna refert ex oriente decus.
 Quo Nomadum timeas Romana propago Tyrannum,
 Per Marcum, rursus si subit imperium,
 Dimidium regnum dant ponti jura recepta,
 Ocyus & totum terra parata dabit.

In Joannem Austrum.

Carolus Herculeas potuit tetigisse columnas,
 Plus ultra dicens voce carente metu.
 Hostibus a victis tot sumpsit nomina victor,
 Primus ut a primo Cæsare Cæsar eat.
 Infectum de tot factis hoc restitit unum,
 Impia non Getici contudit arma viri.
 Omnia si felix gessisset dextra parentis ;
 Nullus honor nato, gloria nulla foret.
 Nilque orbis nato deberet, debet utrique,
 Clarus uterque manet, filius, & genitor.

In Selymum.

Omnia sperabas, nil ante, superbe, timebas,
 Spera nil posthac, omnia, fracte, time.

In eundem.

Væ tibi qui magno movisti bella tonanti,
 Si sternit verbo, quid faciet gladio?
 O te felicem, o novies, deciesque beatum,
 Si verbum audieris, fugeris & gladium!

In eundem.

Regnat apud superos sic Cerberus ore trimembri,
 Alter ut infernas excubat ante fores.
 Fauce avidus triplici triplicem quia devorat orbem,
 A trino cædem sentiet hoste triceps.
 Ad styga detrudent, volucrisque leoque, Piusque
 Et duo latrabunt per nigra regna canes.

In eundem.

Jam cito das gemitus, vestes conscendis, & artus,
 Illidis muro tam cito triste caput.
 Te graviora pericla manent, graviorque ruina,
 Hæc sunt venturi signa minora mali.

In Victoriâ.

Quis neget Europæ Europam fera bella parasse?
 Crudelem Libyam quis neget, atque Asiam?
 Sed victrix victa Europa est, invictaque victrix,
 Dum mucrone Asiam, se, Libyamque domat.

In Barbadicum.

Dirum transfixo evellens de lumine telum,
 Gentis honor Venetæ sic moribundus ait:
 Si te consilio juvi, si, Patria, ferro,
 Tempore si fidus civis utroque fui:
 Non ego pro meritis lacrimas, sed tale sepulchro
 Inscribi carmen pro pietate peto:
 O alter Codrus, propria qui morte salutem
 Civibus afflictis, militibusque parit!

O Thebanorum dux, laudatissimus alter,
Qui victor gaudens hoste cadente cadit.

In Romagassum.

Si quis barbariem ejiciet Thracensibus agris,
Extrahet & Scythica regna opulenta manu,
Si quid donabit Romam cervice Tyranni;
Hic Melitensis eques, dux Aquitanus erit.
Quæ fortuna viro, quæve experientia possit?
Quæ major virtus? qui metus esse minor?

In Pompejum Columnam

Agnosces quid sit Pompejo Roma carerere,
Rursum Pompejum civibus ipsa tulit.
Qui res, & vitam pro libertate profundit,
Cui nomen Magno gloria magna facit.
Hinc ego Pompeii patriæ, quam Cæsaris, almæ,
Virtutem credo perplacuisse magis,

In Mortuos.

Miles utrique cadit (non fit sine sanguine pugna)
Sed pari uterque tamen non ratione cadit.
Nam cadit hic suprema petens, descendit ad ima
Ille cadens, manes hic, adit ille polum.
O nimium, nimium dispar modus iste cadendi,
Dum cadit hic, vivit; dum cadit ille, perit.

In Joannem Austriam.

Cœlicolæ, ducis Austriaci cantate triumphos,
Est victus, contra qui capit arma Deum.
Nereides, fluctus cantu mulcete sonoros,
Tuta per Oceanum nostra carina fluit.
Gaudia tu tellus superato prome Tyranno,
Quæ tibi vi rapuit, vi tibi restituet.
Omnia lætentur, tu mœre, perfide Turca,
Et tua perpetuo corda pavore micent.

In Venetos.

Immortale odium Veneti exercete, Scytharum
 Æterno bello sollicitate ducem.
 Bellorum nervus vobis non deficit aurum,
 Nec, quæ proscindant, ferrea rostra salum.
 Nec vos destituit, data cui est suprema potestas,
 Hostes profligat qui probitate Pius.
 Justus & auxilium confert regale Philippus,
 Victricisque favet dux animosus avis
 Qui restant, citius ducti pietate coibunt,
 Invisumque petent unius ense caput.
 Pugnandi vires, vincendi agnoscite tempus,
 Suscipite, a placido munera missa polo.
 Non semel est vicisse satis, qui sæpe Tyannus
 Vinci, vestraque adhuc regna tenere queat.
 Instandunt, donec pellatur jure Pelasgo,
 Omnibus & dominis restituantur opes.

In Turcas.

Threiciæ Carolum formidavere phalanges,
 Hunc præter, nullum pertimere ducem.
 Pectora sollicito solvere inimica timore
 Perpetuo tanti fata dolenda viri.
 Tunc sic regnator Phrygiæ temerarius inquit:
 Cunctis terror ero, quis mihi terror erit?
 Deprecor, hæc eadem repetat jactator, inani
 Spe nisi delulit, se proceresque suos.
 Nunc in factosam piratas convocet aulam,
 Congreget hic satrapas, consiliumque petat.
 Nunc missas numeret missa cum gente triremes,
 Et de tot videat, quot rediere trabes.
 Scilicet interitu Caroli timor omnis ademptus,
 Sed natus, nimium qui timeatur, adest.
 Si nunc ore negat trepidare, id corde fatetur,
 Et quando est tanti causa tributa metus?

In Marcum Antonium Columnam .

Vincitur in cives capiens Antonius arma,
 Sumere in externos quæ poterat melius.
 Vincit, mucronem pro civibus alter in hostes
 Vertens. & Petri cymba triumphat aquis.
 Fas nemo abrumpat. pugnantiem deserit æquum
 Raro, testari Marcus uterque potest.
 Ergo pugnemus patriæ pro jure tuendo,
 Vincet, qui optabit pro pietate mori.

In eundem.

I sequere auspicia Antoni; meliora parabunt
 In Patriam reditus. spes ea certa manet.
 Jam res sunt fractæ hostiles, fortuna recessit,
 Tu nihil illius de levitate time.
 Est in virtutem fortunæ nulla potestas,
 Si versare manu cetera cuncta valet.
 Atque sua est fortunæ etiam constantia firmæ,
 Sero enim amica nocet, fero inimica favet.
 Denique pro Christo pugnās, a quo omnia certa
 Pendent, quique potest certa trophæa dare,
 Vade igitur, ter signa crucis victricia tecum,
 Et tecum refers hostica signa domum.

In Turcas captivos .

Prorox Chalcidicus, Selymi & venere nepotes
 Romam captivi, magnaque turba ducum.
 Vincula barbaricos hostes Romana coërcent,
 Ponere credentes omnia sub pedibus.
 Qui male vastata ruperunt fœdera Cypro,
 Et sua qui gaudent verba carere fide;
 Discant Justitiam, & verum cognoscere numen,
 Et fiant posita jam feritate pii.
 Vivere more hominum scribant, quam more ferarum
 Esse suis melius, sitque ea prima salus.

Hor-

Hortenturve Pio potius se dedere, regna
 Reddere, quotquot habent, quam misere perimi,
 Addant, humanas nil contra numina vires
 Posse, & ab Asiaticis numina falsa coli.
 Ingenium nec se stupeant mutasse repente,
 Inter enim mites quis ferus esse queat?

In eundem.

Cum Venetis, cum patre Pio, cum rege Philippo,
 Infandum bellum barbara turba gerit.
 Hos tres dat tellus pro religione potentes,
 Numina terra ferunt his tribus auxilium.
 Nam partes Venetum Marcus defendit amicas,
 Regis Jacobus, Pontificisque Petrus.
 Vis est tanta ducis, cujus sex signa sequuntur,
 Inferna ut timeant, ut mare, terra, polus.
 Hic Deus est cujus tanta est sapientia, prorsus
 Corda hominum ut videat, consilia ut superet.
 O quam mens Turcæ vobis est læva! putatis
 Compressi pugno vincere posse Deum.

DANIELIS CERETI



SALIX.

Forte sub intonsæ confederat ilicis umbrâ
 Flava Salix, castæ comitum pars fida Dianæ;
 Implebatque sinus Zephyris: nexuque soluto
 Errabant nitidi per eburnea colla capilli,
 Qua pater auriferâ redimitus tempora citro,
 Verberat ingenti Benacus littora planctu.
 Dum sedet, oblitam Dominæ, Faunisque procacis,
 Florilegæ tenuistis apes, volucresque canoræ,

Et

Et quæ proceras mulcebant flamina quercus
 Propter aquæ rivum, somno jamque illa gravatum
 In pharetram & laxos caput adclinaverat arcus:
 Ante pedes lapsum fronti crinale jacebat,
 Et jaculum, Triviæ magnum, ac memorabile munus.
 Viderat hanc, ut erat dulci resoluta sopore,
 Fortè senex Glaucus, latratas æquore cautes
 Dum colit, & captos adducit arundine pisces
 Stans celso in scopulo, visâ stupet ille, siletque
 Improbus, atque atrum flagranti corde venenum
 Concipit, & cæcum totis bibit ossibus ignem,
 Jamque suas artes, nodosaque lina perosus,
 Cæruleas damnabat opes, centumque sorores
 Post Salicem posuisse ferunt. Ergo ille trementi
 Luctantique ferox, & inania bella moventi,
 Vim tulit; at cæsis virgo Saloina lacertis
 Lassavit plangore nemus, latosque per agros
 Haud intermissas fudit miseranda querelas.
 Non illi volucres urgere in retia cervos
 Cura, nec in laxos leporem deducere casses
 Amplius, aut timidæ calamo transfigere damas:
 Nec rapidis vacuos canibus circumdare saltus,
 Sed latet, & scabro laqueata cubilia tofo
 Incolit, & longo domus est spelunca recessu,
 Qua nitidos colles, subjectaque collibus arva
 Spectat oliviferos quassans Taureta capillos.
 Sæpe illam Dryades frustra lenire jacentem
 Tentavere; quid hos, dixerunt, cara dolores
 Perpeteris Nymphæ? quæ causa indigna decoram
 Turbavit faciem? quid flet mœstissima virgo?
 Virginis ad nomen suspiria traxit ab imo
 Corde Salix, silet illa tamen, nec prodere cæcas
 Sustinet insidias, rumidi sed pondera ventris
 Celat. & interdum læsi dat signa pudoris.
 Dumque oculos vix tollit humo, nunc pingitur ostro
 Puniceas incensa genas, nunc flebilis hæret
 Pallidior buxo: qualis Tithonia conjux
 Quum rubet, & subita tegitur caligine mœrens

Memnonis admonitu Jam sol altissimus axe
 Fecerat exiguas spatiiis æqualibus umbras;
 Ecce tumens spoliis, atque oblita cæde ferarum
 Antra subit lucis Hecate lassata sub altis,
 Antra edera, & raris labruscæ sparsa racemis,
 Intus aquæ, viridique obsessa sedilia musco:
 Ante fores Thymbraë surgunt, flentesque Hyacinthi,
 Et cum flammeolis lethæa papavera caltis,
 Innumeræque herbæ grato quas murmure labens
 Rivus, & attritos versans alit unda lapillos,
 Non latices illic, nitidi non uda profundi
 Lanigeræ turbastis oves, saltuve protervo
 Indomiti ripis insultavere juveni:
 Non fera, non imis serpens educata cavernis,
 Nec cum se pastæ referunt è monte capellæ.
 Sæpe tamen Dryades fessos venatibus artus
 Fonte lavant, humeroque tenus contingere gaudent.
 Quò simul intravit, trepidantem, ac multa timentem
 Tergaque jam dantem, vidit Titania Nympham,
 Vidit, & exarsit, pharetramque arcusque retentos
 Corripuisse ferunt. At virgo concita cursu
 Transvolat arva fuga, rapido velocior Euro,
 Donec arenosum vitrei Mellonis ad amnem
 Pervenit: hîc junci steriles, & candida circum
 Populus & pigram velabat canna paludem,
 Et cum caricibus limo quod crevit acutis
 Molle filer, calamique leves, ulvæque virentes.
 Substitit hîc lacrimans, sparsosque a fronte capillos
 Rejicit in tergum, pleno singultibus ore
 Pallidulo, tales effundens pectore voces:

O qui me fluctus, quæ me nunc ima dehiscens
 Abscondat tellus, penitusque in viscera mergat?
 Cœlicolæ si qua est pietas, si conscia veri
 Numina deceptas spectant sine fraude puellas,
 Eripite hanc animam miseræ, & suprema roganti
 Munera ferte, atque ô finissem morte dolores,
 Cum mea virginitas erat illibata! libenter
 Nam potui tunc casta mori: superos tamen omnes

infelix testor, contra mea vota pudorem
 In ventos abiisse leves, si mentior, in me
 Vertat inexhaustas agilis Dictynna pharetras.

Audiit hæc Phœbe, celereſque morata ſagittas
 Languit ad gemitus: ſparſiſque in terga venenis
 Arbor eris, dixit, ſed quæ nec poma, nec ullas
 Divitias domino, præter fera vincla miniſtres:
 Nec tu militibus, nec tu clamata theatris
 Serta feres, cultis circum ſua tempora Nymphis
 Frons tua pendebit, nec te dignabitur inter
 Alticomas quercus, aut ærias cupreſſos,
 Sede nemus nigrâ, vel nubilus abiete lucus,
 Sed procul extremis ignota jacebis in arvis,
 Perque lacus patulos, obliquaque flumina paſſim
 Fœda tibi querulæ facient convitia ranæ.
 Ver quoque cùm ſilvis ſuccos infuderit altis,
 Quàm bene tunc ſalicis demptâ cute membra rigeant:
 Tunc nova direpto de cortice fiſtula fiet,
 Fiſtula non doctis germani inflanda labellis,
 Nec feſtis animanda choris, cùm tibia nuptam,
 Legitimasque faces, ſacroſque Hymenæon ad ignes
 Læta canit; balbo ſed quam puer ore fatiget.
 Nec ſat erit laniaſſe cutem, ferus ora laceſſet
 Ruſticus, & tortam per mille volumina reddet.
 Sic tua dum ſimæ carpent virgulta capellæ
 Tityrus innitens baculo ſilveſtris olivæ
 Multifora vetitas narrabit arundine flammas:
 Flaventesque comas, tibi quæ nocuere placendo,
 Ruſticus incurva deponet falce quotannis,
 Contemnetque tuos imo de gurgite vultus
 Semifer, ad molles juvenilior ille rapinas
 Semper, & injuſti fax vulgatiffimâ regni:
 Vigebitque tuam dum ventilat hordea vannum
 Theſtylis, & genibus feriet cava texta recuſſus.
 Mox ſimul obliquam terris inverterit urnam
 Tros puer, atque vias pluviis fœdaverit Auſter,
 Te vulgus calcabit inops, te femina, virque
 Induet, & ſoleis plangentur terra ſalignis.

Atque aliquis pictos nodoso in robore qualos
 Fronde tua texens, aut candidulos calathiscos
 Rafilibus virgis, ô quantum flexilis ista
 Nympha fuit, dicet: quantum florentibus annis
 Ista falax visa est: tum te culpabit, & inter
 Fabula femineas dicêris longa catervas.

Desierat Jove nata loqui, cum territa virgo
 Ter conata solo teneras divellere plantas
 Mollia ter niveis percussit pectora palmis,
 Dumque pedes subita queritur radice teneri,
 Pes ubi sit, quærit, digitique, unguesque, cutisque
 Jam teretes suræ, jam candida crura, sinusque
 Rugoso sensim cœperunt cortice claudi:
 Brachiaque, ad cœlum quæ forte tetenderat, altos
 Induit in ramos: restabant ora, comæque:
 Quid facis exclamat, Latonia? parce, nec uno
 Funere perde duos, uteri miserere, nec ultra
 Iram tende tuam: sic me periisse juvabit:
 Parce precor, clamabat adhuc, clamantia cortex
 Occupat ora recens, & vox sub stipite cœcum
 Ultima murmur erat, latebroso quale sub alveo,
 Punicibusve cavis Sicula exauditur in Hybla,
 Horrida cum vario saturatas flore catervas
 Clausit hyems testis; crocei jam vertice crines
 In longas abeunt frondes, quæ nunc quoque (mirum!)
 Corpora mutata velant pudibunda puellæ.
 Sed postquam teneras absumsit cura medullas,
 Cura vigil, querulusque dolor, sævique labores,
 Arentis nodi traxerunt ossa figuram:
 Proque nova mollis crevit lanugine muscus.
 Pallor inest foliis: scires timuisse; vicemque
 Sanguinis in lenta gelidus gerit arbore succus.
 Hinc juga montivagæ nimium dilecta Dianæ
 Odit & invisos Phœbi ne perferat ignes,
 Gaudet aquis umbrisque, & opacæ frigore vallis.
 Neve parum cautis desint exempla Napæis,
 Indicium luctus foliis novus hæsit amaror.
 At puerum Nymphæ (postquam Lucina dolenti

Affuit) obscuris enutrivere sub antris:
 Signa tamen partus, veterisque infamia facti
 Durat adhuc: uteroque manet despecta capaci,
 Quæ fuerat cunctis olim prælata puellis.

P A U L I C E R R A T I

A L B E N S I S.



*In Gulielmi, & Anne Montisferrati principum
 nuptiis Epithalamion.*

ÆThereo cum forte Deum spectaret olympo
 Rector, & æterno lustraret lumine terras,
 Flexit ad humentem torrenti flumine ripam
 Sidereos oculos, qua fervidus evomit undas
 Eridanus, nimbisque fremens spumantibus, urbem
 Evasiam oppugnat, fundataque mœnia latis
 Nunc spaciis, quondam tenui fulcata colono.
 Hic cursu puerum adspexit, qui læta volucri
 Cornipedis medio quatiebat gramina campo,
 Insistens dorso, atque equitem versare sub armis
 Gaudebat, saltuque ferox agitare per auras,
 Tum ridens fator omnipotens agnovit avito
 Nomine surgentem, & patruæ virtutis alumnum,
 Diisque ait: hunc tandem Divi spectabitis inter
 Astra Deum: sed fata prius volvenda per annos,
 Quois reget imperio populos, lateque vagantem
 Hostem aget, & placidâ componet regna quiete.
 Verùm ego progeniem antiquam, sobolemque Decorum
 Haud patiar fatis volvi mortalibus usquam,
 Sæculaque accipient magnos ventura nepotes,
 Sic nostro sedet hæc animo sententia, tanti
 Hic puer est nobis, quanti spectator habetur

Alcides quantique decus mihi, Numina, vestrum.
 Hæc ubi Mercurium vultu mandata sereno
 Ferre jubet, verbisque Deum compellat amicis,
 Vade, age, & invictum Regem cui Gallia servit
 Armipotens, & pingue solum, ac Cerealia rura
 Insufram, & quantum Latii tenet Appulus audax,
 Et Calaber, quantumque colit Mavortia tellus
 Parthenopes, Ligurumque premunt freta cærulea montes,
 Liber adi, & nostros nisi curet temnere jussus;
 Dic, Nympham ut properans de tot modò gentibus unam
 Eligat, atque meo Gulielmo servet amantem,
 Diis similem, jungatque thoros, animosque volentes.
 Hæc summa est, jam tu pronis illabere terris.
 Hinc Martem Phœbumque vocat, pulcherrima cœlo
 Numina, & ardentem placido sic instruit ore:
 Cernitis an mecum, quàm forti pectore surgat
 Spes Italùm, atque animo ingenti Paleologa proles,
 Virtutemque puer quantum prætendat avitam?
 Ite ergo, atque Ducem dignum Jove reddite; & arcus
 Instrue Gnosiacos, pharetramque armare sagittis,
 Teque recurvantem miretur brachia longo,
 Phœbe, sinu, telumque volans super æthera Princeps.
 Hunc quoque non pigeat citharam, plectrumque canorùm
 Auspice te junxisse modis, & carmina docto
 Pelidæ in morem cantu resonare per antra.
 Hic tibi major honos: namque haud armenta per agros
 Pastor ad Amphrimum coges, neque tibia raucò
 Phryx commota sono tecum certare parabit.
 Grajo regna duci, natum qui misit in oras
 Hesperias, bello insignem, rebusque fecundis.
 Imperium postquam geminis Balearibus auxit
 Filius, hunc sequitur, pietas cui plurima cordi,
 Et Divùm cultus aderant, aræque calentes
 Diis Superis, gratusque Jovi Theodorus, & astris.
 At non patre minor folio confedit eburno
 Natus, & æquato moderamine sæcula rexit.
 Quattuor hic Divos genuit (sic dicere Parcæ
 Audivere Dei) quos primùm luce sub ipsâ

Emicuisse ferunt; quorum qui maximus ævo,
 Sceptra prius tenuit, quo non formosior alter
 Eloquiove prior, nec erat præstantior armis.
 Sed fratrem omnigenas spoliis laudata trophæa
 Victorem rapuisse fremunt ex hoste coronas,
 Atque ita summe virum resonas Gulielme per ora;
 Tu belli fulmen, tu Marte potentior ipso,
 Fortior Alcide, ac numerosi militis instar.
 Verùm Divorum genitorem haud gloria servat
 Nequicquam, quem summa manent præconia laudum;
 Qui Mahumetæas ferro vastare cohortes
 Ausus, & Hungaricos acie defendere campos;
 Et cui Divarum pulcherrima contigit uni
 Conjux, quam cælo demissam Juppiter alto
 Huic locat æternis vinclis, ac fœdere jungit.
 Semine sic postquam Mariam compleverat heros
 Fœcundo, ac decimum jam luna peregerat orbem,
 Editus in lucem puer est Jove pignus amico;
 Cui risere poli, cui sidera læta dederunt
 Omnia nascenti, populis quem imponere regem
 Fata volunt aliis, atque hinc instare futuram
 Progeniem æternam, famâ quæ compleat orbem.
 Sic nutus cessere Deum, sic Juppiter ipse
 Imperat; & ne casta ferant ludibria venci,
 Et Divum mancant sceptris promissa futuris.
 Tu Nympham haud segnis de tot modò gentibus unam
 Elige Diis similem, & puero cui lætior ætas
 Jam venit, & calidus fervet sub pectore sanguis,
 Connubio jungas, gratosque haurire calores
 Adsuescant, placidum nomenque subire parentum.
 Sic fatus, trepidos nebulâ circumdatus atrâ
 Deserit, & volucris fertur super æthera Cauro.
 Ipse autem rector versans sub pectore jussus,
 Talibus alloquitur proceres: manda Tonantis,
 Vertere quæ numquam fas est, aut spreta manere,
 Audistis, quibus haud equidem parere negamus:
 Sed tentanda prius Divorum oracula, tantis
 Quam poscant thalamis, quam fara ad regna capefcent.

Servate ergo animis, atque hæc mea pendite dicta:
 Sola meis virgo regnis enata moratur,
 Nostrorum soboles regum, quam nomine passim
 Illustres Annam celebri dixerunt parentes,
 Cara Deis, nisi me fallat mens prescia rerum.
 Hanc Druidæ, & vates patrio vetuere marito
 Nubere, & indigenas prohibent sociare hymenæos;
 Extreruntque parant generum; qui laudibus astra
 Occupet æternis, & facta æquabit olympo.
 Quare ego iussa putem (si Diis, aut vatibus usquam
 Ulla fides superest) monitis connubia Divum
 Adfore, quæ paribus devinctos ignibus urant.
 At tu Sarmaticos paulum, Gradive, furores,
 Barbaricumque Getam, Rhodopæaque marmora linquas;
 In puero ac tantum curas mens anxia volvat,
 Ille ut militiam jam te perferre magistro
 Discat, & armatos contundere viribus hostes:
 Seu paret ire pedes, thorace indutus aheno,
 Fraxineaque trabe insignis, seu bella ciere
 Thermodoontæâ medio juvet agmine peltâ,
 Seu galeâ ingenti tectus, flammæque vomente,
 Pectoraque ærato fulgens munimine & armos,
 Et crura auratis ocreis, animosus anheio
 Insultabit equo, vertetque in tela frementem
 Quadrupedem, ac sævo confundet Marte phalanges.
 Interea Maiâ genitus, talaribus Euros
 Verberat, & propius jam tecta Parisia cernit.
 Palladiumque urbem, ac ferro genus acre virorum;
 Obsessasque vias, operosaque dona Minervæ;
 Et molem ingentem, & rorantia flumina muros.
 Hic Regem aggreditur, summis de rebus agentem
 Arce sacra, proceres inter, sanctumque Senatum;
 Sicque orante Deo, tenuere silentia cuncti:
 O cui Divorum terris æquata potestas
 Ab Jove, perpetuo qui nutu sidera torquet,
 Ab Jove, ego mandata fero tibi iussus eodem.
 Italiam variis, Gallorum maxime ductor,
 Distinxit natura locis, multasque per oras

Separat, haud temnenda viris, cultuque locorum.
 Occupat hic regio partem, quam nubifer ambit,
 Axe sub occiduo circum Appenninus, ad Austrum
 Tyrrheni assurgunt fluctus, scopulique sonantes,
 Hinc vicina Padus, fluctu terit arva profundo.
 Hinc proavis, atavisque potens, modo parvulus arces,
 Ac populus teneris Princeps moderatur in annis,
 Quod si tu seriem majorum audire suorum
 Forte paras, genus antiquum mirabere longo
 Ordine, divinam rector mirabere gentem.
 Saxona progenies primum sceptrum aurea terris
 Rexit in Ausoniis, Ligurumque Aleramus habenas;
 Corpora natorum cui fudit Alasia septem,
 Germanas inter quondam pulcherrima divas:
 Et sobole, ac numero, genitoque insignis Orone.
 Filius hinc primum, quem partu mater in auras
 Ediderat, patrios tenuit Gulielmus honores.
 Unica subsequitur proles, quam nata Philippo
 Rege Pyrenæo magna ad connubia vexit.
 Martius inde senex regno successit avito,
 Julia quem thalamo magni germana Quirini
 Principis accepit, tedisque jugalibus ultro.
 Virtutem hinc patriam referente, ac nomina, gentes
 Regnantem novere ducem; qui Ægyptia ferro
 Castra terens, pavidam vidit dare terga Canopum.
 At puer aurato cingens diademate frontem,
 Sacra Palæstini suscepit pondera regni,
 Et sceptro majore decus superavit avorum:
 Quem vobis si dura nimis non fata tulissent
 Tam subito, imperium magnum tenuisset & orbem,
 Post etiam patruus sceptris regalibus urbes
 Rexerat Æmonias; subiit genus inde nepotum.
 Egregium, ac finem maribus fortuna locavit;
 Andronico donec cesserunt debita fatis.
 Et mora ne tantis referat dispendia tædis,
 Centum oratores fines mittantur in almos
 Heliadum, & rapido cyneos agmine campos,
 Qui Superûm jussu Latio cum Principe firment

Conjugium, & stabili concludant pectora vinclo.
 Assentere omnes, lateque per atria voces
 Ingeminant, lætisq; sonant clamoribus auræ,
 Felicesque rogant tædas, Superosque faventes.
 Postquam cœlicolum cupidas impleverat aures
 Fama volans, terris celebranda Talassia Gallis,
 Deferuere suas cœlestia numina sedes,
 Juno Mycenæam, Samiamque reliquerat arcem,
 Pallas Cecropios cœtus, enus alma Cythera,
 Atque Paphon, fecunda Ceres juga celsa Pelori,
 Idæum nemus, & Xanthum turrata Cybelles,
 Iris curva polum, Delon Latona vagantem,
 Virgineosque adiere thoros, Divamque salutant,
 Haud aliter quam cum diversâ in parte volantes,
 Candentes cycni sensere ad flumen olorem
 Æthera mulcentem numeris, cognata frequentant
 Pectora, & Aonio cantu gratantur amico.
 Hinc quoque legati superatis Alpibus ibant,
 Lecta cohors, spaciofa viæ jam plana tenentes,
 Jamque Padum ingentem longe mirantur, & arva
 Oenotria, & late Gulielmia mœnia cernunt.
 Ante urbem Princeps, & Mavors arduus hastis
 Bella cient, instantque adverso pectore utrinque,
 Terrificosque agitant ictus, & corpora denso
 Verbere concutiunt, & dura cuspide torquent.
 Obstupuere viri; Gallumque impleverat agmen
 Murmur, & egregios artus, animumque ferocem
 In juvene extollunt, & vires Martis alumnas,
 Felicemque vocant, si quam dignabitur umquam
 Excepisse thoro, ac cestu soluisse puellam.
 Jamque propinquantes heros agnovit amicas
 Adventare acies, insectaque prælia linquit,
 Occurritque viris, sociosque in tecta recepit,
 Scita:urque viæ causas. Illi ordine pandunt,
 Quid veniant, ac jussa ferunt, curasque Deorum,
 Et genus, ac formam, & mores, ac virginis annos,
 Nominaque expediunt, tum non secus ignibus Ætnam
 Sulphuræ versant animæ, quam pectora divi

Idaliæ exurunt auditâ virgine flammæ.
 Ardet amans, placitosque thoros pacificitur ultro,
 Et pacta auratis celebrant sponsalia testis.
 Legatos onerat donis, opibusque superbis
 Dimittit, nunc plura monens, nunc munera donans,
 Quæ sponsæ referant, haud vanum pignus amorum.
 Primus Amor rosæ retulit connubia matri.
 Prima Venus rosæ retulit connubia divæ;
 Et geminos properans componere Cypris amantes,
 Junxit aves curru, veloxque per aëra fertur,
 Donec liliacum Regem sic orsa petivit:
 Quid Jovis imperium tardas, & fata moraris
 Optime Rex? Superûm si te reverentia tangit,
 Tolle moras, nec tam præsentia gaudia differ,
 Atque virum nuptæ, & nuptam jam redde marito,
 Et teneros juvenum non aspernare calores,
 Promissumque genus terris, sobolemque futuram.
 Haud equidem hoc galeas tempus, cristasque comantes
 Poscit, & horrentes falsâ sub imagine pugnas.
 Et Marti, Phœboque potest satis esse Latinum
 Instituisse ducem, ac puerum trivisse sub armis.
 Respice quin etiam Germano sanguine Nympham,
 Cui mandata Deo pepigere cubilia dudum
 Missi oratores, Italumque dedere jugalem
 Progeniem cœli: nec tu frustrare morantes
 Amplius ipse Deas, quæ summo ex æthere, regnis
 Advenere tuis, atque intra limina sistunt
 Virginis, optantes jam pridem visere pompas
 Nuptiacas, facibusque polo splendescere noctem,
 Cum grenium virgo maternum linquet amica
 Rapta manu, & cupido tandem dabit oscula sponso.
 Ergo tolle moras, Paphiam neque sperne moentem,
 Atque virum nuptæ, & nuptam jam redde marito.
 Dixerat, & tenues iterum sublata per auras
 Liquit Aphrodisium Regem, comitesque revisit.
 Tum Divæ monitis, Hymenæos ipse paratu
 Regifico struit, & luxu festa aurea summo
 Læta fremunt, cunctique Deos in vota jugales

Ore vocant fausto, precibusque rogata laceffunt
 Numina, & invitant magna ad solemnia Divos
 Nec mora, progreditur liris nova nupta secundo
 Alite, ut exorients radianti Cynthia vultu,
 Æmula faterni currus, noctemque pererrans;
 Fulgor habet faciem, proludunt vertice crines
 Aurati, stipantque humeros, & eburnea colla.
 Virgineum Phryxea tegunt quoque vellera pectus,
 Gemmatoque trahunt pallæ vestigia limbo.
 Hinc atque hinc avidæ comites glomerantur, & albis
 Evectantur equis, quos magna Britannia misit,
 Et dominam certo gradientes ordine cingunt;
 Nereides veluti fama est sociare parentem
 Dorida, cùm repetit visu pulcherrima lætos
 Conjugis amplexus, delata per æquora, pando
 Tergore Delphinum, liquidumque Palæmona findit;
 Et Pelusiacam si quando exquirat Osyrim,
 Isida sistratæ comitantur forte catervæ.
 Nec non se socium Princeps Gulielmus agebat,
 Et sua virgineo pascebat lumina vultu,
 Optato assistens lateri; ceu pulcher Adonis
 Formosam Venerem, Latonigenamque Dianam
 Qualis ubi Orion venantem sæva ferarum
 Per lustra, ac silvas gressu comitatus amico.
 Hinc se se pariter comites, Rex Celticus, atque
 Purpureâ fulgens sacrum caput undique mitrâ
 Carolus, atque sequens fraterna Georgius arma,
 Orbis amor, summumque decus, cui plurima circum
 Tempora proserpit laurus, nodatque capillos;
 Gallorumque ducēs primi, genus atque Latinum
 Egregium addiderant læto clamore sequentes.
 Permixture aderant Chiron, fidibusque canoris
 Amphion, vatesque movens Rhodopejus antra
 Tartarea, & docto modulantur carmina plectro;
 Ac sponso, sponsæque canunt prologia laudum,
 Haud vanum decus amborum super astra ferentes.
 Talia cernentes bifidâ Parnasside silvâ
 Aonides posuere moras, altisque frequentes

Decurrêre jugis, cœloque feruntur aperto,
 Atque adeunt nuptam, ac dextram tetigere puellæ.
 Inde viæ comites cecinerunt carmine Musæ
 Talia vaticino, quarum prior aurea cœpit
 Calliope, ac solvit Phœbeos pectine nervos,
 Oraque sic movit resonantia voce canorâ:
 Quos Pater omnipotens junxit, quos numina servant,
 Haud miseros hominum casus sentire décorum est,
 At decet ambrosiâ perfusos inter amicos
 Stare Deos, magnasque poli regnare per arces.
 Vos pater omnipotens junxit, vos numina servant,
 O sponsi, neque vos funestis casibus actos
 Fata trahent, vobisque tori super astra dabuntur,
 Ite alacres sponsi, felices ite per ævum.
 Excipit hinc placidas Clio sic orsa Camœnas:
 Herculis ut quondam Junonigenæque maritos
 Cœlicolæ thalamos, & sacra jugalia magni
 Æacidæ, ac Thetidis celebrarunt au'pice Phœbo:
 Sic vestra æterno celebrant connubia plausu
 Cœlestes, ac digna canunt sponsalia cœlo,
 Et Superûm mensis, quas nunc quoque Lemnius ardet.
 Ite alacres sponsi, felices ite per ævum.
 Nec tu Melpomenem sævos posuisse corhurnos,
 Mira putes, fratrumque audacia bella tacentem,
 Atque novercales iras, Regumque furores.
 Nam mihi sunt hæc memoranda cubilia cantu,
 Æolidisque toros, Myrrhæque avertere pestem
 Nunc opus, ac tristes infausto lumine tædas.
 Ite alacres sponsi felices ite per ævum.
 Tu quoque sponsales mecum mea tibia lusus
 Incipe, & Euterpen memora sub rupe canentem
 Pegaseâ, & grato pacantem murmure silvas,
 Huc rapido venisse gradu, quò buxus ad aures
 Dona ferat Paphiæ, & geminorum carmen amantum,
 Quale ego Thespiadas memini cecinisse sorores.
 Ite alacres sponsi, felices ite per ævum.
 Cynthius Iliacos citharædo pollice muros
 Struxit, & Alcathoo vocalia mœnia regi,

Et Methymnæus fidibus vada cærule flexit.
 Ast ego Terpsichore citharâ neque ducere muros,
 Nec Protei pecus ad nostras accurrere Musas
 Opto, sed en vobis numeros, plectrumque dicamus.
 Ite alacres sponsi, felices ite per ævum.
 Si mea non fallunt nostras oracula mentes,
 Atque Erato non vana sonet, jam maximus orbis
 Excipiet vestros numquam defessus honores,
 Vestraque ad extremas adsurget fama columnas,
 Ac Indum, & rigido glaciale frigore pontum,
 Et Meroen, vobisque adolescent marmore templa.
 Ite alacres sponsi, felices ite per ævum.
 Hinc canit Uranie, cœli doctissima virgo:
 Felices animæ juvenum, quibus arduus æther
 Astraque divinos terris peperere triumphos,
 Cùm fulsere Jovis læti nascentibus ignes.
 Saturnusque minas posuereque funera Mavors,
 Et Sol, ac Venus, & pulchro Cyllenius astro,
 Cynthiaque amborum thalamos finxere sub ortu.
 Ite alacres sponsi, felices ite per ævum.
 Sic quoque facundas dedit ore Polymnia voces:
 Mæonides numquam, citharæ neque Pythius auctor
 Hausissent totas quamvis Phorcynidos undas,
 Castalias laurus totidemque per ora moverent,
 Mæonio æquarent Hymenæon carmine vestrum.
 Qualescumque tamen vobis per sæcula laudes
 Ipsa feram, Musæ juga dum Cyrrhæa tenebunt.
 Ite alacres sponsi, felices ite per ævum,
 Grandia Corycides cecinerunt, parva Thaliam,
 Ac jucunda decent, lususque, salesque, jocique:
 Vos ergo æternos cupidis jungatis amores
 Pectoribus, vestrasque legat Cytherea medullas.
 Atque ita longævus connubia vestra per annos
 Pax ferat, atque Deos vobis sperate faventes.
 Ite alacres sponsi, felices ite per ævum.
 At pater omnipotens canis in nubibus almam
 Temperiem induxit, calidique ardentia Cancris
 Sidera dimovit cœlo, Nemeumque Leonem,

Jussit & auratos per Libram ducere currus
 Omnivagum Solem, superosque videre Booten,
 Et medias Hydræ partes, mediamque Coronam.
 At tellus (summo cui surgunt vertice silvæ,
 Auribus exiliunt labentia flumina sacris,
 Exundant gremio fontes, curvantur & antra,
 Ac dextram, lævamque premunt & pectora montes,
 Oppidaque, & multo lacerantur vomere membra)
 Postquam sensit humum, tristemque Acheronta moveri,
 Admirans (neque enim luctantes carcere motus
 Præstabant venti) trepidum caput egit in auras,
 Aspexitque choros lætum Pæana canentes,
 Quadrupedante feros, & agentes verbere campum.
 Risit, ut agnovit vani figmenta timoris,
 Atque ait: Auxilio tantos sequar ipsa paratus,
 Et placido accipiam venientes tramite divos.
 Finierat, curruque volans super arva secundo
 Frugiferas sparlit divino nectare terras:
 Ac subito jussi panduntur in æthere flores,
 Et variis passim stravere coloribus agros,
 Lilia, Coriciumque crocum, cum bacchire odore
 Fundit, & auratis tellus per saxa corymbis
 Chryfocomen, Pestique rosas, seroque comantem
 Narcissum, ac violas, & olentem semper anethum,
 OEbaliumque decus surgit cum smilace, & irim,
 Nyctilopamque ferunt, & amomum rura Sabæum,
 Atque thymum, vultuque virescunt prata decoro.
 Maturæ veniunt segetes, & inhorruit agris
 Spicea vis, lateque iterum coquit annus aristas.
 Poma suis ramis, dependent vitibus uvæ,
 Glandiferæque vomunt stillantia balsama quercus,
 Saccharaque, & myrrhæ succos, & thuris odores:
 Hyblæosque favos, salices & Hymetia mella
 Sudant, & tenero frondescit vimine costum,
 Et piper, & nigro terebinthus cortice surgens,
 Et nardus, populisque ferens sua nomina lothos,
 Et pala, atq; hebenum, & calamus quasq; India plantas,
 Quas ditæque colunt Arabes, & Persica Tylos:

Crescere odoranti vulgo mirabere trunco.
 Bacchus & ingentem Rhodanum, Ligerimque sonantem
 Atque Ararim, & volucrem Dubim, nitidumq: Sequanam
 Garumnamque citum Lenæo munere complet.
 Vina fluunt, nuper quæ tantum flumina norant
 Æquoreas undas, humorem littora spectant
 Nuper Aminæum labentem gurgite pleno,
 Naiades hæc primum quo tantum enare solebant
 Marmora Cæmænis, Sigiisque e vertice solvunt
 Nimbofo, & densis accinctæ nubibus Alpes,
 Præcipitantque nives humeris atque aspera saxa,
 Et placidi fiunt viridanti gramine colles.
 Occurrunt Divis sylvestria numina Fauni,
 Et gemino insignes cornu, Satyrique fugaces,
 Centaurique leves, & amor Silenus Jacchi
 Mœnatio insistens pecori, Dryadesque puellæ;
 Ad numerosque cient choreas, modulante Lycæo,
 Et gratos nectunt vario sub carmine gyros,
 Atque Hymenæa sacrum Diis immortalibus æquant.
 Interea juvenes rapidi loca culta peragrant,
 Donec harenosum Tanarum substernere magnis
 Principibus libet, & venientes excipit Alba,
 Alba suos tandem sic intra mœnia Divos.
 Quadrupedum strepitusque virûm, clangorque tubarum,
 Auratæque lyræ, cytharæque, & tympana rauca,
 Atque ebur altisonum, litui quoque cornua flexi,
 Ac tormenta gravi crebrescunt ænea bombo.
 Diversæ apparent facies, & pægmata circum,
 Inque triumphali reteguntur fornice laudes,
 Multaque præterea Divorum gesta meorum.
 Sic quoque nos tantis Divûm exemplaribus acti,
 Incultum licet, in vestros pendemus honores
 Carmen, & exiguum non falsi munus amoris.
 Et sua dum toto fulgebunt lumina cœlo,
 Inque vicem sacros nexus elementa tenebunt,
 Nomina vestra polo, ac toto sacrabimus orbe,
 Si mea Pieriis umquam monumenta placebunt.
 Sed primum o virgo, titulos patiare decoros

Principis ut referam : neque enim privabere votis
 Ipsa tuis , dignamque fores cum conjuge laudem.
 Nec memorem patruos , & avitæ nomina gentis ,
 Et patrem horrendum bellis , & pace verendum ,
 Ac Mariam , æthereo Divum de sanguine matrem ,
 Cui vatum cessere labos , Phœnicia Dido ,
 Romanum ac toties frustrata Zenobia Martem .
 Ipse ergo cantandus ades , tu carminis auctor ,
 Quem mihi præsentem si fas laudare , labores
 Herculeos æquasse canam , majora daturum .
 Ille puer geminos manibus colliferat angues ,
 Gutturaque extinxit Lernæo septa veneno :
 Tuque puer duro superasti Marte phalanges ,
 Armatoque viros ; summis nec egentia rebus
 Agmina consilii non autem armenta ferarum
 Vincere , sed fortes animos , & vivida bello
 Corpora sic virtutis opus , magnisque trophæis
 Dignus honos , latum mandandaque gesta sub ævum .
 Te numero sensere truces ac pectore Galli ,
 Atque Italus rerum domitor , belloque timendus ,
 Emineant quantum vires in fortibus armis ,
 Dive tibi , & quantum sonipes tibi pareat audax ,
 Cum fera cornipedis sævum premit ilia calcar .
 Novere Insubres , Latii , novere potentes
 Virtutem Belgæ ; mirans te rector amavit
 Isaricus , laudisque tuæ convenit utroque
 Limite spectator , cum tu conversus in hostem
 Ænea lethifero rupisti pectora telo .
 Nec melior quisquam , nec te sollertior arma
 Induit , aut dubiæ parat agmina ferrea pugne .
 Sive acies libeat quadrato opponere versu ,
 Cornua seu lunæ fingentes stare carervas ,
 Seu longum proferre veru , seu forcipe crudo
 Hostiles captare manus , seu frangere late
 Nunc infesta juvet cuneato milite castra .
 Pugnandive moras , & idonea tempora quisquam
 Doctius haud novit : seu lecto ponere vallum
 Forte loco placeat , sive oppida credita muro

Obsidione terras, lætis Victoria pennis
 Advolat, atque tibi, Princeps Gulielme, triumphos
 Semper aget, nomenque tuum super astra locabit.
 Quid, quod & in tanto clementia Principe regnat,
 Magnanimusque regit justo moderamine terras?
 Nec majora Dei meritis jam dona rependunt,
 Nec te pacis opus fugiunt, Permessides unquam.
 Virgineumque tibi cum Phœbo Heliconæ sacrarunt.
 Fataque ne desint tantis felicia cœptis,
 Concilio delecta Deum, tibi regia conjux,
 Quam si Rhœus quondam vidisset in Ida
 Pastor, damnosæ frustra certamina formæ
 Numina movissent; etiam Minoida Bacchus
 Virgine conspectâ, non imposuisset olympo;
 Digna polo, Nymphæ, tandem Jove conjuge digna.
 Hic te jam noster labor advocat ô Dea cœlo
 Missa per Hesperias urbes, nomenque Latinum,
 Nil altum mens nostra tuo sine numine pandet.
 Haud equidem abnuerim magnum sub pectore numen
 Esse tibi, nec enim mortales, ô Dea, vultus
 Ipsa moves, neque vox humano personat ore:
 Cœlicolum tibi majestas, cui turea dona
 Fudissent, Niobe contempta, Ismenides aris.
 Nec tua sacrilego Mœneides orgia fastu
 Turbassent, Pentheusque furens; sævusque Lycaon
 Templis sponte tuos mediis celebrasset honores.
 An referam æthereos mores, mentemque pudicam,
 Materiam ingentem vatis? non prisca tulerunt
 Sæcula Penelopen majori laude ferendam,
 Alcestenque piam, neque pectora casta Dianæ.
 Adde quod & Ligurum late moderaberis orbem,
 Totque urbes, vivo totque oppida condita saxo,
 Ac tot adorantes populos, tibi serviet Alba,
 Anna, decus Latii magnos Pompea per annos,
 Structaque magnanimo Gulielmo mœnia quondam,
 Ferventes etiam latices, Tanarusque sonanti
 Flumine, & Eridanus Superum quoque sidera labens.
 Talibus ô felix virgo, felixque marito,

Cujus in amplexus properes jam læta petitos,
 Et placidos ineant canentia brachia nexus.
 Quales pampinæ ramoso palmite vites,
 Cum virides stringunt ulmos, illi oscula pulchro
 Ore feras, roseumque sinas decerpere florem,
 Et æris volucres thalamis versentur Amores:
 Ac tandem nati ludant ante ora parentum,
 Pollicitum Jovis imperio genus, unde nepotes
 Æternum post sceptrâ regent ingentia terris.
 Sed nostram Oeagrius cantus circumsonat aurem,
 Multifores buxique gemunt, & tympana grato
 Mixta sono; juvenesque parant, facilesque puellæ
 Jampridem choreas, placidosque per atria lusus.
 Quare ego nunc metas ponam, finemque loquendi
 Carminibus, sed fata mihi nisi tempora demant
 Ante diem, majore canam divina cothurno
 Facta Patrum, vestrumque feram super æthera nomen.

ANTONII CERRUTI

NOVARIENSIS.



*Ad Cardinalem Madruciam, omnia interire, sola
scripta æterna esse.*

Volvens mente, viro quam miserum inclito
 Sit, famam exiguo marmore claudere,
 Et corpus, monumenta
 Laudum nec dare posteris:
 Quod post funereos Phidiacum rogos
 Clarum posset opus vivere, dum mare,
 Tellus, sidera cœlum,
 Stabunt, credideram prius.

Verum istud moritur, tempus & omnia
Deformat: superest quod bene scribimus.

An nunc fortis Achilles,
Hectorque esset, & Ilium?

An nunc deiiceret fulmine Juppiter
E tellure fatos? an modo Cæsaris,
Augustique trophœa
Scirem, gestaue fortium?

Quidquid præteritum est, quod meminit bene,
Et scit posteritas, charta beatior
Auro contulit: una hæc
Nomen perpetuum dedit.

Reges intereunt, factaque splendida:
Cumque ipsis dominæ divitiæ, & domus
Excelsæ, percuntque
Gemmæ, & regia gloria.

Illos ni meritis ornet honoribus
Scriptorum calamus nobilium facer,
Nam Phœnix velut alma,
Vates funere nascitur.

Is gazas Arabum, & divitis Indiæ
Aspernatur opes, pluraque jugera,
Sed virtutes paratis
Gaudet posse frui bonis.

Musæ diffugiunt sollicitudines
Diras, atque forum, tristitiam, & metum;
Querunt otia grata,
Fontes, antra, lyram, nemus.

Hæ summis homines associant Deis.
Æternantque sacris versibus: atque ubi
Oderunt, maculosis
Culpis, & vitiis notant.

Vatum ergo in numerum me celebrem loca,
Ignavo a populo, vulgo & inutili
Secerne: ut volitem per
Docta ora auspiciis tuis.

Quanto amplis decoras me mage honoribus,
Tanto nobilior fit tua gloria:

Quum

Quum dicar tuus esse
Vates, tuque meum decus.

Ad Franciscum Olivium.

Musas amarit quisquis, & oderit
Auram profanæ plebis, & improbas
Senius voluptates domarit,
Sorte sua nihil inde quærens
Contentus; omni rege beatior
Vivet, minantis mox gladii necem,
Quem cura mordax terret: usque
Luce premit, premit usque nocte.
Namque in reducta valle quietius
Frutex resurgit, quam steriles jugis
Orni sub altis, quæ igne cadunt,
Et pluviis agitantur austris.
Nil est in auras quod citius leves
Quam spes potentum deferat Africus.
Te jure dixerim beatum,
Qui alta fugis, mediis & hæres.
Et quem Sororum grata sodalitas,
Suisque Phœbus cinxit amoribus:
Probi decoraruntque mores,
Sanguis & ingenuus parentum.

*Ad Gibertum Borromeum, ut parcis mensis vinum
apponat.*

Giberte cœnis, fundere parcius
Bacchum memento: fumere Thraciæ
De more multi audent: & inde
Sanguineas agitare rixas.
Centaurus ardens Hyppodamen mero
Tentavit acri diripere e sinu
Sponsi; furenti tanta inest vis
Claustra pudicitæ ut refringat.
Hac nocte quidam me prope perdidit,

Cognomen hausit qui merito a cadis :
 Fræna ore disrumpens procaci :
 Et validas lacerans habenas .

Quid non profatur longa bibacitas ?
 Quod non vaga audet turpe licentia ?
 Virtutis inscia , & bonæ artis ,
 Judicioquæ carens probato .

*Hortatur Bernardinum Maffæum otio litterarum
 vacare .*

Romulidum soboles Phœbi venerate , Pierique
 Chori sacerdos , & revincte lauro .
 Tu alter Alexandro Craterus : tu Ephestion es alter
 Dilectus : altum jam statum videto .
 Aligeræque Dææ memor utere linteis secundis ,
 Notisque , donec Dii sinunt benigni .
 Fortunæ volucris quis nescit vincula , atque figit
 Clavum : vocata dum potitur aura ?
 Servatam scopulis , trucibusque Aquilonibus , tenerent
 Dum rostra portus , & rates ligarent ,
 Vidi ego disiectam classem æquore se prope obruentem ,
 Superque merces , & viros natare .
 Abstinuit vexare casas humiles , & incolas fors ,
 Potentiorum limen occupavit .
 Atria dum fugio , dum mœnia , dum superba tecta ,
 Contentus ima sorte , cum beatis
 Vivo : vivit enim bene , qui nihil expetit superflui :
 Et frena ponit sensibus protervis .
 Quis desiderio auri est finis ; quis licentiam ipsam
 Compescit ? ut quidquid placet , sit æquum .
 Multa animus petulans , oculo mirante , concupiscit ,
 Multa auris audit , quæ parant ruinam .
 Pergama adhuc starent , vigeat vaga famani Lacenæ ; &
 Elisa Trojæ nesciens ruinam .
 Viveret Ætæs , si vellera fulva adhuc silerent :
 Faces puella nec trucidis fuissent .
 Quo plus possideas , hoc major erit tibi cupido ,
 Et tristior te cura macerabit .

Eripe te laqueis fallacibus, eripe aureis te
 Tectis: quieti confule, & salutem.
 Dulcius expromunt modulos in valle, vel patenti
 Campo volucres, quam reclusæ eburnis
 In caveis: regni rex anxius invidet colono,
 Servique vitam sæpius peroptat.
 Non ne eadem mensura uteri tibi, quæ mihi? & minor fors
 Nec excoquantur, nec placent palato
 Perfusi luxus epulæ, & pulmenta, noxia & sunt
 Quæ vina potas cum gelu nivoso.
 An non succurrit murium fabella prisca, quorum,
 Alter colonus ruris, alter urbis.
 Contenta est minimis rebus natura: gaudet ultro
 Quiete, & his quæ terra sponte gignit.
 Quid tibi divitiæ Cresi, aut Arabum, Indiæq; profunt
 Gazæ? repente cum cadant, ruantque.
 Funera Therfites post atra eadem tulit quæ Achilles
 Pugnax; in uno distat hic ab illo;
 Hic titulis clarus pulchris, & honoribus decorus,
 Infamis ille est vatis arte magni.
 O sacri vates Divorum cura, queis dedere
 Parcæ renasci post rogum beatis.
 Vos hominum calamo vitam, vos horridamque mortem
 Signatis, & vos quos placet sacratis.
 Non rude curatis vulgus, non improbas opes, nec
 Aurum, furentis nec minas Tyranni.
 Contenti levibus maluis tantum, otioque dulci
 Virtutis; ævum quæ per omne vivit.

Ad Petrum Albutium, ut Genium caret.

Attolle, circumvolveque lumina
 Campos patentes: & juga montium
 Candere spectabis, hybernis
 Et nivibus silvas reflexas.
 Ne parce lignis frigora dissipans
 Nutrire flammæ: languidioraque
 Deprome vina: amariores

Ante focum calices bibendo.
 Curas, & acres sollicitudines,
 Mœstum & timorem dissipat Evius,
 Formidat enses nec cruentos,
 Pauperiem metuit nec atram.
 Curare sanctum te Genium decet.
 Sensus graves è Socrate surpere,
 Causasque morborum latentes
 Scire nefas tibi, vel futura.
 Non si quod omnis turba scientium
 Scripsit legendo noveris, aspera
 Et firma cursu dimovere
 Fata suo poteris: nec herbis
 Daphnen redemit Phœbus ab inferis.
 Fatale rumpunt quum semel impiæ
 Stamen sorores, vis nec auri,
 Herculesve labor revincit.
 Quæcumque, præter quæ bene scribimus,
 Leves in auras, & celeres volant:
 Unum nec appones dierum,
 Sive gemas tibi, seu joceris.
 Recte beatum non ego dixerim,
 Quem semper urget dira cupiditas
 Auri: Deorum quique nescit
 Muneribus sapienter uti.

Invitat Annibalem Cruceium.

Si promissa facis, potesque luxu
 Convivam sine regio, Crucei,
 Te præstare, veni, est parata mensa.
 Et splendet vitreus calix, salinum,
 Et rebus mulier studet culinæ,
 Non ignara viris parare doctis.
 Quod si forte times Falerna deesse,
 Timorem abiicias, ferasque tecum.
 Jam veni, atque diutius morari
 Noli, reliquias velis nisi esse.

*Ad Nicolaum Siccum in Natali Divi
Martini.*

O Dulcis comitum cohors,
 Quorum ornat viridi tempora pampino
 Bacchus lætitiæ dator,
 Et quos Phœbus amat, Pieriæ & quibus
 Musæ ferta parant, dapes
 Instaurate hilares, Liberi & Orgia
 Patris, sollicitudines
 Mordaces vacuo pellite pectore.
 Nil durum aut resonet grave,
 Nil quod displiceat mentibus integris.
 Natalem colimus diem
 Martini celebris sæcula in omnia.
 Qui læta instituit sacra,
 Et jussit Bromii munere prolui
 Mentis, lætitiæ, & jocis,
 Et festis choreis, & variis modis
 Indulgere, & odoribus
 Fragrarè Assyriis. Sicce, sacri chori
 Fontisque Aonii decus,
 Perfecite atque potens Justitiæ, vices
 Exercens bene Cæsaris.
 Si magnis vacuus forte negotiis
 Convivam cuperem mihi
 Te præstare hodie: namque dies monet
 Vivamus genialiter.
 Franciscus veniat cultus Olivius,
 Nostri gloria sæculi,
 Seu Græco ore loqui, seu Latio velit,
 Seu scribat veteres sales,
 Mœstis seu fuerit præsidium reis.
 Vitæ dimidium tuæ,
 Et consors studii, tecum utinam facer
 Martiranus & afferet,
 Vir summa ingenii, & judicii gravis,

Condens pulchra poëmata.

Et posses pariter ducere Mirthium,
Tris putres ni oleat Deas,

Urbis perniciem, is pocula fumeret
Musarum ad numerum, & Deùm.

Non tardis pedibus dehinc sola pelleret
Ad mollem cytharæ sonum.

Fessusque ad cyathos sæpe recurreret,
Perfususque mero, senis

In morem Cæabri, carmina pectore
Eruçtaret inertia.

At tu magnanimi blandius Orphæo
Adventum caneres Ducis

Nostri, vel melius Mæonio patre,
Hymnosque æquoreis Deis,

Ventorumque patri, quo freta turbidis
Austris turgida sternerent.

Supplex hæc eadem concinerem Iyra
Lætus, tuque iidem ut fera

Tempestat ratibus parceret: inclito
Et Madrucio, honoribus

Æternis decorando, at potius tibi,
Vatum deinde choro, & mihi,

Qui sanctis pedibus demoror osculum.

Ad Augustum Abduam, de Calendis Augusti.

Primo quid faciam concinimus die

Augusti vacuus, cum quibus ignea,
Urit dum Procyon, tempora fallimus,
Auguste optime civiam.

Nostrorum aut foveas munificentia

Virtutum proceres, obsequio aut probos
Cives, aut populum consilio juves,
Rem servans bene publicam.

Dulci plena mero vasa relevimus,

Affervata prius ponere Cæsari
Victori, populis ante rebellibus

Victis, cum ducibus suis.

Nullus lætitiæ sitque hodie modus,
Vescemur dapibus nunc saliaribus
Unguento madidi, pocula grandia
Ponemusque capacia.

Nulla, Auguste, dies hac genialior,
Hæc antiqua mihi sint Dionysia,
Hac amplis tribus Augustus honoribus
Donatus patribus fuit.

Ter victor fuerat nobilis hoc die,
Augustusque vocatus patriæ pater,
Nec non frugiferis mensibus additus,
Et præsens habitus Deus.

Majus, nec melius nomen ab optimis
Antiquis patribus, sive Quiritibus
Augusto potuit dicier, hoc bona
Insunt omnia nomine.

Augustum ergo diem concelebrabimus,
Et Baccho, & Cerere, & pomifera Dea,
Et terræ uberibus fructibus optime
Ornatumque coloribus.

Tu si Auguste voles mecum hilarem diem
Totum in lætitia infumere maxima,
Accede: at melius consulo, pauperem
Me linque, atque Tabernam adi

Scribam Cæsaris, est clavus hic Infubrum,
Nec non in rapidis fluctibus anchora.

Cognatoque tibi sanguine jungitur.

Ad te aut si placet advoca

Illum. Hæc qui valeant festa decentius
Ornare, haud video, copia ubi omnium
Est rerum, este simul, maxima maximis
Semper conveniunt viris.

At mecum veniant Otto Lupanius
Vir magni ingenii, virque scientiæ,
Et doctus veniat deinde Cruceius
Vestræ urbis decor, & decus.

Quid stas; euge puer vina capacius

Effunde: & calices ponito maximos,
Et menſas nitidas inſtrue: odoribus
Fragretque Aſſyriis domus.

Sub Lauro viridi menſa locabitur,
Illic rivus aquæ murmure defilit
Leni, & terra nitet floribus, & fugit
Flagrantem umbra caniculam.

Natantes cyathos frigidulis ſuper
Concernamus aquis: Adria ſi volet
Cælebs eſſe, ſuis cum ſociis poteſt
Huc accedere candida.

Antiquos recitet peſtine eburneo
Ignes, furta ſimul dulcia, jurgia,
Et paces placidas, & querimonias,
Rivalesque nimis graves.

Hanc lucem variis perdere luſibus
Auguſtam ſtatui, auguſtior omnibus?
Quis ſcit forſan erit ſolibus; omnia
Auguſta ut veniant mihi.

*Ad Marcellum Palonium, de laudibus Alphonſi
Davalis, & Cæſaris.*

Marcelle, gentis gloria Martiæ,
Phœbi ſacerdos, Pierii & chori,
Qui crine Daphnes illigaris,
Impoſitum mihi onus reſume.

Secunda non ſunt lintribus æquora
Sævis procellis turgida, nec lyra
Molli canenda ſunt cruenta
Prælia, nec Davali triumpho.

Regum catenas quis bene ſcripſerit
Ticini ad undas; quis ſpolia, & duces
Captos; quis Alphonſum inter ignes
Impavidum, atque inimica tela?

Turcas ad Iſtri littora compulſit
Hic terga noſtro vertere militi
Aſtante Carolo, volucris

Ceu Borea quatiente nubes.

Regnum Tuneti Cæsar, & Africum
Fregit redemptis innumeris viris,
Hoc suggerente arma, hoc opemque,
Tela Jovi domina ut volucrum.

Hic & superbos exuviis ducum
Gallos repressit, diruit oopida,
Hic te jubente Cæsar alta
Pace Itali potiuntur, ad is
Tutela præsens, præsidium, & decus,
Fractique dudum spes populi Itali.
Donec nitescet clara nobis
Lux tua, nulla mala imminebunt.

Ultro metallo ferrea principi
Hæc. cedet ætas, ô patriæ pater,
Orbis pater, vincas & annos
Nestoris, & domineris orbi.

*Ad Paulum Jovium, ut gesta Cesaris scribas
& Madrucii.*

Ajunt paratos esse equos celerrimos,
Classesque magno Cæsari:
Hinc copias peditum, & equorum plurimas,
Spirantibus Zephyris novis,
Diros ad Istrum ut conterat, perdat necantes
Turcas, velut rapax avis
Lacerat columbas debiles, pacem & pio
Generi, ac Deûm firmet sacra.
O te beatum, sunt parata cui otia,
Licetque vitam ducere
Multis papiris, ô Jovi quales tibi
Agent nepotes gratias!
Ab his recludit me facultas debilis,
Lucens nec assidue focus.
Infervio dum purpurato principi,
Avita consumpsi bona,
Latetque me an sit fatum, & an princeps, scio
Non posse falli numina.

No-

Nobisque quoddam porregerint boni aut mali,
 Æquo ferendum animo venit,
 Nec quid noceat, aut conferat, prævidimus,
 Norunt bene hi quibus homo eget.
 Et quo vocarint nos, sequendum est illico,
 Virrute semper prævia.
 Fortuna fallax quæ negaverat prius,
 Post hæc benigna offert manu.
 Nec semper urgent navium fluctus latus,
 Nec semper illices Noti.
 Unde intimas curas, dolores, & graves
 Lenire lusibus juvat:
 Obliviones lividas nec carpere
 Nomen sinamus tam fugax.
 Iniqua tempora ego canam, tu Cæsarem
 Inscribe chartis candidis.
 Neque hic marinæ nobili Thetidis, neque
 Cedit Philippo filio.
 Apollinari ornandus estque laurea,
 Martisque curru concito.
 Intexe chartis sceptrum quæ mox proferet
 Ad usque terras ultimas.
 Intexe facta clara Madrucci pios
 Vates juvantem largiter.
 Hos hic remotis evocat de partibus,
 Æternæ ut gesta inclita.
 Quid gloriosius viro evenit bono,
 Quàm nasci in ipso funere?
 Hac lege Mecænas, hoc Augustus pater
 Arces petivit ordine: ubi
 Æternus, optimusque vivet sæcula
 Futura vatum munere.

Ad Belisarium Marium:

Mari meorum prime sodalium,
 Fortuna grato quem gremio fovet
 Multo decorans munere lubrica,

Si te doloris participem facit
 Paulisper atri, ne doleas nimis.
 Prudentis inquam rebus in arduis
 Servare se se est, non secus ac bonis.
 Laudatur acris militiæ ferox
 Qui plura miles vulnera pertulit :
 Quicumque primo cesserit impetu,
 Et contra inertī torpet in otio,
 Apollinari non bene laurea
 Dignus, datur victoribus inclitis.
 Tentavit acri te patientia?
 Magnus, sed ultra quam decuit, sua
 Sit pace dictum, absumere, proh! fame
 Viros sacratos ex petulantia.
 Fecit quid ultra sacrilegus Nero?
 Sed non querendi sat locus hic mihi,
 Quando malignis principibus licet,
 Quidquid protervi est & facere, & loqui.

*Ad Jacobum Mariam Salam ut, legibus relictis,
 Musis vacet.*

Sirius agellos urit insanus, siti
 Os mater aperit, ut Datan
 Aut Curtium voret, hunc pium, & illum reum.
 Jam pastor umbras quæritat,
 Deserto aratro & bos fatigatus latet
 Inter virentes arbores.
 Nascentis ad fontes aquæ vagæ melos
 Promunt vicissim dulce aves.
 Tu ad sævientes sævior leges ruis
 Solo strepentes in foro.
 Et jura das genti insciæ, & recti rudi,
 Quodque honesti odit ferox.
 Magis chelys te, & barbitos, magis chorus
 Sacer fororum te decet,
 Quam vulgus insanum trahens te ad impias
 Lites fori usque striduli.

Fures minores comprimunt magni, heu pudor!
 Aurum regat quod omnia.
 Non sunt apud nos, ast apud Stygias aquas
 Sunt constituti iudices:
 Corruptit auri nullum ubi vis iudicem,
 Nullum favor vultum occupat.
 Sic laude summa dixerim dignum virum,
 Qui spernit auram vulgi, opes
 Et qui vocatas omne per nefas fugit,
 Horretque morte super sceus.

Ad Philippum Castilioneum.

Philippe, egregium genusque clarum,
 A magnis atavis sarum, & probatis,
 Unus e patribus sacri Senatus,
 Quo prudentior, æquiorve nullus,
 Et quem Castalides amant sorores,
 Cerrutus deciesque, milliesque
 Te salvere jubet, bene & valere,
 Et longam minime gravem senectam
 A Diis sæpe tibi rogat benignis,
 Probos quo valeas fovere, nondum
 Languor tabificus reliquit illum,
 Strato corripuit minusque ab ipso
 Fractus languida membra, sed nec ire
 Is rectis pedibus potest, bacillus
 Ni subsit: tamen hunc superbus hostis,
 Hostis barbarus impiusque, truxque
 Urget, sollicitat, gravat, ut addat
 Morbo sollicitudines. Philippe,
 Illam barbariem efferam premas, ni
 Ægrotum exanimabit, idque vellet
 Ne pœnas veterum daret malorum.
 Fulso præsidio tuo, Philippe,
 Non mi barbaries nocebit ulla,
 Nec fortes cunei hostium potentum.
 Contundam valida manu sed illos,
 Fortis justitiæ, probæque vitæ.

• Quam

Quam primum potero meis ut ante
 Non lassus pedibus venire scito
 Ad te perceleri volabo passu
 Sis nostri interca memor, Philippe.

*Ad Julium Borromeum Philosophiam legibus
 præferendam esse.*

Juli, fanguine nobilis
 Infubrum inferior nemine civium,
 Qui doctæ latebras amas
 Naturæ, unde Anyti sis melior reo
 Acri judicio gravis,
 Et noscas, dominos quis deceat status,
 Quis servos: volucrum rotam
 Fortunæ ut teneas clavo adamantino.
 Quæ & risum moveant scias,
 Quæve iram pariant. Ridiculus ne erit
 Qui neglexerit ordinem
 Vitæ compositæ? quique viam, & modum
 Scandendi ad superas domos?
 Convertatque animum ad litibus impium,
 Atque infame forum? aut iter
 Qui tutum medio cœperat in die,
 Per noctem male differat
 Tetram, per gladios, faxa, latrunculos?
 Nam ceu tellus ab æthere
 Distat, ceuque dies sidere clarior
 Cæca a nocte, ita prævalet
 Virtutum alma parens artibus omnibus.
 Et spernit fera virgiiis
 Semper plena malis, plenaque litibus,
 Et diris querimoniis.
 Nec laudare virum sat potero, Atticas
 Noctes qui bene scripserat,
 Jus dicens populo, judicis arduum, &
 Nodosum officium cavens.
 Fasces deposuit sponte sua citus,

Tanquam si ingenui viri
Munus cerneret hoc non fore nobile.

Ad Joannem Varabonam.

Oblivioso in flumine mergier,
Daque ventis in rapidis putes
Tuos labores, ingenique
Possse mori monumenta magni.
Tu jura nosti civica, & altera
Plus æquitatis quæ sapiunt piæ,
Et dicis illa, æquumque servas,
Lance pari trutinam tenendo.
Tu magne ad oras natus Iberiæ
Patrum sedes amplissimo in ordine,
Honoribus perfunctus ante
In sagulo, inque toga superbis.
Non te tyranni terribiles minæ
Terrent, nec auri dira cupiditas,
Non dignitates te peramplæ a
Justitia remonent potenti.
Et castus ornat te pudor, & fides
Intacta, nullo crimine perdita
Te vita, te æternatque virtus,
Claraque nobilitas parentum.

Ad Bernardum Capellum.

Febri laborans assidua, & gravi
Domesticarum sollicitudine
Rerum gravatus, vix, Capelle,
Possum animum adiicere ad Camœnas:
Nonas aduffit jam segetes canis
Æstivus. ex quo Pontificis nepos
Me excepit ad graves labores
In numero egregio fuorum.
Terræ, atque ponti nulla pericula
Me terruerunt, sive per algidas

Alpes iter tenere, sive
 Per loca contigit æstuosa .
 Nec ulla ab isto sunt data præmia
 Longo labori, viximus iniuper
 Et militavimus paterno
 Ære, atavum bona dissipando .
 Æsopus hujus causa mali intimi,
 Qui absorbet heu cum fratribus omnia
 Tradenda nobis . est bonorum
 Totius iste domus vorator .
 Ingrata jam jam limina sunt mihi
 Linquenda, vastam haud ferre voraginem
 Possum, nec hujus tam rapacem
 Ingluviem insatiabilem atram .

Ad Franciscum Aroneum, ut studiis intendat.

Francisce, ingenii tui labores
 Legi cum egregio tuo parente,
 Quem vincas probitate te precamur.
 Quod nos ad Bromii sacros liquores
 Invites placet, interim vacato,
 Ut recte valeas, amesque matrem.
 Nec non lacteolam tuam sororem.
 Superque omnia sis memor studere.
 Anni prætereunt citi, & volucres,
 Qui numquam redeunt, velut fluentes
 Aquæ, te moveant pudor, dolorque
 Venturæ tremulæ, & pigræ senectæ.

*Ad Joannem Baptistam Plotium, de libello
 Gauderii Merula.*

O tutor antri Pierii bone,
 Legumque, Ploti, candide & integer
 Interpres, auri quem cupido
 Nulla movet, neque prava reges
 Terrent jubentes, nobilitas tua

Voces canoro dum Merulæ elicit
 Ab ore, virtutes tuorum
 Atque tuas, celebratque honores:
 Cui debeat plus, Merulæ an tibi,
 Non est mecum nunc dicere, candidi
 Lector libelli dicat,isque
 Innumeras det utrique laudes.
 Jocos leges hic, & veteres sales,
 Hic & lepores, atque facetias,
 Confurgat ore seu jocosus,
 Seu rigido petat ille dentē:
 Furit protervus dum Procyon, trucis
 Et dum Leonis sidus amat dies
 Siccos, in umbrosa rejecto
 Valle jugo latet & juvencus.
 Fastidiosam mitte clientulūm
 Turbam, & severis te eripe legibus:
 Horasque falle æstatis igneæ
 Hoc lepido, hoc celebri libello.

Ad Andream Alciatum.

Cantare pridem pectine eburneo
 Nec non ad arces tollere lucidas
 Paraveram te carmine mollius
 Æoliæ fidibus puellæ:
 Te quando pernix Enceladi soror
 Legi a nivosis alpibus, & Scytis,
 Niloque, Iberoque, ac Rhodano, & Pado
 Dixit, & Oceano reclusis.
 Obscura legum ænigmata solvere, &
 Tenere primum te locum in ordine,
 Et te priorem cædere nemini
 Quot fuerant, & erunt probati.
 Nos unde pecten ponimus, & tuas
 Laudes tacemus percelebres, levis
 Culpa timentes deterere ingeni,
 Grandia ne attenuem pusillis.

*Ad Musas de Cosmo Mediceo Hetruria
Principe.*

Cosmum Pierides tollite honoribus
Divinis Medicen, egregium genus
A magnis Ducibus progenitum, & Deis,
Vestro altum ubere lacteo.

Nulli æque celebrant vos bene principes,
Cultores melius nec gremio fovent
Vestros, ut Medices nunc domus optima
Vatum mater, alumnaque.

Cunctis verba loquor cognita gentibus,
Nam debere magis nostra fatebitur
Ætas nulli hominum, nec meritis pares
Laudum reddere gratias.

Artes, ingenia, & præcipuos viros
Gens hæc muneribus grandibus excitans
Allexit, pretiis undique maximis
Collegitque bonos libros:

Hæc ut nostra negent cedere sæcula
Priscis cloquio, carmine, moribus,
Mœcenate sacris vatibus altero
Cosmo Principe Hetruriæ,

Quo regnante virum secta scientium,
Quæ dudum incoluit Palladis inclitam
Urbem, transtulit ad tecta Fluentiæ
Regis doctam Academiam.

Unde is Socraticis pectora sensibus
Explevit, superum justitiam colens
Sic servat populum, ut pœna comes malo,
Juncta & præmia sint bono.

Hic mores hominum perdidit improbos,
Norit quisque suo ut munere fungier,
Virtutesque sequi, persimilem sibi
Dant casti sobolem tori.

Quid quam sit memorem dulcis amiculis?
Quid quam sit sapiens? quid memorem fidem

Constantemque animum, & munificentiam? huic
Nutrix quando benignitas.

Quis nunc respuerit degere Principe
Sub tanto? melius quo dare munera
Novit nemo bonus, nulla equidem dies
Majorem genuit ducem.

Sub quo Brutus amat, vel rigidus Cato,
Sub quo Fabricius vivere nobilis,
Et parere piis imperiis viri,
Præceptisque salubribus.

O quanto uberior Martia civitas
Esses Imperio, rebus honoribus,
Claris usque viris, si hætenus integri
Servassent Medicei tuam

Gentem Pontifices, sæcula sub quibus
Ter felicia erant, sub quibus aurea
Tellus quæque tulit, largaque præmia
Virtuti data nobili!

Tunc vates poterant carmina condere,
Et filo tenui pulchra poemata
Tunc deducere, erat plus olei decens
Tunc infumere, quam meri.

Sub diro heu miseri fidere nunc fumus,
Ingratoque sati tempore, quo magis
Auri dira fames, bellaque, quam bonæ
Artes, quam studium, viget.

Felices populi regis Hetruriæ,
Quorum fit pretiis ingenium acrius.
At nos hîc operam, nos oleum simul
Longo tempore perdimus.

Felices igitur vivite, prospera
Queis fortuna dedit magnanimum ducem,
Heroasque, atavos, factaque splendida
Cosmi tollite laudibus.



Ad Joannem Angelum Mediceum Cardinalem.

Quod te promeritis ornat honoribus
 Paulus, quod decorat murice nobilem
 Virtutem, superis reddere gratias
 Ingentes teneor Deis.

Namque est officium principis optimi,
 Et facti memoris, mi Angele, præmia
 Præstare eximiis digna laboribus,
 Atque extollere gloria.

Quamquam hæc jure tibi proveniant bona,
 Grates ipse tamen solvere debitas
 Debes cœlitibus, maxima queis fuit
 Semper cura tui. eja age

Mecum exolve Deis vota potentibus.
 Taurorum feries tu tria corpora,
 Nos hædum tenerum lætitiæ Deo, &
 Agnam candidam Apollini.

*Ad Cornelium Mussum Episcopum Butuntinum,
 in morte Jacobi Rosæi alumni,
 consolatio.*

Non finem lacrimis, questibus & modum,
 Corneli, facies, seu zephyri tepent,
 Seu flavent segetes, seu gravidæ rubent
 Uvæ seu glacies riget?

Mutant quæque vices, nec terere igni
 Currus astra eadem clara levis rota
 Phœbi semper amat: nam modo contrahit
 Noctes, & modo protrahit,

Tu semper Rosæi morte doloribus
 Angis plena sacris pectora sensibus,
 Qui errantem revocas regis Olympici
 Gentem a limite devio

Ad fontes liquidos, lætaque pascua,
 Tu infirmo pecori das medicamina,

Sanans quod fuerat corpore morbidum,
Lacte, & vellere ut affluat.

Tu post te populos eloquio trahis
Dulci: dum loqueris blandius Orpheo
Illis verba Dei, verba salubria,
Suavi plenaque nectare.

Tu lumen rutilans in medio atrii,
Tu montis posita in vertice civitas,
Tu sal terræ avidum, tu speculum nitens,
Exemplarque viri integri.

Errantes igitur cum bene corrigas,
Quare tam temere is te prope perditum?
Fato quum sapiens insuperabili
Cedat, seque Deo offerat.

Non plus mater amat, nec pater unicum
Gnatum, quam Roseus te tuus, asseris.
A quo quidquid habes (post superos) boni
Accepisse fatebere.

An non ille Deo reddere debitum
Cogebatur? & hoc expedit omnibus.
An non excoluit ter bene vineam, &
Fructum tempore reddidit?

Correptus fuerat febribus in patrum
Sancto concilio, num melius mori
Usquam quis poterat? quam Dei in agmine
Decertando fideliter.

Debemus merito hunc dicere martyrem,
Et lauro viridi tempora cingere,
Nam victoria ubi est gloria proxima est,
Et laudi sua præmia,

Victorem lacrimis non ego prosequi
Te censebo, magis lætitiæ dies
Sit dicenda, solum liquit, & æthera
Ascendit super igneum.

Terræ deposuit si spoliū grave,
Exultat niveo tegmine spiritus
Inter cœlicolas cantica concinens,
Laudesque æthereo Deo.

O felix obitus, seu mage vivere,
 Sic illi melius dicere congruit:
 Finis parca bonis carceris horridi,
 Orcus luridus est reis.

Quem tu Muffe gemis furripuit pater
 Ad fe Antenoraë gentis, olympico
 Regique exhibuit, militiæ sacræ
 Digna ut præmia fumeret.

Hoc fe exercuerat sub duce nobili,
 At nunc emeriti munere militis
 Lætus perfruitur, sæcula que omnia
 Vivet, nec cadet amplius.

Sub nullo Rofeus degere principe
 Majori potuit, Divus hic evocat
 Ex umbris animas ad fua corpora,
 Cæcis reftituit diem.

Atque obfefa malo pectora fpiritu
 In regis fuperum nomine liberat,
 Amiffa hic reperit, furraque detegit,
 Sunt fani quoque languidi.

Antoni, alme pater funde pias preces,
 Æternam Rofeo det requiem Deus,
 Muffumque incolumem in fæcula protegat,
 Et det pace frui bona.

Ad Nicolaum Pirenejum Epifcopum Atrebatenfium.

Tuis volenti incumbere laudibus
 Hæfere voces ter mihi faucibus,
 Ceu fi luporum me priores
 Vidiffent oculi truces.

Ter plectra fumpfi, ter mihi Cynthius
 Pulcher fonoras corripuit fides,
 Aquas mari ne ait profundo,
 Nec fruges Cereri dato.

Sacro forores hunc gremio foment,
 Nos fronde amata tempora cinximus,
 Vir eft pugil, equefque

Naturæ inspicit abdita.

Si se parumper rebus ab arduis
 Diuellat, almo & vivat in otio,
 Felicius nemo per ævum
 Carmen condidit aureum.

Ascivit Atlas hunc socium pater
 Magno labori Cæsaris arduas
 Ad res gerendas, imperique
 Pertractanda negotia.

Pleastro unde parcas, mollibus & modis;
 Hic facta patris splendida, tum sua,
 Solusque pugnas, & triumphos
 Dicit Cæsaris inclitos,

*Ad Guidum Ubaldum in morte Franc. Mariæ
 Umbrorum Ducis.*

Magni parentis principis Umbriæ,
 Ubalde, mortem flendo rigas genas
 Fletu purpureas, polumque mœstis
 Imples questibus igneum.

Quæ fata volvunt corrigere est nefas.
 Fatale rumpit quum semel Atropos
 Stamen, nox tibi proh una dormienda,
 Seu rex, seu fueris cliens.

Coccyti ubi atrum portitor horridus
 Transvexit amnem nos, querimoniis
 Nullis, nec pretio præcantis ullo,
 Diris flectitur, aut minis.

Beatus arces possidet igneas
 Manu solutus spiritus impia
 Parcarum, fruiturque pace Divum,
 Quærit quam sapiens sibi.

Quid lumina urges? funere nascitur
 Vitæ integer vir, justitia, & fides
 Cui semper comites, potensque virtus,
 Quem fecit superis parem.

Mavortis an quem lucida gloria

Illustrat, amplæque exuviæ ducum,
 Tot regumque potentium triumphum
 Ornant, posse mori putas?

Occurreret umbræ Scipio & inclitus
 Marcellus, occurreret Fabius gravis
 Cunctator, medium virum tenebunt
 Inviſtum hunc pede, & hunc equo.

Vexare noli ergo cineres sacros.

Inter beatos spiritus ordines
 Vivit, perpetuoque vivet ejus,
 Vatum munere, gloria.

Ad Federicum Badoeram.

O magno patre, Badoere, major,
 Majorem licet hæc tuo parente
 Urbs non progeneravit alma, sive
 Damnatis capite is patrocinetur,
 Seu classi imperitet, ferocibusque
 Equis, & peditum feris catervis,
 Sive rem bene publicam gubernet:
 Seu sit regibus inclitis disertus
 Orator, Federice, major ipso
 Es tamen patre, cujus usque laudes
 Tentent dicere si mæx Camœnæ,
 Diem nox adimet mihi atra longum.
 Effet copia si mihi illa fandi
 Virtutes super æthera alta notas
 Efferre unde tuas, tuosque honores,
 Major Virgilio, bonoque Homero
 Essem, omnes superarem & arte Grajos,
 Et cultu Latios pios poëtas.
 Quando ergo minor omnibus poëtis
 Sum, & tu major es omnibus disertis
 Viris; versu humili moror quid ultra
 Laudes egregias tuas canendo?
 Illas quin potius tibi relinquo.
 Quo non quis melius potest futurum

In ævum dare jam perenniore
 Penna. scribe igitur tuos honores
 Scribendo eximios avos, & urbis
 Laudes, nam voluisse mi fatis sit,
 Et tentasse quod ante nullus ausit.

Ad Petrum Aretinum.

Dispeream, Arretine pater, ni plurimus ori
 Cachinnus est meo indecens:
 Audio cum quosdam de te non recta loquentes,
 Ut obloquentes garriant.
 Hic artem, ille stylum incusat, quidam aspera verba,
 Mordacitatem plurimi.
 Magnanimosque duces damnant, regesque potentes,
 Tibi afferant quod munera.
 Contenti minime his, sacros lacerare poëtas
 Audent, ament te ut maxume.
 Invidia id faciunt fracti, quia carmina eorum
 Lardum, atque pisces contegunt.
 Et tua scripta vident volitare per ora diserta,
 Ornari & amplis præmiis.
 Aut sapiunt soli, aut soli mente laborant
 Levi, minoresque capitis.
 Quem probat invictus Cæsar, nec munera defunt
 Regum, ducum, atque civium,
 Damnabunt isti balatrones, turba canina,
 Jejuna, inops, famelica?
 Si sine judicio sumus omnes, optimus ille
 Rex Umbriæ multum sapit,
 Qui te magnificis donis exornat. amicum
 Appellat intimum, optimum:
 Urbs quoque te Venetum tenet, & defendit ab acri
 Morsu Leonum fortium.
 Jure igitur nostro multum ori risus abundat,
 Et rideo horum inscitiam.
 At tu permittas pecudes balare: rudentis
 Vocemque Afelli obaudias.

Lætus vive igitur, vitiorum acerrimus hostis,
Virtutum amicus optimus.

Ad Lazarum Bonamicum Liber.

Accessi ad tripodas, Lazare, Apollinis
Quærens cui melius me modo crederem,
Qui detergeret a me
(Si quæ essent) maculas putres .
Antrum concutiens sparsa comam exiit
Vates, hæc referens, ad bonum amicum adi.
Nil ultra orsa Sacerdos,
Acceptit se in penetralia.
Omnes absque mora quærito, qui mihi
Coniuncti fuerant vinculo amicitiae;
Et quos fama probarat
Doctos Italico in solo.
Una omnes iterum voce ad Apollinem
Me mittunt, adeo, sciscitor, illa ea
Dixit verba Sacerdos.
Dixi, adii, addidit,
Bassanum Bonamicum i pete Lazarum,
Is Grajum, & Latiorum facile omnium
Est doctissimus, unum
Illum Delius eligit.
Vates subtrahit: jam, bone Lazare,
Edoctus venio magno ab Apolline
Ad te, ut iussa capessas
Fulgentis Lytiæ Dei.
Si quo sim genitus vis patre noscere,
Cerrutus pater est, littora vitrei
Ad Ticini oriundus
Sum, is nomen dedit oppido.
Verbanusque lacus desinit esse ibi,
Et Ticinus amat dici, oppidum est
Antiquum. hocque ruinae
Demonstrant memorabiles.
Nusquam aër poterit purior aspici,

Sunt

Sunt glebæ nitidis frugibus uberes,

Montes vitibus apti.

Fontes undique defluunt.

Venanti pariter non melior locus,

Sed nec crede mihi est aucupio aptior.

Plenæ & piscibus undæ.

Tali in me genuit loco.

Sunt alii comites, parturit cavo

Quos ære, at retinet compede ne exeant.

Me dulci e cythara ortum

In lucem dare cogitat.

Dignum luce igitur, Lazare, duxeris

Si me, quum legere absolveris, approbes:

Sin quæ digna lituris

Tetris invenis, oblinas.

JO: CHRYSOSTOMI.



Ad Isabellam.


TRes vidisse Deas fertur Priamejus heros:

In te una video, tres, Isabella, Deas.

Judice me, cedunt omnes tibi: cedit honore,

Ingenio, forma, Juno, Minerva, Venus.





HERCULIS CIOFANI SULMONENSIS.



De Fœdere inito adversus Turcam.

PHœbus ut exoriens fugientis lumina lunæ
Opprimet, & pleno fulgidus orbe micat:
Sic Turcæ immanis vires Christusque, Piusque
Opprimet, atque heros Austrius, atque Leo.

De Joanne Austrio.

Quod numquam potuit multos prestare per annos
Carolus, en natus præstitit ante diem.

De eodem.

Non potuit Cæsar Turcarum attingere classem,
Attigit hanc natus, nec mora perdomuit.

Ad Marcum Quirinum Venetum.

Marce, decus patriæ, tutela & firma bonorum,
Sarmaticique soli terror, & hostis atrox,
Insignem titulum, quem jam non sorte tulisti,
Viribus ast validis, intrepidoque animo,
I sequere, & reliquos, qui sunt in fœdere sancto,
Junge tibi, pœnas impius ille dabit.

De

De Venetis & Turca .

Sopierat somnus fulvum, fortemque Leonem,
Hunc canis obtundit, contudit ipse canem.

De M. Antonio Columna, qui devictis Turcis triumphans Romam ingreditur .

Astiaco fuerat clarus certamine Cæsar,
Hostes inque fugam verterat ille suos.
Clarius est Marcus, validos qui contudit hostes
Intrepide, & victor nunc redit in patriam.
Est quod Roma tuo multum grateris alumno,
Antiquos titulos reddidit ipse tibi.

De eodem ad Romam .

Hic prope Naupactum Turcarum classe subacta,
Innumeros ducit Martia Roma Getas;
Est ubi pugnatum collatis undique signis,
Fortius at nostri conseruere manus:
Hinc, tua quæ quondam fuerat. victoria parta est,
Rursum Tarpejus mons tua facta videt.

Ad Proceres Europæ ut adversus Turcas unanimes bellum gerant .

Hesperii Proceres in Turcas bella movete:
Tollite nunc animos, & maxima facta parentum
Vestrorum spectate: domo nunc pellite gentes
Immanes, nostra toties quæ cæde tumentes
Æquora lustrarunt, spernentes agmina Christi,
Ite simul reparate sacri monumenta sepulchri,
Prodiit unde salus populo expectata fidei.
Ipse suam nunc præbet iter servator ad urbem,
Regnaque Byzanti, longum regnata per ævum
A proavis nostris, ditioni jungite vestræ.
Omnia quid statis fidei vos lumina nostræ?

Nem-

Nempe reversurum ad nihilum (Sotere probante,
 Æquora qui mulcet, cœlum, terrarumque gubernat)
 Quod fuit ante nihil. Quare vos pergite læti
 Perdere nunc hostes, veteresque referte triumphos.

JOSEPHI MARIÆ CIRIÆ

CREMONENSIS.



In Jacobum Sadoletum Cardinalem.

Quid, Sadolete, juvat sacratæ purpura frontis,
 Serto & Apollineo quid redimita coma?
 Mors si pro lauru dedit insidiosa cupressum,
 Ostriferum textit vestis & atra caput?
 Sed quod sustulerat tibi jam cum fœnore reddit
 Unius invictæ mentis ad imperium.

De Philippo Comminez Argentoni Domino.

Romuleis Taciti fastis pulcherrima rerum
 Conspicitur series, eloquiumque grave.
 Ast tua si monumenta lego, mens illicet ardet,
 Rebus & eximiis capta repente stupet.
 Argentone magis riguo decorentur, an auro,
 Ambigit, ast auro plus decorata videt.
 Sic est, Argentone, tuis argentea libris
 Copia, at aurifero pectore tota fluit.

*De Joanne Georgio Trissino in Museo Historico
 Jo: Imperialis laudato.*

Fama centenis animata linguis
 Aureo pergat resonare cornu
 Trissini buito super, & jacentes
 Excitet umbras.

Fas ubi tristi gemuere luctu

Æra: jam partum recinant trophæum

Faultitas, & pax & amica festo

Gloria plausu.

Heu! nimis sæva truculenta falce

Perculit doctos Libitina manes,

Nobiles & jam satis occupavit

Urna triumphos.

Heu! truci quantum furibunda nimbe

Dira fatorum fremuit procella,

Luce jam pulsus rutillet serena

Nubibus æther,

Quid minax frustrâ tonat ira lethi?

Stravit heroem tumulo, sed orbe

Fama decantat, meritoque ovantem

Reddit olympo.

Ingeni lumen, nitor o decore

Urbis, & rarum jubar, o tuorum

Civium claris, patriæque gestis

Inclita lampas.

Vena virtutum, elogiique torrens

Plenior vasto exuberante Nilo

Non sinè argenti liquidi susurro

Qui petis aures.

Æqua te Romæ stupuere rostra

Tullii cum alto loquereris ore,

Trissine, & tota gradereris urbe

Celsior astris.

Summa te regum coluere sceptrâ

Te mytræ insignes, nitidique fasces,

Et togæ, ut pulchrum diadema crines

Cinxit honestos.

Inter & laudes, solidosque plausus,

Te favor vexit genialis auræ,

Et triumphantem populi per ora

Te jubet ire.

Eja sublimes perarato campos,

Trissine, illustri redimite lauru:

Surge, quid vilis cinis implicatos

Destinet artus?

Ito; quid languor gravis otiosas

Comprimit plantas, animosque necit;

Dedecet pigro generosa saxo

Membra cubare.

Icari dorso cecidere pennæ,

Quas calor Phœbi nimius perussit

Mersus in pontum, Icarioque fecit

Nomina ponto.

Pegaso filius domitor chimææ

Desuper celsas equitare nubes:

Ima sed turpi premit arva lapsu

Dum petit astra.

Tu decor Pindi, atque Heliconis undæ

Alta Parnassi juga transvolabis:

Demigra, quò te ciet auspicato

Fama volatu.

Non tibi casus timor expeditas

Compede injecta cohibebit alas:

Sospitem sed te Imperialis axe

Penna locabit.

*De Cornelio Musso Episcopo Bitontino, ab eodem
Imperiali laudato.*

Cum olim, Musse, tuis resonarent pulpita labris

Pectora trajiceres fulmineaque face:

Ferrea, & auriferis religares corda catenis,

Eloquium gentes obstupere tuum;

Ingenium Imperiale tuo dat majus honori

Nunc decus, & fari post quoque fata jubet.

De Joanne Baptista Porta.

Te decuit varias hominum spectare figuras

Curaque de facie noscere quemque fuit.

Sed tua jam facies ferali pallida busto

Clauditur æthereas non subitura fores.

Tu sis Porta licet: numquam tamen astra patebunt,
Imperiale decus ni tibi pandat iter.

De Marco Antonio Majorago.

Torrenti similis locuples opulencia linguæ
Vifa simul docto cum Cicerone loqui.
Ecce sed exanguis tumulo liquor aureus aret,
Cognatum ad cinerem, venaque prima redit.
Nullaque facundis superesset gratia labris,
Ni modò facundus te cecinisset olor,

De Joanne Baptista Guarino.

Ergo, tu Guarine, jaces decor inclite vatum,
Atque Aganippæi gloria rara jugi?
Quid fidi cecinisse juvat pastoris amores,
Comptum & Apollinea fronde tulisse caput?
Si extinctus palles fatali fulmine lethi,
De claro & superest pectore sola cinis?
Surge tamen cœno, in cœlum Imperialis arundo
Te vehit, & superùm tecta subire jubet.
Nil valet imperium, & jus intractabile Mortis.
Imperiale pati cogitur ipsa jugum.

De Torquato Tasso.

Abscede vulgus: nil trivialibus
Miscere plectris nunc libet: aurea
Sed fila sublimis Camœnæ
Pindarica stimulare buxo.
Te claram amœnæ lampada Phocidos,
Torquate, dicam: te radiantibus
Sertis coronarum reclivem
Non humili memorabo cantu.
Sic vota currunt: quis mihi grandia
Nunc vate tanto carmina deneget,
Si corda Phœbei furoris
Æstibus incaluere miris?
Jam jamque fanas in furias ruit

Mens providenti fervida pectore:
 Dum busta Torquati jacentis
 Me juberet imperialis ardor
 Inusitato pandere barbito:
 Magnique vatis me cineres juvat
 Situque torpentes, geluque
 Organicis animare flammis.
 Torquate, quæ te segnitie gravat
 Fœdoque cogit serpere pulvere?
 Exurge cæno, fordidoque
 Mitius irradiantis astrum
 Tuere cœli: mœnia patriæ
 Locata clivi vertice floridi,
 Rupesque cultas, & feracem
 Planitiem locupletis agri:
 Hortosque lætos, & viridaria,
 Domosque celsis molibus inclitas:
 Tecumque deducas catervam
 Castaliam, indigenasque Pindi
 Beatiorum per juga montium:
 Phœbus relietâ & sede domesticâ,
 Clivoque Parnassi bisulco
 Adsit, Apollineusque cætus,
 Una cavatis vallibus aureæ
 Laceffat Echo vocis imagine:
 Nunc collis excelsi cacumen,
 Nunc humiles feriatque campos.
 Sed quid decoræ spicula gratiæ
 Fulgore miro nunc mea lumina
 Defixa percellunt: sereni &
 Egregius micat oris ardor;
 Verique pugnax nobilis indoles,
 Germana virtus, & decor aureus
 Mentis venustæ, fœderati
 Pervigil ingeniique candor?
 Quid Tassi Etruscis metra leporibus
 Permixa vernis floribus inferam:
 Condita dulci verba rythmo,

406 JOSEPHI MARIÆ CIRIÆ.

Et numeris modulata magnis.

Quid sacra Christi busta tyrannide
Subducta Tracis: dira Othomanicæ &
In bella Gothfrido irruente
Cornua dilacerata Lunæ?

Sed jam diferti fulmina gutturis
Vibrata, Mutæ desidis arguunt
Cantus, verecundisque functum
Barbiton increpuere nervis.


Mens indecoris acta furoribus
Quò nunc oberras? desine pervicax
Referre Torquati eminentis
Gesta gravi recinenda plectro!


De Philippo Fabro.

Ardua cum summi penetres arcana Tonantis,
Ingenio subeas, fidereasque domos:
Ipse tuæ Scotus miratur mentis acumen,
Te Sophus argutus, Theologusque stupet.
Docta theatralis miratur & exedra circi,
Palladiique simul gymnica arena fori.
Jure Faventinum venerentur quæque Lycæa;
Namque novus celebri promicat arte Faber.

De Ludovico Septala ab Imperiali laudato.


Quid juvat eximia præcellere in arte medendi,
Septalic, in tumulto si tua membra cubant?
Torpentes animos, & inertia corpora tolle:
Languor abit, rediens ossa subitque vigor:
Hippolytum Phœbo genitus revocavit ad auras,
Te medici calamus sidera ad alta vocat.





ANDREÆ CLOCCI

VERONENSIS.



De Joanne Baptista Imperiali.

Imperialis erat cognomine, corpora letho
 Eripiens, fatis imperat ille feris.
 Dum docet, Hippocratis, docti & monumenta Galeni
 Ingenio evolvens Asteropæus erat.
 Immiti nuper subtractus morte perennem
 A fera famam posteritate feret.

AUGUSTI COCCEJANI

BRIXIENSIS.



Sub Effigie Bajazetis.

TU ne credideris forte, nefas, hic tibi maximi
 Spectari Superum fulmineam regis imaginem,
 Quod depicta Jovis tela vides, egregiâ manu
 Præclari artificis, quod tabulâ conspicias in brevi
 Magnum terrifico orbem tonitru atque æthera concuti,
 Nuncque atris Acherontis tenebris omnia contegi,
 Nunc tingi liquidis sulphurei fulguris ignibus,
 Non, non ad Semelen auricomam Juppiter amplius

Fraudes conjugio commeditans ventitat improbus.
 Nec tu Theſſalicum forte putes cernere Apollinem,
 Arcus lethiferos quod videas, & quod arundines
 Conſpectes celebres, tela Dei inſignia Delphici.
 Hic mortalis erat, non Deus; hic barbarus, impius,
 Germani trepido ſparſit atrox ſanguine limina,
 Ne Europæ, atque Aſiæ regna ſibi præriperet ferox;
 Hic, ceu flamma rapax lauricomos per tumulos furit,
 Cum late Boreas præcipitat flamina Tracius,
 Sic flagrans rapidos in miſeros Danubii incolas
 Ignes, ſic celeres intulit in Pannonias faces,
 Involvitque furens excidio robora bellica:
 Unde illi merito nomina ſunt indita fulguris.
 Sed non longa manet pœna tuam juſta ſuperbiam.
 Major namque tuis e Scythiâ naſcitur ignibus
 Torrens, horribili diluvie qui rabiem tibi
 Reſtinguat, Furiasque impediât fortior aſperas.
 Ecce, ecce ab Tanai gens properat ſæva Tamerlanis
 Inſandi auſpiciis; lataque jam regna Bithyniæ
 Pervadunt, acies jam Scythicæ prælia conſerunt
 Tecum jam caveas, aurea jam vincula comparant,
 Incluſumque Aſiæ te rapiunt cuncta per oppida.
 Nunc ite, atque animos imperiis tollite Principes,
 Fortunæ immemores quam rota ſit prona volubilis.

Ad Benedictum Jovium.

Quæ tibi, quæ læva inceſſit mens, optime Patrum
 Jovi, novus qui pectore errat ſpiritus,
 Ut tanta Scythicos reges tibi pinxeris arte,
 Quos turba noſtrum ſuſcipit Quiritium?
 Anne juvat Latii truculentos nominis hoſtes,
 Feræque noſtro ſæpe paſtas ſanguine
 Spectare, ut redivivi iterum præcordia pulſet
 Virtus, & alte exurgat Italum decus?
 Hæc utinam! interea votis, Roma, annue noſtris,
 Et excitare, hæc intuens ſpectacula.
 Europæ, atque Aſiæ hi, ſi neſcis, regna ſuperbi
 Tuâ tenent ignaviâ, nec te pudet.

Ergo purpureas traxerunt sanguine lymphas
 Et Ister, & Panyfus altis alveis;
 Et nostræ albescunt etiamnum cædis acervi
 Deserta late Myfiæ per æquora,
 Pannoniæ regem cum deslevere peremptum
 Manu impotentis Amurathis efferâ:
 Et positum aëria est monumentum insigne columna,
 Æternus horror ut loco insit & metus.
 Scilicet ut geminæ hæc cælo capita alta ferentes
 Cedant columnæ Cæsarum, uni Barbaræ,
 Et gladii, & galeæ, & clypei, Romanaque pila
 Scytharum acinaci, & pharetris impiis.
 En quo degenerum cecidit spes tanta nepotum,
 Et Christiani nominis regum decus.
 Quorum dum gliscit furor, & discordia demens,
 Absumpta in auras prisca cessit gloria.

In Bartholomæum Coleonem.

Non sic Æaciden Græcia Thessalum,
 Non sic Hannibalem aut Asdrubalem fera
 Carthago meritis tollet honoribus;
 Non sic Scipiadas graves
 Pænorum urbibus urbs inclita Romuli;
 Quamvis imperii trans mare terminos
 Longe protulerint, regnoque Punica
 Late sub juga miserint:
 Et contra madidos impius Hannibal
 Campos Roma tuo sanguine fecerit.
 Cum præceps animi Consul; ad Aufidum
 Infausta agmina perdidit:
 Et quamvis rapidus fortis Achillei
 Currus magnanimum traxerit Hectorem,
 Unde omnis Phrygii concidit imperii
 Spes, & præsidium, ac Deus:
 Ut te Cenomani, maxime Coleo,
 Certant perpetuis tollere laudibus,
 Alpinæque caput gentis, & hospitum

Cultrix Brixia nobilis,
 Et montana tuis clara crepundiis.
 Natalique solo mœnia Bergomi,
 Et patres Veneti, qui juga nesciunt
 Soli barbara perpeti.
 Nam cum consiliis bella sagacibus
 Et forti gladio Martia gesseris,
 Gallorumque graves fregeris impetus,
 Mittens effera prœlia;
 Nunc ardentis equi vividus, & ferox
 Stans dorso, statuâ æternus in æneâ,
 Pro templo, meritis par ut erat tuis,
 Gestâ re bene publicâ.

De Marco Antonio Columna.

Hac in tabellâ pictus est Columnius
 Heroas inter jure primas obtinens,
 Quos Roma genuit omnium fortissimus,
 Quos Roma vidit omnium pulcherrimus:
 Virtutis est Verona testis optima,
 Servata quondam a vi, & furore barbaro;
 Et pulcher Athesis, mœnia ejus perfluens,
 Atro cruore sæpe tinctus hostium.
 Est vafra testis gens Ibera, est horrida
 Germana pubes, terga sæpe quæ dedit
 Illius armis, ceu fugaces capræ
 Multa premente agrestium manu solent.
 Formæ paternæ signa sunt certissima,
 Præsentis ævi filix pulcherrimæ;
 Jovis Deorum regis, atque Apollinis
 Dignæ cubilibus. Deum hinc credi licet
 Illum fuisse, qui Deis similimus
 Virtute, formâ, viribus plane fuit.
 Hinc suspicata magna turba cœlitum,
 Humana ne quem lædere aut sors, aut manus
 Nequiret, hunc neque ipsa Fata attingere,
 Vel morte serâ, vel cruentâ vi queant;

Homoque ob id vitam Deorum degeret :
 Subinvida in Columnium potissimum
 Conjurat, æreaque tormento æreo
 Missa pila, tonante cœlo, ut fulmine
 Heroa sternit. Mars dolore lacrumat.

De Matthæo, Card. Seidenensi.

Helvetii, gens una Jovi carissima summo,
 Et cara Martis pignora ;
 Invisi bello populi, certissima Regum
 Bellantium spes, ac metus :
 Nullone Heroas vestros celebratis honore ?
 Nullo ære ? nullo marmore ?
 Certe etiam externos, claræ virtutis amicæ,
 Artes fovebunt Italæ .
 Ipse pater Jovius quam mirâ expresserit arte
 Illustrium formas ducum
 Cernitis, & vestri ductoris imagine verâ, ut
 Dotes & ora effinxerit :
 Qui late Italianam fama compleverat omnem
 Virtutis ergo fulgidæ .
 Quare purpureo corpus velabat amictu,
 Sacro coruscus ordine ;
 Certabatque virum sublimem tollere ad astra
 Bellona, Peitho, Sanctitas .

In Fontem.

Beate fons Bagnajæ, ocelle fontium,
 Quoscumque fundit alma tellus e sinu .
 Migrate Musæ fonte ab Heliconio ;
 Et huc venite, ubi liquores vitrei,
 Aves ubi canoræ, opacæ ubi arbores
 Virent, canunt, & murmurant suavius :
 Ubi Innocentius innocens vere puer,
 Non jam puer, sed verius puer senex
 Dulci quiescit litterarum in otio :

Ubi

Ubi beatas net Napæa purpuras:
 Ubi trahit fucata Nais vellera;
 Existat ut repente qui pulchra in toga
 Partem laboris excelsi Atlantis lever.
 Beate fons Bagnajæ, ocelle fontium,

ANTONII CODRI URCEI

MUTINENSIS.

De Galeatio Bentivolo.

A Ut Jovis, aut Phœbi rutilantis lumen habendum est,
 Codre, tui si vis cernere facta ducis.
 Aut alio flectenda acies, ne more volantis
 Pyrauitæ, in magnam lampada forte ruas.

Ad Alexandrum Bentivolam.

Priscus Alexander gladio munitus, & acri
 Mæonide cœptum perficiebat iter.
 Bentivolus noster, gladio præcinctus, Homerum,
 Non habet, at Codri carmina grata fui.
 Sed quid ad Oceanum Rhenus? nihil, attramen ille
 Salsus, & hic dulces fundit amœnus aquam.

De Quercente personato.

Sæpe venit tectâ facie, tectisque capillis
 Quercens, & Codrum decipit ipse suum.
 Codrus hiat, metuit, sudat, suspirat, & ardet:
 Adfidet hunc, blandis adloquiturque sonis:
 Jam mihi pande sacros vultus, carissime Quercens,
 Si Quercens, sacras te rogo pande comas.
 Quid juvat & ficto vultu, fictaque loquelâ
 Fallere, qui purâ te colit usque fide?
 Codre tace: tua sunt votis contraria vota.
 Ut videas, numquam, Codre, videre cupis?

Nam

Nam cum detecto fulgor radiabit ab ore,
Hic tua quod feriet lumina cæcus eris.

Ad Antonium Galeatium Bentivolum.

Sanguine Bentivolo, Galeati, splendide Princeps
Progenite, & nostri cura secunda Jovis.
Gratia tanta tibi est, animus tibi tantus, & oris
Majestas, ut amet qui semel illa videt.
Orpheo magna fuit vati facundia prisco;
Virtuti similis sed nihil ipsa tuæ est.
Namque feros homines traxit, rabidosque leones,
Duraque cum crudis saxa coëgit aquis!
At tua doctorum permulcet pectora varum,
Cogentur celeres ut tua signa sequi.

De imagine suâ picta.

Si Codrus tibi notus est viator,
Quis Codrus magis est? an hic, an ille?

Ad Andream Magnanimum.

Magnanime Andrea, cujus de pectore manant
Carmina Mopsopiis æquiparanda favis;
Huic urbi diramque luem, morbosque furentes
Astra, hominesque canunt, & sibi quisque timet.
Hi proprios alio statuunt transferre penates,
Hi tantum in priscâ sede manere volunt.
Quid struis, Andrea, veri spectator amoris,
An tua rura petes? non ego. tu? nec ego.
Hinc igitur quid nos abducere vultis, amici?
Nescitis quæ nos perdere fata queant.
Non aqua, non ignes, non turbo, nec arida febris,
Nostra sed absument pectora solus amor.

De Francisco Puteolano.

Si quisquam magno vates æquandus Homero est,
Is nisi Franciscus cedite nullus erit.

Epitaphium Zephyra.

Hic Zephyra Ordelaphi conjux pulcherrima Pini,
 Atque e Manfredo sanguine nata, jacet.
 Rapta fuit quinto nondum circumdata lustro:
 Et lucem, terris quam dabat, ipsa tulit.

Ad Cæcilium.

Mercurius Superum non esset nuncius; essent
 Si tam veloces, ut tibi lingua, pedes.


Ad Franciscum Placentinum.

Tu mihi das violas; ego do tibi carmina, certe
 Non tua sunt donis æquiparanda meis.
 Nam violæ parvo pereunt in tempore, verum
 Carmina quæ bona sunt, non peritura manent.

Antonio Musoto.

Ingenium Tulli, sacri vel adesse Maronis,
 Temporibus nostris, maxima turba negat.
 Quæ tua si, Antoni, legeret nitidissima scripta,
 Hoc utrumque sibi cerneret esse loco.





JOANNIS COLENTII



In Castalium Fontem.

ET si Castalii sequutus alti
 Fontis sum latices, & arte carmen
 Nonnumquam cecini; modo relictum
 Omni me video via canendi
 Intentata sequi puta Camœnis
 Scribens jam solitis, mei jacentis
 Clemens ingenii misertus esto;
 Non me crediderim poëtam amœna
 Voce præteritos vocare vates
 Unus inferior; cano quod ipse
 Donat Cinthius, & prima terræ
 Parvus progredior; suprema cœli
 Majorum volumus; meique semper
 Cantabo memor, & lyræ sinistra.

Ad Cosmum Medicem.

Temporis nostri decus, & sequentis,
 Cosme, divina pietate plene,
 Sis valens destro Jove, præfavente
 Mercurioque.
 Quis tuum possit genium tacendo
 Linqvere, ut cives placidis habenis
 Feceris latos, simul & beatos
 Ubere glebæ.
 Non furor stridens Stygia palude
 Possidet mentes; neque jam venenum
 Spiritu misit triplici tremendus

Cerberus ore

Nullus inventus locus est Erinni,
Nec quatit sævos capitis colubros,
Qui pios cives moveat ad arma
Impia tandem.

Martis ardentis cecidit potestas,
Infremat quamvis necis omnis impos
Vinculis inter geminatus angi
Membra videbit.

Ceteri dira nece præliantur,
Sanguinem fundunt rigidis furentes
Ensis; tu pace quietus, alta
Sceptra gubernas.

Arma bellandi posita frequenter
Malleus tundet placidas ob artes
Ibit in falcem penitus figura
Ensis acuti.

Tractat & tauros Cereris colonus
Seminans, factaque abigens avenas
Nescius belli subagendo terram
Vivit in ævum.

Linquitur sævis tremebunda pinus;
Linquitur frendens sonipes; coruscum
Linquitur scutum; galeæque, & ira
Linquitur omnis.

O quies mira emoderantis hujus
Principis; sub quo viget imperante
Aureis ætas modulanda verbis,
Virgilioque.

Regna venerunt modo sanctitatis,
Quando contendunt oculi ad supernas
Ætheris sedes; redeuntque magnæ
Tempora Vestæ.

Patria splendet celebri per orbem,
Qua viget claris super universas
Moribus, multæque opibus potenter
Imperat urbi.

Mœnibus cunctas superat decoris

Quum

Quum vias lætas redigit per unguem
Cinta fecundis remicat suavi
Montibus aura.

Quæ potest templi lapidis vetusti
Justius tolli ? ingeniis virorum,
Quæ fluit tandem uberius beata
Qualibet arte.

Fregit audaces hominis furentis
Impetus, qui ritu Eryli tremendi
Surgere, ut victori iterum moveret
Horrida bella.

Misit Antheus tumidum per ulnas
Spiritus; sursum relevatus alte,
Ne pede extento Lybicas arenas
Tangeret unquam.

Herculis clava grave vulneratus
Mirus Hispanus cecidit tricorpor,
Arma quum tendens iterum periret
Membra minutus.

Quid feram laudes hominum supremas
Sæculi prisca? en modo singulari
Mente pollentum micat alta virtus
Sideris instar.

Quid diu Cosma potuit priorum
Esse vel mentis speculatione
Major, aut rebus penitus secundis
Rectior unquam.

Cresus Eois opibus superbus
Plurimis; heu consilio nequivit
Pace defungi, male præliatus
Terga revolvit.

Arce distincta variis lapillis,
Quum micans esset populo frequenti,
Nocte securus dedit inter hostes
Perdere vitam.

Transeo Midam, miserumque Crassum,
Divites rebus magis, atque mente
Vix queas ambas reperire partes

Mentis & auri.

Cœcat immensus numerus talenti
 Mentem, & in præceps rapit, & furente
 Spiritu ruptis revoluta faxis
 Tendit ad Orcum,

Cosma præclarum specimen ruentis
 Sæculi, pollet gravitate mentis,
 Et bonis terras moderator ingens
 Prosperitatis.

Principem fecit sapiens Senatus,
 Mente quod plenus, retinens habenas
 Valde florentis patriæ, ut potentum
 Frangeret iras.

Ipse fecundus pater, ipse rector
 Litterarum; qui egregios refovit,
 Et fovet multos homines, frequenti
 Munere abundans.

Tu pius, tu justus es, & bilancem
 Percutis cunctis digito frequenti
 Nullus exhibit, nisi temperato
 Legibus usu.

Dives argento nihil obtinebit,
 Omnibus rectus facis, & timentis
 Pauperis causam, placidaque fronte
 Erigis omnes.

Non potens frangit minabundus ira,
 Flebit aut versis oculis fremendo
 Hostis; æqui solus habes in ævum
 Ducere numen.

Quid loquar, quanta niteat figura
 Corporis digni gravitate; quidve
 Lingua collectis agitata flammis
 Fulminet ardens?

Splendor effulget capitis fereni,
 Cuncta collustrans, ideoque nostris
 Mentibus vives supernasque sanguis
 Dum reget artus.

Cordibus longe melius retentus,

Quam

Quam queas celsa lapidis columna,
Stabis; & viva statua levatus

Ærea mittes.

Cosmus in cunctis celebratus oris
Surget immensus; rapidoque vento

Ocior; majorque jacente terra

Scandet olympum.

Qui valet sanctis calamo canendi

Artibus, latum spatium videbis

Sumere, ut magno celebret potentem

Carmine Cosmam.

Vive jucundum patriæ manentis

Jubar, æternæ quoque pacis auctor

Vive, qui sanctam regis æquitatem

More priorum.

PANDULPHI COLLENUCII

PISAURIENSIS.

In Prætura sua, Panegyrica Silva ad Florentinæ Urbis

Novemviros summum ineuntes Magistratum.

Titulus. Florentia.

Concilio demissa Deum Jovis inclita proles
Candida, læta, pio mundum si conspicias ore,
Pone indignantes animos, sæclique prioris,
Impia quo superos tristi gens orta metallo
Exegit terris, tranquillæ nescia vitæ,
Immemor: huc oro properans Astrea relictam
Rursus honoratis tellurem invise calendis,
Et qua Dictæi quondam penetralia Regis,
Spartanique Ducis spectasti limina fronte;
Vel qua Martigenas affata es voce Quirites,
Cum legeret tenui pauper se curia censu;
Grandævumque patrem, geminas cui tempora flammæ

Cæna vomunt; geminisque micant data jura tabellis.
 Talis adorato veniens Astrea tonante
 Tyrrhenos proceres florentem diva senatum
 Alloquere, & sacro deductum vertice carmen
 Incipe, formosæque animis illabere gentis

Salve magnorum, salve urbs non credita fatis
 Cura Deum, salve Ausoniæ decus unica terræ:
 Salve iterum felix populus; lateque per omnes
 Diffusum nomen terras, longæque beatum.
 Sis memor o mea gens, ut prima ab origine totam
 Te repetam: genus, ac proavos, nomenque, locumque:
 Sis memor, & læto mea pectore concipe dicta;
 Ut concessa Deum tibi munere dona revolvens,
 Intellecta colas, atque intellecta reserves.

Stat qua nimbofo juga furrigit aspera dorso,
 Æquatis geminum spatii prætentus ad æquor
 Fagiferis ingens de rupibus Apenninus;
 Immanis cautes, nudataque frondibus, ipso
 Celsior assurgit moles: super arduus extat
 Contemptor Boreæ scopulus; sed primus opaca
 Nube tegens frontem, venturos nunciat hymbres
 Uvidus, & Thuscos medius despectat. & Umbros.
 Cotylus huic nomen; dederat memorabile pastor
 Cotylus, in cautes versus, quod numina primus
 Ex Italis bello tentarit sæva gigantum.
 Huic conjux geminos non segnibus Etruria natos
 Edidit, assumpsit sacrum prior Albula nomen:
 Alter aquæ indicium placidæ sibi deligit Arnus.
 Tum senior longi fatorum prescius ævi,
 Apenninicas inter dux ordine Faunos;
 Colle videns summo fratres diversa petentes;
 Terque quaterque manu sordentia vellera mulxit,
 Piniferis nutans setis; manibusque notatos:
 Ille, inquit, Tanaim, quondam, Nilumque Tagumque
 Obruet, & nigro victor dominabitur Indo:
 Huic autem bissex concedent jura sorores;
 Unus bissex pulcher gaudebit honore:
 Verum illum luxu longe, lateque vagantem

Fata prement : ast hic faciles moderatus habenas,
Incrementa diu, stabili sub lege tenebit.

Dixit, & in præceps, summaque crepidinis ora

Corripuit saltum : mox fronte incussa bicorni

Saxa petens, medium resilit festinus in amnem

Jam sacrum, & latos Arnun diduxit in orbes.

Ex illo ille Umbros, Lavinæque proluit arva :

Hunc gremio mater suscepit E ruria dolci.

Ergo Arnun indigenæ satyri lasciva juvenus,

Naiadumque chori, per saxa incisa, per urbes,

Obicibus ruptis, sinuoso vortice ductum

Ceruleis miscent Tyrrhenæ Tethyos ulnis :

Tum primum veteris læva reverentius arces

Arreti cessere procul : dextraque recessit

Fesula : tum bifidæ panderunt mœnia Pisæ.

Nais erat Tuscas inter rarissima nymphas,

Sive animum, corpusve notes, & robur. & annos,

Et faciem, qua vel possit Cytheræa moveri ;

Ipsa, puerque suus in se convertere tentet

Spicula, & a propriis victus candescere flammis.

Huic horti, silvæ, campi, juga, gramina, fontes,

Cors, & apes, cultusque gregis, piscosa placebant

Flumina, sollicitis quidquid procul urbibus esset,

Venatu ante alias, Musisque decora petebat,

Retibus, ammento, laqueis, cornu, cane, visco,

Carminibus, crotalis, fidibus, pede, pollice, cannis.

Marte illam indigenæ memorant, & Janthide Nympha

Progenitam ; pater altori commiserat Arno,

Virtuti, formæque diu par tradere nomen

Quæsitum : quas fata vices, quos numina casus

Monstrarent, faustæque darent simul omina vocis :

Convenero omnes sacrata in valle locati

Vicinæ Oreades, & rustica turba Deorum ;

Umbro senex, rapidusque Bisens, modicæque vetustus

Munio cultor aquæ ; nec pastorale canentes

Convenero Dei tandem, Pan, Mars, Venus, Hermes :

Hi prensam tenuere manu, lætisque vocarunt

Auspiciis ; tum Pan sima sic nare locutus :

Florenti de matre ferēs Florentia nomen
 Gradivus ferrum genitor dabit, arma, animosque,
 Imperium in victas urbes, populosque rebelles:
 Nulla umquam tam fæva in te gens induet arma,
 Victa jugum ut subeas, libertatemque relinquas.
 Tum pacem, formæque decus, tranquillaque vitæ
 Otia, lascivos saltus, & amœna vireta
 Florentis patriæ, genitrix Æneia donat.
 Atque illud quo nulla tulit felicius ætas
 Ingenium sublime, sagax, & acumina linguæ:
 Convectas & opes, mirasque e gentibus artes
 Spectandas variis, Cylleni munere fumes.
 Talia veridico memorant Pana ore locutum,
 Assensisse Deos, secretaque verba precatos
 Eventu signasse locum, plausumque dedisse.
 Tum subito ferrata manus, Romana propago,
 Et confaguinei Tiberino a flumine fratres,
 Ecce salebroſi ripas compleverat Arni:
 Inſiluere viri campis, omniſque repente
 Planicies, rigido viſa & fulgere metallo:
 Quales nubiferis quondam ſpirantibus auſtris,
 Punica mordaces exurunt prata locuſtæ:
 It clamor, fremituſque viris permixtus equorum,
 Tyrrhenus clangor, tormentorumque furores,
 Horriſono circum montes, vallesque fragore:
 Tollitur in cœlum plena Florentia voce,
 Stentorium reſonans Florentia: creditur Arnus
 Tum primum tenuiſſe moras, ſiccataque vaſtis
 Pontibus, & valido data ſunt fundamina muro:
 Intonuere procul feſtis clamoribus alpes:
 Attonituſque Ligur, portuque ſuperba Selene:
 Audiit & ſaxo Cynos male culta maligno:
 Sardoique ſinus, ferrique opulenta metallis
 Iſſa: & dumoſo ſqualens Capraria dorſo:
 Tum primum novus, e tumidis caput extulit undis
 Aërius Gorgon, ſinuoſoque aſtitit Arno:
 Parte alia, propriis ſummotæ ſedibus urbes
 Sacra coronantes Florentis mœnia divæ,

Convenere, jugum pariter, legesque parati
 Suscipere, & ritus congestaque dona referre.
 Prima igitur supplex vicino Fesula colle
 Descendens, docuit victas parere sorores:
 Arretique minax quondam populosa juvenus:
 Et male contentus ripis, quam subluit Umbro;
 Hinc Thuscis Cortona caput, cum gentibus olim
 Non æquo dux irrumperet certamine Pœnus:
 Quin etiam Alphææ murosque, & cara dederunt
 Expertæ ultores divos navalia Pisæ:
 Altaque submisso posuerunt vertice colla,
 Subque jugum venerè metalliferæ Volaterræ:
 Denique in hanc urbem simul ornamenta, vel æquis
 Fœderibus pactas vires, vel jura tulerunt
 Quæcumque ante senex construxerat oppida Tarcon.
 Interea quoties frustra tentata, malignus
 Anguiger. Insubrumque manus per bella cœgit
 Jam desperato contendere Martis honore?
 Partenopen referam, regumque insignia castra?
 Vicinas junxisse acies, flammisque petitos
 Municipes, atque injusto rapta oppida bello?
 Ut pene admotum muris expaverit hostem.
 Finitimos taceam populos; quæque improba vanus
 Arma Ligur movit, pariter pariterque repulsus
 Captivas acies, captivaque castra, ducemque
 Captivum; & pugna victas ammisit urbes;
 Sæpe illam petiere doli, turpisque nefando
 Bellipotens astu fraus, imperiosior armis,
 Et centena metu molimina concita vano:
 Gradivus contra genitor, vulcania conjux
 Teia ferunt, hostemque fugat Tegeaticus ales;
 Dispergitque dolos, aperit periuria, & ipsum
 Lumine centeno maculosum dissipat Argum.
 Talibus auspiciis; tantaque ab origine cœlum
 Fortunatâ caput cœlo, Florentia, tollis:
 Et miranda capis tanto incrementa favore,
 Cœlicolum; pulchro illustrans cognomine pulchram
 Italiam; & placida victrix regis omnia pace:

Hinc tibi magnifico surgunt operosa decore
 Tempia Deum, sacræque altis pro molibus ædes :
 Hinc tibi regifico constructa palatia luxu :
 Hinc etiam magni regis fundata labore
 Mœnia : constratæque viæ, pontesque superbi :
 Quid tibi mite solum referam? quæ dona beatis
 Concessit natura locis? undas ne salubres?
 Frugiferas segetes? vel quæ indulgentia cœli?
 Pomiferos colles, nulla & non parte feraces
 Saxosam assiduo terra versante colono?
 An constructa manu laxis prætoria testis
 Oppida : turritos colles : & splendida multo
 Culmine rura canam? Quæ celsi vertice saxi
 Prospiciens aliquis peregrini nominis hospes,
 Assyrii putet esse procul tentoria regis :
 Stellatumve solum, sparsasve per æquora circum
 Cycladas, aut parvis gemmata sub urbibus arva :
 At quantis memorem fecundam civibus urbem,
 Quos opibus, quos ingeniis mirere, virosque
 Consiliis, animisque graves; quod publica tractent,
 Sollicitoque agitent populi simul otia cultu :
 Hic tibi confurgit docti facunda juvenus
 Eloquii cultrix, hic consultissima juris
 Turba, foro gaudens; & iusti noscere certum
 Docta modum, & dubios legum dissolvere nodos :
 Sunt & qui causas rerum, mundique recessus
 Explorent, cœlique vias, atque abdita tentent
 Inconcessa oculis hominum, queis personat alto
 Plurimus ore Platon, & acutæ mentis alumnus.
 His adde innumeras artes, quibus altus Apollo
 Præsidet, & largo concedit munere Pallas
 Feta bonis; quæ longinquis de gentibus usque
 Vel spectanda homini, vel convectanda petuntur.
 Vosne mei taceam vates? tantoque Deorum
 Concilio, dulces Musas meminisse pigebit?
 Quæ nam, quæ Latiis usquam regionibus urbes
 Felici tam sorte datæ; tam sidere dextro;
 Huc mihi Cyrrhæi nemoris traslata videntur

Laureta, & centum cantatæ vatibus undæ:
 Huc Smyrnæ, Mantusque animas, huc denique & ipsum
 Aonium migrasse chorum: nec Romula tellus,
 Cecropiive lares, majus promittere possent:
 Permixti Aufoniis Graii, doctumque videri
 Mortali quodcumque ponunt, tu sola recondis.
 Non mihi si linguis totidem, si voce novena
 Ora sonent numerosque Deæ, carmenque ministrent;
 O multum dilecta Deis Florentia, voto
 Sufficiam, plenove canam tua munera cantu.
 En tibi pervigili custodem luce draconem;
 Aureaque Hesperidum miratos mala poëtas,
 Fabula, Cyrrhæique docet sub rupibus antri,
 Anguigeros tripodas, & laurum fata canentem:
 Vana quidem dictu, sed si modo vera fateris.
 Nec te mendaci capiunt figmenta lepore:
 Tu medio geris ipsa sinu, veroque potiris
 Germine, tu Laurum totis complecteris ulnis
 Præsignem, & fati vertentem stamina Laurum:
 Aspice, ut aurato fulgent gestamine mala
 Suffectura urbis opibus, lætumque rubenti
 Aurea perpetuo vivit tibi bractea pomo:
 Ipsa ajunt nullis umquam cessura procellis
 Stat laurus, fixisque alte radicibus, alte
 Inconcussa manens sublimi vertice supra est,
 Et gravida arcani, & causarum præscia Laurus.
 Hic tibi non vanæ suspendunt omina sortes,
 Nec dubio responsa animos sermone fatigant,
 Nec fallax corrupta dabit tibi Pythia carmen,
 Sed quæ venturi casus oracula, certis
 Designata modis præfago nuntiet ore,
 Quæque minas trepidæ fortis prudentior astris,
 In melius justo semper moderamine vertat.
 Vive diu, Laurus, patriæ tutela beatæ,
 Sacra Jovi, Phœbo, Genio, gratissima Musis.
 At tu solve animum mea gens: dissolvite curas:
 Exhaustos quondam, gens fortunata, labores
 Dele animo, indulgeque bonis animosa paratis.

Vos ergo quibus est patriæ data cura regendæ
 O proceres, vestrique simul data jura senatus :
 Vos inquam appello proceres ; meminisse decebit
 Esse Deos : nec tantam urbem sine numine divum ,
 Nec sine mente regi , civemque ad jura vocatum
 Imperii , mortalem ultra se attollere , quantum
 Mortali præstant superi , tantoque futurum
 Rectorem magis imperio , sceptrisque verendum ;
 Quanto annis majora movens ; extendere famam
 Tentarit factis ; propriusque accedere divos ,
 Nulla autem tantæ virtus magis æmula laudi ,
 Quam, per quam esse Deum summū , solumque fatemur,
 Sponte sua mundi genitor , nullisque coactus
 Imperiis , nulla motus prece , nullius umquam
 Indigus . at sola simplex bonitate , paternum
 Implet opus , largaque manu discrimine nullo
 Partitur bona cuncta Deus , lateque ministrat :
 Tum geminas , quas ante poli , rerumque figuram ,
 Ante ævum , folio semper stellante forores
 Hinc atque hinc , secum pariter confidere jussit ;
 Esse duces operum , & mortalia volvere mandat .
 Lava igitur læto fulget clementia vultu ,
 Atque iterum repetens vasti primordia mundi ;
 Terrenos arctus , conclusaque carcere cæco
 Semina commemorans , naturæ in limine primo
 Cognatam incertiam , diræque cupidinis iras
 Increpat . humanam sortem , culpasque nocentum
 Diluit : illa Jovis justo indignantia mulcet
 Fulmina judicio , atque ultores sustinet ignes .
 Parte alia , quam vos Latio cognomine fertis
 Justitiam ; niveæ radiat velamine pallæ
 Ferrea jura gerens , & sacro fulminat ense :
 Virgineo insignis cultu , sanctoque pudore
 Terribilis , jussu mundum discriminat æquo ,
 Et memores ortus proprii rursus ingerit astris :
 Degeneres animas Stygio despondet Averno .
 Hæc vobis exempla patent : clementia mixtum
 Justitiæ moderetur opus , tum conscia penset

Mens sibi, factorum testes assistere divos.
 Sed quoniam medii quæ sit dignoscere metam,
 Haud promptum est, atque acies simul abdita veri,
 Consiliis fundata patrum, descriptaque fixo
 Fœdere; quæ veterum doceant, permissaque monstrant
 Jura, pios ritus, sanctasque ex ordine leges
 Servate: ille urbis animus, mens certa senatus;
 Ille urbis nervi, & civilia vincula nectunt:
 Hæc vobis (nam furda quidem sunt scripta) reposito
 Arbitrio placeant: quantum licet inde petentes,
 Imperturbata proceres decernite mente,
 Judicio non ante dato quam dixit uterque.

Verum illud longe optandum, præque omnibus unum
 Commemorare libet, cives, iterumque monere:
 Vos patrio de more, animi sententia quæ sit
 Fruge datam Samia tacitis depromitis urnis:
 Sed meminisse decet, penso libranda tenore
 Jussa diu; neque enim numero, sed pondere constant.
 Tum bicolor cum lecta manu faba sumitur illa
 Indicium factura animi, non vile legumen;
 Semineque in tenui parvum consistere pondus
 Credite, sunt illic tristis momenta repulsæ:
 Jura necis, vitæque simul: stat numen, & illic
 Mens latet: incertæ per certa pericula vires:
 Fas, justum, & dubio rerum discrimina grano.
 Non alia celsi cultor ratione Crotonis
 Cognatas damnasse fabas jam creditus: illud
 Sæpe monens, cæcas sortes, & semper iniquum
 Censeri vires æquas sub dispare sensu:
 Hæc mensura igitur stabili sub robore legum
 Firmetur, cives: suffragia justa ferantur
 Consilio fundata gravi; scitisque verendis
 Sordidaque abscedant ægræ contagia mentis.

Artibus his igitur, talique sub ordine constat
 Majestas, patriæque decor, victoria, laudes,
 Et tranquilla quies, & rerum copia, & urbem
 Quæ fundant, augent, servant, faciuntque beatam.
 Hanc olim senior Nilus, priscique Pelasgi:

Hanc Latium tenuere viam, veteresque secuti
 Romulidæ, antiquusque Lacon, atque Attica pubes
 Et fortunatæ pulchris sub legibus urbes.
 Hac iter emensi, melioris nomina sæcli,
 Magnanimi heroës, & legum scita secuti
 Invenere viam; qua se regione locarent
 Siderea, & justo divum potirentur honore.
 Quinetiam cæli pars est pulcherrima; qua se
 Lacteus in cumulum stellarum colligit orbis
 Nectareo de rore madens; ubi plurima nulli
 Visa hominum, nec dicta quidem, nec scripta voluptas.
 Hic locus est, sedesque animis concessa beatis
 Qui patriam auxerunt meritis, rexere jubendo,
 Servavere opibus, qui justî munera, leges,
 Armaque nec segnes generoso pectore vitam
 Impendere urbis studio, pacemque dedere.

Vos etiam celsa populi qui puppe sedetis
 Florentis patriæ proceres, quorum ora, fidemque
 Agnosco, certæque micant insignia laudis;
 Nec dubiæ circumvolitat virtutis imago;
 Post sanctos actus, patriæque impensa potenti
 Officia, atque operum meritæ vestigia famæ:
 Qua Nemees terror, qua brachia contrahit ardens
 Scorpius, & geminæ deducunt cornua lances
 Accipiam, & cæli pulchra vos parte locabo.





LUDOVICI COLLONII

UTINENSIS.



Turcarum Imperatori.

IMprobe, tu nostras audes invadere terras;
 Nec te religio, nec movet ulla fides?
 Sic Venetos temnis longo tibi fœdere junctos,
 Pactaque iam toties testibus ista Deis?
 Desine: & accensum depone errore furorem,
 Perfide; dum reputas vincere, victus abis,
 Quid moneat classis (tecum meditare parumper)
 Ista recens, armis, igne, subacta mari,
 Jam venit metuenda dies; venere dolores,
 Perfide; quos Vates præcinuisse ferunt,
 Scilicet, ut numquam cesses persolvere pœnas,
 Sanguine, & Adriaco colla subire Duci.

ANGELI COLOTII

ÆSINATIS.



ARgutum inclusi junco tibi, Delia, grillum,
 Cujus sæpe mihi munere parta quies.
 Nam mihi nec somnum veniens cum duceret Auster,
 Argento nec quæ purior unda gemit,

Hic

Hic veterem instaurans veteri de more querelam,
 Plus venti, ac lymphæ munere plus potuit.
 Mox etiam majora feres, cum messe peracta
 Capreolus nostri pignus amoris erit.

In Natale Christi.

Huc se se pleno demisit ab æthere cornu,
 Diffuditque suas Cópia dives opes:
 Scilicet ut tellus imitetur gaudia cœli,
 Natalem Christi dum pia rite colit.

De rostris navalibus in apum alvearia versis.

Cum ratis Antoni pelago pugnavit aperto,
 Quæ non sustinuit Cæsaris arma Dei,
 In Latium translata forum est, inque ære tridenti
 Cærea tecta sibi dædala fecit apis.
 Fatale hoc rostris fuit, ut Ciceronis adempti
 Pro dulci eloquio dulcia mella forent.

Epitaphium Jo: Lascaris.

Dilectus Musis, & rebus natus agendis,
 Quem gravida imperiis protulit alta domus;
 Tot freta dum curris, totque invia regna pererras,
 Ausoniâ tandem, Lascaris, urbe jaces.
 Sed fitus in patriâ es, Grajo licet orbe remotus.
 Nulla est virtuti terra aliena suæ.

Ad Tiberim.

Tibri pater, quis te sopor occupat? adspice quanti
 Liris, quantâ Athesis laude superbus eat.
 Hic, dum Tyrrhenum rapidus decurrit in æquor,
 Sequanico infectas sanguine vexit aquas.
 Cæde illum Istriacâ tumidum, & spolia ampla ferentem
 Adriacus vidit pontus, & obstupuit.
 Quare age, rumpe moram, aut aliò tua flumina verte:
 Imbellem Martis non decet urbe frui.



M A R I I C O L U M N Æ

R O M A N I .



A D C O S M U M M E D I C E M
Florent. et Senens Ducem.

UT Dis primitiæ dantur, qui pingua rura
Reddere pacati fertilia solent:
Sic nos arentis nostri, Dux maxime, agelli
Exiguas ferimus nunc tibi primitias:
Quod si tu placidus faveas, tibi Cosme, virebit,
Fautorique dabit munera grata suo.

Ad Franciscum Medicem Florent. & Senens.
Principem.

Siquando armatus metuendam concutis hastam,
Magnanimum magno robore reddis avum:
Siquando insigni populos pietate gubernas,
Prudentem prudens tunc imitare patrem:
Cuncti igitur fortis dicent te jure nepotem
Pelidæ, & magno Nestore progenitum.

Ad Cosmum Medicem de ipsius liberalitate in Ludovicum
Beccatellum Archiepisc.

Quis celebrare novam digno nunc carmine possit,
Quam tibi, Cosme, parit laudem tam grata voluntas?
Quod festæ requies tam tempestitiva senectæ,
Et tempestatum portus, quas pertulit olim,
Sancto homini, & docto per te, Dux magne, paratur
Cu-

Cujus summa fides, pietasque, & maxima longè
 Religio, & morum candor gratissima Divum
 Concilio apparent: castæ cui rite Camœnæ,
 Et Phœbus pater ipse favet, qui fronde perenni
 Munere præcipuo vatum sacra tempora cingit.
 Ut partis tibi magna olim virtute triumphis,
 Sternis dum Gallos ingenti clade feroces,
 Adiicis imperio & Senas, hoc munere honesto,
 O decus Italiæ æternum, non addita parva
 Gloria sit, toto penitus sed in orbe virescat;
 Atque altas circumvolitans mox fama per urbes
 Hæc referat clara de te, Dux inclite, voce.
 Non nullis forsan prima est laus quærere magna:
 Non minor est aliis quam quærere parta tueri,
 Partis belle uti prius est, quam quærere, Cosmo.

*Ad Libellum a Ludovico Beccatello Archiepisc.
 conscriptum.*

Felicem vitam, Musis, & Apolline digno
 Depictam calamo cupiat qui cernere: librum,
 Te legat aureolum: sed si pietate, bonisque
 Moribus ornatus felicem degere vitam,
 Omnia metiri & modulo desideret aptè,
 Auctoris magni, qui te conscripsit, honestos
 Assiduus mores, & facta imitetur, ametque,
 Tunc erit & verbis, & re, tum denique felix.

*Helionora Toletana Ducis Florent. & Senens.
 Tumulus.*

Illa, illa hæc Charitum, Cupidinumque
 Matre pulchrior, elegantiorque,
 Et docta sapientior Minerva,
 Et par moribus optimis Dianæ,
 Illa inquam Charitum, Cupidinumque,
 Quos vivens genuit, repente partem
 Bonam (heu, heu nimium bonam) sequuta

Cœlestes petiit domos; suo nunc
Tellus id cupidè sinu recondit,
Quod illa hinc abiens reliquit unum.

In Obitum Jacobi Columnæ fratris.

Tu quoque, si tantum nobis mors atra dedisset,
Sævorum regum spoliis decoratus opimis
Olim magna patrum retulisses facta tuorum,
Victrici & nostram cinxisses fronde Columnam.

In Obitum Michaëlis Angeli Bonarrotæ.

Picturæ artifices decepi: e marmore vivos
Expressi vultus: erexi dædala templa:
Crudeles merito possum nunc ludere Parcas:
Hæc etenim nostrum ventura in sæcula nomen
Traducent: animusque colet pius ætheris oras.

Ad Benedictum Varchium.

Vates non tantum mutos hæc funera possunt
Reddere, sed mutis eripere ipsam animam.
At cinis est cantu dignus, Cycnisque canoris
(Quis neget?) & docto Varchio, & Angelio.

In Parasitum.

Quæ mihi sit rogitas cœnæ opportunior hora?
Dum tu conviva es, commoda nulla fatis.

*Ad Ludovicum Beccatellum Archiepiscopum
Epidaurensem.*

Læto fidere, lumine, & benigno
Diem respiciens Apollo, & horam
Natalis mei, Apollo, quem suorum
Dulcis tangit amor, gravisque cura,
Bonis auspiciis tuas ad ædes
Doctorum o decus, & decus bonorum,
Misit egregium, optimumque vatem,

Tuo ut nomine nuncius veniret
 Segne ad ingenium meum excitandum
 Amore eloquii Attici, & leporis.
 Nunc quod officium viri tam amici
 In me, quem tibi prorsus & fuisse
 Ignotum scio, & esse nunc, benigne
 Conferas, minime ipse miror. Et quid
 Mirer Eridano e parente rivum
 Deduci tenuem per arva? namque
 Quanto est quid meliusque, sanctiusque,
 Tanto in te minus illud esse mirum est.
 Quare ipse hac probitate singulari
 Cum plane videar mihi esse victus,
 Tam possum hoc onere obrutum fateri
 Me, quam perspicio impari labori
 Discendi eloquii Attici, & leporis.

Ad Jo: Baptistam Asinium J. C.

Quem, jucunde Asini, mihi libellum
 Curasti Angelio a meo ut daretur
 Dono, dulcibus ut soles amicis
 Impartire tuos bonos labores,
 Numquam is non poterat mihi esse carus.
 Primum materia est gravis, referta
 Et prudentia, & eruditione,
 Dein tractata homine a proba & pudenti,
 Atque ab omnibus optimis amato:
 Adde, non minimi quod est putandum,
 Grata munera gratiora reddi
 Multo, quæ attulerint manus amicæ.
 Quare, o docte Asini, tibi ut deceret,
 Pro illo munere gratiam referre
 Quando ego haud potis ipse, habebam, agamque.

Ad Benedictum Varchium.

Tempore jam longo servatum est, optime Varchi,
 Abs te adeo nostræ fœdus amicitiae.

Ut

Ut voces umquam nullæ me adducere possint,
 Oblitum ut credam te, & querar esse mei;
 Ne dum (quod penitus ratione, æquoque repugnat)
 Causa levis rumpat vincula tam gravia.
 Æstum vita igitur, Cosmus quo languit altus,
 Quem precibus sanat victus Apollo tuis.
 Is pereat quicumque uni sibi commodus, at tu
 Publica qui sequeris commoda, vive diu.

Ad Petrum Angelium Bargaum.

Cum dono Angelius suum Poëma
 Dat suis Marioque, Julioque,
 Dat munus, grave amoris, atque honestum
 Quod sit indicium sui perennis
 Præclari egregii in suos Columnas:
 Dat munus, patria ipsa cui Columnæ
 Domus nobilis, atque perbeata
 Nec par, nec simile haud referre possit.

In Malum Poetam.

Fabellas populo novas parare
 Optasti; aut populi ipse fabula esse?
 Fabellas populo novas parasti,
 Fabula es populi; facete utrumque.

De Cosmo Duce, & Francisco Princ. Filio.

Sunt gemini Soles: ambo tibi, Tuscia felix,
 Fulgent, amborum Tuscia lumen habes;
 Alter Apollo micat Cosmus, micat alter Apollo
 Franciscus gemino lumine splendidior.
 Cum jubar alterius se abscondit forte vicissim
 Se jubar ostendit tum subito alterius.
 O fortunatas Urbes, populosque beatos,
 Talia queis præsto lumina semper erunt.

In Obitum Beuedicti Varchii.

Musas qui digne coluit, qui gesta parentum
 Narravit miro Varchius ingenio:
 Hunc jam nostra ætas, jam cana & sæcula dicent
 Ornandum pariter carmine, & historia.

De Laurentio Jacominio puero.

Hætrusco Musas tenero distasse poëtæ
 Attica cum nosset carmina, Pallas ait:
 Parve puer, nostris per te (quis credat?) Athenis
 Accedet priscae nobilitatis honor.
 Necte novas magna ex lauro tu, Phœbe, coronas,
 Non mea non tanti præmia sunt olcæ.

Ad Ranerium Boccam.

Arte consimili senex Achivus,
 Cujus dulcius ore defluebat
 Melle ipso eloquium ferociorum
 Fertur mitia reddidisse corda;
 Atque nunc miserum tuis levasti
 Me verbis, numerisque Tullianis
 Pro tuo eximio in me amore, Bocca,
 Jucundissime Bocca, Bocca ocelle
 Tuscorum juvenum, quot aut fuere,
 Aut sunt, aut aliis erunt in annis.

Ad Ascanium Ripam.

Quæ nuper mala pestis hinc procul te
 Amovit, bone Ripa, rusque noctu
 Coëgit rapidis volare pennis?
 Num venti horribiles Catulliani,
 Qui nostras quatiunt diesque noctesque
 Ædes? hi domino solent misello,

Bonis hospitibus nocere numquam .
 An forte & gravis , & nimis molestus ,
 Ripa , nuncius est tuas ad aures
 Perlarus , tibi carmina infaceta
 Scripsisse illepidum tuum Columnnam ?
 Nimirum sapiensque , providusque
 Vitaſti ſubito & bene , & beate ,
 Ripa , perniciem , malumque magnum ,
 Quod venti horribiles Catulliani ,
 Nec ſæva æquiparant venena Ponti .

Ad Petrum Angelium Bargeum .

Angeli , unanimis mihi ſodalis ,
 Quod diu mea Muſa conticeſcit ,
 Ad te quæ hendecatyllabos ſolebat
 Sæpe ſcribere , non fuiſſe credas
 Me auſtum divitiis , honoribusque
 Nuper , quæ veteres ſolent amicos
 Fugare ex animo , & novos parare ;
 Ecquæ divitiæ beatæ , honores
 Vel magni Angelium meum ſodalem
 Umquam mi ex animo fugare poſſent ?
 Quem unum ſuſpicio , unum amo , atque laudo ;
 Non cauſæ hoc igitur fuiſſe credas .
 Vexatus jacuit tuus Columna ,
 Gallici rabie impotente morbi ,
 Qui furens mihi in intimis medullis
 Non ſolum Veneres , Cupidinesque
 Verum lætitiis , jocosque dulces
 Proſus expulerat , facetiasque ;
 Ut mox ne rabiem , luemque rurfus
 Tam ſævam experiar miſellus , acer
 Corrector Veneri , Cupidinique ,
 Cunctis deliciis , amoribusque
 Malim dicere plurimam ſalutem .

Francisci Columnæ Tumulus.

Franciscus jacet hic clara de gente Columnæ
 Maximus, ingenti sed genitore minor;
 Nam Lachesis teneræ (heu factum lacrimabile!) vitæ
 Illius impuras intulit atra manus;
 Quod si maturæ vidisset fata senectæ
 Tunc poterat magnos æquiparare duces.

Ad Prænestinos Adolescentes studiosos.

Felix qui magno discendi captus amore
 Nil admiratur, temnit mortalia cuncta;
 Non illi tristes curæ, non sæva cupido
 Excruciant animum, facili sed lumina somno
 Clauduntur, solum doctrinæ hunc excitat ardor,
 Solatur fessum præclara, ac vera voluptas;
 Quam numquam trabea insignes, opibusque superbi
 Gustarunt miseri fulgenti in sede tyranni.
 Vos igitur, quicumque boni virtutis amore
 Incensi superare jugum cœpistis iniquum,
 Pergite felices animæ; sic itur ad astra.

Ad Petrum Victorium.

Difertissime Petre, quod libelli
 Casæ & aureoli, & perlegantes
 Tuo judicio, & labore magno,
 Nec non & studio politi, & arte,
 In lucem veniunt: chorus bonorum,
 Doctorumque hominum fatetur uni
 Se debere tibi in dies magis, nec
 Umquam solvere posse; non quod illos,
 (Quos sane egregie colitque, amatque)
 Libellos peramet, colatque tantum;
 Sed quod non minimum tuo erudito,
 Victori, ingenio, atque liberali
 Thesauri cumulum additum perennem
 Admirans videt aureis libellis.



JO: MAXIMI CONSOBRINI




In Theonastasin Quintiani Stoe.

BRixia vicina est tibi Mantua, proximus iste est
 Virgilio, heroum carmen utrumque probat.
 Dissimiles tantum: novus hic, vetus ille. Maroni
 Des Christum, huic Troum bella, quid inde? pares.


FRANCISCI CORELLI


RAVENNATIS.




In Historiam Hieronymi Rubei.

DIcite, præstantes cives, pro munere tanto,
 Qui vestrum scripsit maxima facta patrum,
 Præmia quæ Rubeo fuerint, qui claret in omni
 Virtute, & claris nobilitatur avis?
 Non statuæ, aut arcus (hominū hæc monumenta priorū)
 Sed summis tantum quæ venit, Invidia.





LEONARDI CORICII.



AD VENETOS.

Floreat æternum Venetorum nomen, & Urbis
 Pareat auspiciis, Afer, Arabisque bonis.
 Proterat interea furibundi membra Draconis,
 Unguibus & laceret terga superba Leo.
 Terrorem incutiant Christi simulacra potentis,
 Crux animos adimat, crux fera corda domet.
 Prævia sint hujus, proceres, insignia vobis,
 Hac ducente domus tota Othomana cadet.
 Nunc animos, vires, fulgentiaque arma parate,
 Ne post vos segnes arguar ulla mora.
 Cum pater Æthereus castris educere turmas.
 Annuet, & rursus vellere signa dabit.
 Perfidix luet infidus (michi credite) pœnas,
 Et cadet in flammæ Turca ferox rapidas.
Tu quoque siderei mater veneranda Tonantis
 Tunc ades, inque hostes dirige tela tuos.
 At vos insignesque viri, fortesque manipuli,
 Quorum cæde salus parta, quiesque fuit,
 Nunc superis focii asciti, cœlestibus oris
 Prospicite, ut querulas fundimus ore preces,
 Inferimusque aris solemnia dona, novosque
 Vos tamquam colimus cernua turba Deos.
 Cœleste auxilium nobis vos mittite olympos,
 Latius ut victor proferat arma Leo.
 Imperioque Urbes addat, sublataque sceptrâ,
 Cypridos in primis Regna beata suæ.
 Sic egit, ergo Deum triplicem veneremur, & unum,
 Ille animi vires, robur & ille dabit.

Ille humiles tollit, trudit de sede potentes,
 Pauperibus donat, divitibusque rapit.
 Ille pios placido prospectat lumine, & æquus
 Adjuvat ille bonos, perdit & ille malos.
 Adriaci Regina potens urbs inclita fundi,
 Illius auspiciis barbara Regna domes.
 Infringatque minas hostis communis, ut omnem
 Perniciem vertens in sua membra cadat.
 Funditus hinc pereat Mahometis gloria, & alti
 Insurgat Christi nomen ubique sacrum.
 Urbs pia, clara, vetus, cunctos domineris in annos,
 Urbs decus Europæ vive, valeque diu.

*Eisdem de insigni Victoria, Turcarum Classe partim
 demersa, partim capta, a Christianis
 reportata.*


Vos mihi Castalides nunc aspirate sorores,
 Ferte pedem huc, vestræ pandite & artis opes.
 Dum præfracta cano violenti robora Turcæ,
 Nostrorumque addo fortia facta Ducum.
 Tu pater in primis, cui terra, & sidera parent,
 Aptata tuo huic operi suggere verba mihi.
 A te principium omne bonum, tua iussa secuta
 Nil, nisi quod placeat læta Thalia canet.
 Sumpserat arma ferox falsi Mahometis alumnus,
 Assuetus princeps subdere Regna sibi.
 Noverat & nemo quo verteret agmina sæva,
 Alma Venus Cyprum sensit adire suam.
 Surgit & Adriacam Dea tum descendit ad Urbem,
 Quam regnare diu vult pia cura Jovis.
 Divinum patres, populusque attraxit odorem,
 Percipit & placidum numen adesse sibi.
 Illa suo demum patefacto nomine belli
 Auctorem memorat, mandat & arma capi.
 Arma fremunt ergo pueri, fremit arma juvenus,
 Arma fremit vulgus, arma senesque fremunt.
 Remigio aptatur classis, tum milite forti
 Completur, ventis carbasa tensa tument.

Sulcantur subito æratis vada falsa carinis,
 Idalium petitur, celsa Paphosque simul.
 Impius hostis adest non æquis viribus, ultor
 Nam spernit Regum perfida corda Deus.
 Millia multa virum lue sunt confecta per æstum,
 Dum furit Idaliis Syrius ardor agris.
 Millia multa virum vindex Mars abstulit, Urbes
 Perdere dum mentis nititur hostis inops,
 Hostis inops mentis, nam quos Deus ipse tuetur,
 Perdere qui credit posse, furore agitur.
 Advenit interea Veneris cognomine clarus
 Præfectus classis, unica spes Venerum,
 Militiæ Venetæ decus hinc tellure marique,
 Quo duce nil metuit sacra corona patrum.
 Mars dedit huic ultro vires, Neptunus & ingens,
 Huic dedit ingenium culta Minerva suum.
 Auspice quo firmant animos juvenesque, senesque,
 Auspice quo Ausonidum jam revirescet honos.
 Ægæon quondam, nam qualis in aspera fertur
 Prælia, vel qualis Mars super arma sedens,
 Bella gerit Fabius qualis, qualisve Camillus,
 Marcellus qualis, hic fera bella gerit.
 Non impune ferat si quis ruat obvius illi,
 Seu pedibus miles, seu violentus eques.
 Austriadum sequitur decus ingens Janus avito
 Sanguine, tum gestis rebus ubique micans.
 Omnibus sic bellis assuevit victor abire,
 Fortunæ huic cœptis omnibus aura favet.
 Ductorem ergo, patres, tantum retincte, benigni.
 Obliget officiis gratia vestra virum.
 Irrita sic posthac jacentur spicula ab hoste,
 Sic Venetus victor signa inimica trahet.
 Viribus his junctis penetrabunt arma Leonis.
 Qua Nereus fluctu litus utrumque ferit.
 Pontificis sacri gestans insigne Columnæ
 Additur his ductor classe, virisque potens.
 Agmine sic triplici cœlesti numine freti
 Invadunt hostes, corda movente Deo.

Hoc duce Leucadio concurritur æquore, & hora
 Momento tumidis mergitur hostis aquis.
 Insolito timuit strepitu chorus omnis aquai,
 Et scopulos pavidus, concavaque antra subit.
 Abdidit ipse caput cæcis Neptunus in undis,
 Fluctibus & mediis ignea tela pavet.
 Non galeæ, clypeive tegunt, loricave athena,
 Agmina quin canis igne cumentur aquis.
 Unda tremit, pavido cœlum tonat omne tumultu,
 Jam dux, jam miles murmure surdus erat.
 Surdus erat ductor, nec jam tolerare calorem
 Vulcani poterat, ni Venus alma foret.
 Viribus illa suis flammam levat, illa flabello
 Sedula fessa ducis ventilat ora sui:
 Mavorti hoc placuit, timuit sed dura pericla,
 Imperat & subito tum procul ire Deam.
 Illa polum repetit servans pia jussa Gradivi,
 Dux aciem rursus vertit in arma ferox.
 Barbadicus adest animo Augustinus, & armis
 Inviçtus, classis cornua dextra ciens.
 Acriter hic pugnans transfigitur ore sagitta,
 Haud tamen abjectus; proterit hostis opes.
 Proterit hostis opes, patriamque tuetur ab hoste,
 Sanguinis at proprii prodigus ipse perit.
 Quo circa natos, Princeps solare relictos,
 Virtuti & tantæ præmia digna para.
 Sic animos acuet Veneræ pietatis imago,
 Sic renuet nemo sæva pericla pati.
 Affuit huic heros magna cum laude Quirinus,
 Cui virtute parem vix feret ulla dies.
 Tres simul hos inter fratres, Cornelia proles,
 Pectoris infracti signa dedere sui.
 Justior in favos dolor hos armaverat hostes,
 Dum Cypro illata grandia damna dolent.
 Invida sed tantæ virtuti fata fuerunt,
 Hora una heu miseros, una tulitque dies.
 Nulla tamen famam poterit delere vetustas,
 Splendor enim tantus obrutus esse nequit.

Mars furit inde magis, geminantur funera passim,
 Victores pariter, victus & ipse cadit.
 Multus ubique cruor mediis effunditur undis,
 Cana prius passim jam rubet unda maris.
 Ipsa super classem volitans Victoria nostros
 Excitat, iniiciens hostibus usque metum.
 Diffugiunt visu exangues, tremor occupat omnes.
 Tollitur horrendus clamor ad astra simul.
 Qualis in Ægæo ventorum spiritus alto
 Insonat, & fluctus littora curva ferit.
 Arma inter fumum cœlo rutilare videres,
 Præ strepitu ruerè & cuncta elementa putes.
 Non tulit instantem classem gens impia nostram,
 Sed conversa fugæ per freta falsa ruit.
 Incassum tollunt hostes insignia Lunæ,
 Incassum torquent spicula acuta manu.
 Non artes profunt, pereunt hortamina cuncta,
 Quin vertat nemo terga vetare potest.
 Christicolæ at proceres circumstant undique, & hostes
 Obtruncant, capiunt, hinc spolia ampla ferunt.
 Tradita sic nobis hilaris victoria tandem,
 Gloria sic Venerum jam magis aucta viret.
 Sicque refert ductor victricia signa Leonis,
 Sic viget imperium, Marce beate, tuum.





THOMÆ CORNACHINI.



Ad Petrum Gherardium.

SI meis Phœbus, genitusque Phœbo
Annueat votis, medicas docebunt
Stirpium vires, pariant salutem

Quæ tibi certam.

Namque doctrinæ, medicæque quidquid
Artis est nobis, repetis vel æquo
Jure, qui Phœbum colis, & sorores,
Candide Petre.


Te prius Græcæ, Latîæque linguæ
Noveram doctum, sôphiæque alumnum:
Sed modo ostendunt numeri disertum
Te quoque vatem.

Gratulor multum tibi, mi sodalis:
Gaudeo multum mihi, quod colente
Perfruar lætus socio Camœnas,
Et medicinam.

Nunc & immitis scabies fugetur,
Utque pruritus valeat, dolorque
Sit procul sævus, paro devoranda
Pharmaca quædam

Atque si, ut spero, cupioque valde,
Afferent dulcem tibi sanitatem

Hæc: cadet Phœbo genitoque ad aras
Hostia multa.





ANTONII CORNAZANI

PLACENTINI.

20 02

*Excell. & Potent. Reipub. Florent. de ejus Urbis laudibus,
& artissima amicitia cum invictiss. Mediolani
Principe Fr. Sfortia.*

Fessus eram, & vacuis residebam solus in arvis,
 Prorsus Apollinea nil modulante chely;
 Et me credebam (sed nunc scio fallimur) omne
 Præclarum mundi commemorasse decus.
 Cumque hæc afflaret tumidi jactantia cordis,
 Herbam inter sedi propter & amnis aquam.
 Et nunc spectabam quæ mens, quæ machina rerum,
 Quæque manus magnum volveret orbis opus.
 Sidera vidissem mirabar, meque rogabam
 Qua Deus his posset arte dedisse jubar.
 Temporis hinc dominos duo maxima lumina mundi
 Ducentes certa sæcula longa vice
 Sic ego factus iners; & corpus inutile Musis,
 Torpebam volucris prætereunte die.
 Ecce [nec unde liquet venit] sed lapsa repente
 Est Dea sollicita visa citasse manu.
 Et tamquam mecum corpus non corda fuissent
 Concutiens crebra mobilitate caput.
 Immemor en vir, ait, proprios ubi linquis honores?
 Surge, novum clari nominis instar opus.
 Excitor ad strepitus, repetitaque verba vocantis,
 Aspicioque animo vix redeunte Deam.
 Splendebat facies sub crinibus alba solutis,
 Castaque virgineus pinxerat ora rubor.


Par-

Purpureus dominæ cingebat crura cothurnus
 Et nitidum lauri florida ferta caput.
 Vestis erat quali se Cynthia luna colore
 Præstat, bisseuos cum nitet ante dies.
 Aut fuit ex quali spargunt se nocte pruina
 Per loca, Sarmathici quæ sine sole colunt.
 Illa tamen sequitur, nec me mirante filescit,
 Alliciunt mentem verbaque, & ora meam.
 Urbem reginam, cui nunc Florentia nomen,
 Arno jamque aliter dicta fluente fuit.
 Aspice, dixit, habes, cui jam tua carmina mittas
 Ultima, sed major hæc tibi cura datur
 Invenies illic juvenis (mirabile dictu)
 Serpentem proprio lacte fovere leam.
 Hanc circum parvi ludunt per septa leones,
 Pax simul una duos clausit, & unus amor.
 His ea nunc illos, nunc hos complectitur artus,
 Et cauda vinctos non nocitura trahit.
 Scribe, tuos versus plebs eventura nepotum
 Rem mirata novam, vatis amore leget.
 Hincque tibi clarum nomen promittit, Apollo
 Nuncia mandantis sum Dea, fide, Dei.
 Si tibi Phœbea spes est circumdare fronde
 Tempora, si proprii culmen honoris amas,
 Sume celer calamos, & quæ sic monstra ferarum
 Composuit, patriæ nomen ad astra refer.
 Parthenope, fateor magnarum sarcina rerum est
 Scribenda ob regis inclita gesta sui.
 Est ducis Insubrium, Venetum quoque maxima tellus.
 Lapsaque ponderibus Roma superba suis,
 Hæ simul & posset pars fat fore tantula vati,
 Orpheus hoc quamvis sponte subintret onus.
 Flos tamen Italiæ Florentia sola vocanda est,
 Et sibi conveniens unica nomen habet.
 Urbs ea si nescis, hac libertate potitur,
 Ut neque cœlorum sedibus invideat.
 Perge, pete Etruscos, sua florida mœnia cernes
 Plus tunc audito nomine certus eris.

Offeret hæc alto tibi se de monte videndam
 Prata per & flores dulce patebit iter.
 Aspicietque vias rectas quasi sine carentes,
 Subque oculis mundum nil nisi marmor erit.
 Et circum cernes æquata palatia cœlo,
 Quæ feriunt cellis æthera verticibus.
 Templaque sanctorum fidei congesta Deorum,
 Arte quasi ex sola quæ veneranda forent
 Ingenio, ut dicas, fatis hæc quæ fecit, & armis,
 Utere maternis, scis ea, carminibus.
 Dixerat, ipse manum movi, qua forte regebam
 Inflexum mentis debilitate caput.
 Et conferre simul, & multa rogare parabam,
 Cum specto, & lapsum jam mihi numen erat.
 Nescio quæ cœli hanc misit, mi stella, quod ultro
 Hos monitus vultu jam fugiente dabat.
 Tunc ego quo potui divam clamore secutus,
 Promisi hoc saltem condere iustus opus.

THOMÆ CORREÆ

ROMANI.



*Ad D. Pium V. Pont. Max. in Victoriâ partem
de Classe Turcica.*

SANCTE senex, cujus monitis, qui temperat orbem,
 Temperat imperii sceptrâ priora sui.
 Insignis pietate Heros, qui primus ab illo es.
 Qui magnum hoc mundi Rex moderatur opus.
 En tibi post domitas hostili ab littore gentes,
 Salva redit Scythicis classis onusta opibus.
 Quæ, duce, te sancto cojerunt fœdere puppes,
 Exuvias referunt, & spolia ampla Getæ:

Et majora parant faciles tibi gaudia Divi,
 Gaudia non priscis cognita temporibus.
 Assueta Adriacas pinus Getula per undas
 Vincere, jam victas subicit illa manus.
 Experta est justos gens pertruculenta furores,
 Et cecidit forti Thrax, Numidæque manu.
 Amissas luget prædatrix Africa puppes,
 Et Rhodos, & ditis qui colit arva Phari.
 Qui Hellepontiaco clauduntur gurgite, cæde
 Auditâ, triplicis classis ad arma pavent.
 Missaque ab Hispanis puppis, Venetæque carinæ,
 Et quas auxilio das, Pie Quintæ, rates;
 Ut primum Jonias victricia signa per undas
 Explicuere, Getas diripuere trabes.
 Quidquid est, per te partum est, ea gloria palmæ
 Tota tua est; per te tot coiere duces.
 Corripiant ut tela mones, contraria signis
 Signa ferant suades, pandere vela jubes.
 Opponant ratibusque rates: atque ensibus enses
 Distringant, jaciant ære tonante faces.
 Arma omnes uno ore fremunt; arma, arma Juventus
 Respondet: bellum suadet inire Pius
 Ergo ades, atque initum fœdus firma; impiger aude
 Pro sanctâ reges sollicitare fide.
 Et quos cœcordi junxisti nuper amore
 Fac durent; suade fœdus inire alios.
 Per te ineant acies, per te victricia figant
 Signa per extremos, qua patet unda, sinus.
 Perge ingens pietate Heros, Diis æmule, justum
 In bellum reges sollicitare alios.
 Te duce cana Fides vastum diffusa per orbem
 Conterat invictâ castra inimica manu.
 Jam video Libyæ compleri milite campos
 Ausonio, & cymbis æquora tota tegi.
 Jam video oblitis trepidos dare terga pharetris
 Sauromatas, contra dum tua castra ruunt.
 Prædatorem Asiæ victum video ante triumphos
 Electentem victas ad sua terga manus:

Urbibus Eois, totoque Oriente subactò
 Victores repetant ut sua testà duces.
 Adspicio gemino cretos sub cardine reges,
 Aut cadere ante aras, aut fera vincla pati.
 O quæ, magne Heros, ô quæ felicia surgunt
 Tempora Christiadis te duce, te comite!
 Non ego vana cano, sed mens præfaga futuri
 Indiciis certis fata reclusa aperit.
 O lux læta, o lux jucunda, o gaudia certa,
 Cum quacumque novæ tempora pacis erunt.
 Nam qui te tenuem elegit, penitusque jacentem,
 In partem imperii, sceptraque prima soli;
 Excitat ille humiles, elatos deprimat: idem
 Illis imperium sufficit, hisque adimit.
 Is tibi sceptrà dedit sceptris quoscumque subegit,
 Qui merito observant semper honore Deum.
 Cum peteret Regemque suum, Christumque negaret
 Gallia, & eriperet jusque piùmque piis;
 Pelleret a patriâ pietatem, & jura sacrorum,
 Et fureret Stygiis sæva Megera dolis;
 Tu custos, regumque Pater, Pie, qui pia semper
 Bella geris, nigris jurgia mergis aquis.
 Contra acies mittis, fulgentiaque instruis arma,
 Viribus opprimitur perfida turba tuis.
 Atque ubi supplicii subeunt genus omne nocentes,
 Fit Phlegetonteo præda, cibusque cani.
 Truduntur rabidi sub Tartara cæca rebelles
 Belgæ; mox sub te victa Granata fuit;
 Vera tot exuvias sub te pietasque, fidesque
 Tot spolia, & palmas, hoste cadente, refert:
 Et Divum effigies proprias statuuntur ad aras,
 Et templis sacræ restituuntur opes.
 Et juris, legumque redit veneranda potestas,
 Moresque in melius vertere quemque juvat
 Atque tuum, Pie, munus id est, quod quisque per orbem
 Inferat inferno bella inimica gregi.
 Vive igitur, Pie magne Heros, visure triumphos
 Finibus extremis quos tua castra ferent.

Tu tamen ardentibus stimulis in prælia reges
 Incita, & arma manu tu quoque fume senex;
 Arma preces, & vota quibus Deus annuat, arces
 Æthereas pulsent; hæc cape tela manu.
 Te duce sit fociis mens omnibus una, sit idem
 Semper amor, cæpti fœderis extet honos.
 Uno omnes animo in pugnam si signa sequantur,
 Stare quis hos contra, quis super esse queat?

*Ad D. Joannem Austriacum de classe Turcicâ
 Victoriâ partâ.*

Cæsaris invicti proles, quo principe subdet
 Thrax ferus Austriaco colla superba jugo;
 Tende ultra, & patrios æquent tua facta triumphos;
 Tende ultra, ulterius te tua fata vocant.
 Tende agedum ulterius, quo se tua gloria monstret:
 Principium hoc certum jam tibi monstrat iter.
 Perge bonis avibus rutilum Sol alter in orbem
 Prome caput; radiis splendeat æthra tuis

Eidem.

Macte animo, Austriacæ magnum decus addite genti
 Insequere, & factis infere facta tuis.
 Cæsaris ad fastos titulos adjunge triumphos,
 Adde triumphato victor ab orbe tuos,
 Hellepontiacus subdet tibi sceptrum Tyrannus,
 Regna Asiæ, & Libyæ, Thrax, Numidæque dabunt.
 Tu ne fige pedem, sed contra ardentior ultra,
 Perge Heros: gaudet te minor esse pater.

Ad eundem.

Si primo ingressu decies quater amplius Orco
 Mille Getas trudas; carbasa mille capis;
 Quid facies, ubi vela, Heros, sinuantibus Euris
 Verteris in Libyci regna opulenta soli?

Ad Selinum Sultanum Turcarum Regem.

In te dum, Sultane ferox, Aquila explicat alas,
 Et Piu., & Venetus comparat arma Leo;
 Intonuit lævum rerum ter maximus ille,
 Ille hominum rector maximus, ille Deum
 Et fœdus gratum esse sibi hoc ostendit apertis
 Indiciis, palmæ pignora certa dedit.
 Principio hoc, alios promittit mille triumphos,
 Mille notat palmas, mille trophæa parat.
 Si sapias, ergo tuis, dum fors fert, consule rebus,
 Et Christi suavi subice colla iugo.

Eidem.

Contraxit, Sultane, pavens sua cornua Phœbe;
 Dum contra volucrum gloria prima volat.
 Quid mirum? ardentem Solem quæ immota tuetur,
 Non adimet Lunæ lumina luce sua?
 Et quæ oculis spectat fixis Hiperiona Phœbes,
 Illa eadem spernet cornua fracta tuæ?

In eandem Victoriâ.

Vicinus ô cives, nostra est victoria: dicat
 Omnis, io, læto turba triumphæ sono.
 Perque vias, & testæ canat gens læta triumphos;
 Victori statuunt mille trophæa patres.
 Religiosa cohors lætis indulgeat hymnis,
 Et quisquis sanctâ pro pietate dolet.
 Sarmaticæ periere acies, periere carinæ,
 Missaque ab Ismario gurgite capta manus.
 Et quæ multiplici violenti cuspidis arcu
 Thracia fidebat, turbine mersa ruit.
 Victa Tomitano, quæ solvit ab æquore, classis,
 Victa Boristenio missa carina sinu;
 Et quæcumque Rhodo, quæcumque profecta Canopo,
 Et quæcumque freto venit ab Herculeo.
 Thrax sceleratam animam mediis effudit in undis,
 Grexque Helleponto lectus in arma, jacet.

Quod

Quod si quis justo potuit superesse furori
 Remigium ratibus per data transtra sedet.
 Sauromatæque Scythæque feri, Getulus, & Afer
 Purpureas Nerei sanguine fecit aquas.
 Sanguine pinguescunt pisces, depascitur artus
 Morsibus assiduis hispida turba maris.
 Joniisque natant inhumata cadavera campis,
 Plurima squammigero præda, cibisque gregi.
 Miratur rex ipse maris Neptunus ab imis
 Sedibus, & Thetys Nereidumque, chorus,
 Certatimque udum caput in sublime ferentes
 Tot strages Nomadum, funera tanta stupent.
 Cæruleus Triton, Phocique exercitus omnis
 Circum victrices itque, reditque rates.
 Tranquillamque viam classi, cedentibus undis,
 Ante vagus Glaucus per vada salsa aperit.
 Atque aliqua ex Nymphis, vastum quas continet æquor,
 Seu formosa Eryphe, seu Galatea fuit:
 Littora ad Hesperia juvenem dum spectat onustum
 Tendentem exuviis, Thrax, furibunde tuis:
 Dignus hic est dixit, quo nato Carolus ultra
 Invieta Aquilas mittat ad imperium.
 Cæsare magnanimo dignissima patre propago,
 Cæsaribus atavis, & proavis, & avis.
 Maximus ille armis Mavortia in arma paternas
 Ultra Aquilas victor, qua patet unda, feret,
 Ille feros animos justis compescet habenis,
 Quidquid ad Auroram sol ab Atlante videt.
 Et quidquid longe medium procurrit in Austrum,
 Quaque axi Arctoo frigida terra jacet.
 Namque hoc principium, quæ par fortuna sequetur?
 Qua regit, & qua sol exercit ora, patet.
 Cum regat immensum pondus, quod maximus Atlas
 Si subeat, dispar viribus ibit Atlas.
 Quem fore crediderim, postquam maturior ætas
 Crescet, & imperii sarcina major erit?
 Principio hoc longos reparat sibi nomen in annos,
 Atque auget titulos, & decus omne domus.

Hoc juvat æternos victorem emisse triumphos,
 Hoc famam stellis inferuisse juvat.
 Nam, quæ per terras, perque ultima regna vagatur
 Fama volans, partum narrat ab hoste decus;
 Nunciat, & belli palmas, & mille trophæa,
 Trusaque ad Eumenidum millia multa domos.
 Exuviis ornasse rates, cœpisse triremes
 Sauromatum, multos eripuisse jugo,
 Et plures Numidasque Getasque Daasque carinis
 Remigio in nostris substituisse docet:
 Ut palmis assueta olim, contraria votis
 Agmina senserunt, ut subiere jugum.
 Audiit hoc Europa decus, contendit ad Indos
 Hæc fama, & pondus qua subit orbis Atlas.
 Venit & ad Tanain, quaque arida culta Canopi,
 Ditat inundanti qui tegit ora luto.
 Venit & ad Gangem, gemmisque auroque beatum,
 Pactolum, & gelidis qua riget Albis aquis.
 Venit in adversum latus orbis, & ultima regna
 Terruit: hæc loquitur prælia dives Arabs;
 Ignivomosque arcus tormentiferasque pharetras
 Torserit in Libycas stirps generosa rates.
 Sulfureosque globos, & tela armata rotarit
 Ære cavo contra perfida castra Scythæ;
 Ut latè belli fragor audiretur, & acer
 Frangeret insolitus littus utrinque furor.
 Auditamque ululare imis e cautibus Echo,
 Et duplicare iterum classica pulsa sonos.
 Ceu quale exitium jaculato e nubibus igne
 Inducit terris, cum furit ira Jovis.
 Ceu quali furibunde trahis nemora alta fragore
 Sæpe ab Hyperboreis cum ruis, Eure, jugis.
 Ceu cum præcipites agitas stridore procellas,
 Cum fremis Icariis, Caure, proterve vadis.
 Felices sancto concordæ fœdere puppes;
 Fœdere Barbaricæ quo minuuntur opes,
 Quo Libyæque, Asiæque ferus populator, avitis
 Pulsus agris, discet vincla aliena pati.

Tempus erit cum digna fide, cum vera poëtæ
 Posteritas olim carmina certa leget:
 Cum domitum audierit leges mutasse Niphatem,
 Et dare jam victas ultima Bactra manus.
 Cedentemque Tibri Nilum, Gangemque & Hidaspem,
 Et Tanaim, & quisquis sceptrâ aliena colit:
 Indomitofque Daas, Morinos, pictosque Gelonos
 Viderit imperium, Roma, subire tuum.
 Tunc ego mille canam palmas, & mille triumphos,
 Partaque Christiadum mille trophæa manu.
 Teque adeo, ô Pie Quinte, canam, quo vindice durat
 Hispanos inter fœdus, & Euganeos:
 Ut sub Romanas veniat te principe leges,
 Quæ colit ignotos gens malefana Deos.
 Et te, maxime Rex. bene cui qui temperat orbem,
 Subdidit Europæ sceptrâ priora, canam.
 Vosque etiam ô Venetæ pulcherrima gloria gentis
 Inferam, & a Veneto nomine surget opus.
 Auratis circum puppes victoria pennis
 Adstat, & in vestris puppibus alta sedet.
 Crux, Aquila, atque Leo bellantum pectora firmant;
 Impia quis contra tres ferat arma Deos?
 Vos quis stare queat contra? quis fervida contra
 Austriaci juvenis spicula torta manu?
 At tu, quem propter classem regit ille, cruenta
 Bellaque quem solum propter, & arma gerit:
 Da pater, ut frenet populos, gentemque rebellem,
 Et subdat suavi regna inimica jugo:
 Et ferat exuvias Capitoli ad culmina, debet
 Quas Tiberi infidi littus utrumque maris.


Ad Hieronymam Columnam.

Ut caput auricomum nitidas attollit ad auras,
 O non de Pario ducta, Columna, jugo,
 Dicuntur Superi totis arsisse medullis,
 Blandus & irrepfit sancta per ossa calor.
 Juppiter incaluit, Veneris puer arsit, & æquè
 Incubat iste genis, incubat ille sinu.

Oblitus Daphnen, sequitur tua lumina Phœbus,
 Et juvat æthereas sæpe iterare vices.
 Cetera turba tibi dum casto arridet amore,
 Atque tuis pascit lumina luminibus;
 O quoties vellet formosi mœnia olympi,
 Et gravidum stellis deseruisse domum;
 At Cytherea Venus: nostras jam cedimus aras,
 Jure tibi, ô columnen Urbis & Orbis, ait.
 Cedimus: Æneadum jam te, mea cura, propago,
 Et Surrentini littoris ora vocet:
 Et quæ Sirenum generosa Neapolis audit
 Usque fonos, laudes audiat usque tuas.
 Jam Cyprus æterno, jam te Gnydus alta, Paphosque
 Inclita, odorati thuris odore colat.

Ad eandem.

Dum puer Idalius pharetra præcinctus, & arcu,
 Conicit ardentes regna per ampla oculos;
 Adspicit undantes per colla argentea crines,
 L_aminaque æternâ lucidiora face:
 Flammeolasque genas, nitidum mage pectus eburno
 Dente, & purpureis guttura picta genis.
 Obstupuit splendore novo, atque exterritus hæsit
 Obtutu; ambiguus quæ nova Diva fores.
 Deinde Deûm monitis causas aperire rogatus,
 Et dubiæ indicium promere mentis, ait:
 De forma dum tres ineunt certamina Divæ,
 Judice Trojano pulchra magis Genitrix.
 Judice me, si eadem renouent certamina; formæ
 Majestas uni huic convenit illa trium.





TH. ALEXANDRI CORTESII



Ad Librum.

Care liber, magnum qui jam volitare per orbem,
 Notus & argutis auribus esse cupis,
 Qui cupis Auctoi tectis succedere regis
 Numinis & proprius ora videre mei
 Qualiscumque mihi multo vigilate labore
 I felix Genio candidiore liber
 Neu blatta informi lædat rubigine, neve
 Tempus edax noccat, neu mala lingua tibi;
 Sic faveant Musæ, & studiis servata nepotum
 Quæ canis, hæc olim sæcla futura legant
 Quantus & Alcides, & quantus nomine Achilles,
 Matthias hominum pervolet ora meus:
 Matthias, Romanus honos; cui vertice sacro
 Pierias laurus bellica fert hederas.

*Laudes bellicæ Matthiæ Corvini, Hungariæ
 Regis.*

Iliacas alii flammæ, Thebanaque fratrum
 Arma, & Jafoniis insignem heroibus Argo,
 Astrorum cursus, & Ditis inania regna,
 Fictaque Pierio referant miracula cantu:
 Nos propriis spectanda oculis, nos inclita dextræ
 Facta tuæ canimus, quibus aurea sidera vivus
 Tangis, & æthereas famâ petis arduus arces.
 Sed sine te numquam, tenues ad carmina tanto
 Subsistant vires oneri; tu numine toto
 Dexter ades; da Mæroniam tua facta canenti,

Ma-

Matris Corvine, chelin: si Delphica parent
 Templâ tibi, sentitque frequens tua nomina Cyrrha:
 Si Musæ, si Phœbus amant; hoc tempore solus
 Carminibus si digna facis, quæ nulla vetustas
 Deleat, annorumque gravi situs obruat ævo.
 Quamquam absens tanto rerum splendore tuarum
 Excitor: assensu laudum procul omnia plaudunt
 Fortunæ momenta tuæ; neque clarius axe
 Lumen ab Arctoo micuit, sonat omnis ubique
 Nomine terra tuo, & famam vaga gloria cælo
 Terminat, immensumque ingens accedit olympum.
 Non hæc ingenio complecti, aut versibus optem
 Posse meis, cupido non si torrentia vati
 Pieridum sint ora novem sit ahenea lingua.
 Littoreas aliquis citius numerabit arenas,
 Parvaque per densum volitantia corpora mundum,
 Et tenues per inane globos, quam singula versu
 Expediam: potui satius tacuisse, furentem
 Ni dulcis raptaret amor, qui frena pudoris
 Rumpit, & immenso cogit decurrere campo:
 Conveniunt omnes quando tua cura poëtæ,
 Certatimque novas contendunt scribere laudes:
 Nec bene Romano de nomine Musa meretur
 Quæ tua facta silet. Regum tu maximus ille es,
 Et maris, & terræ domitor, tua fulmina passim
 Horret Hyperboræ regio Mæotica brumæ:
 Te duce tuta fides, tibi religiosa parentum
 Debetur pietas; in te fiducia duris
 Militibus sita; Threicii fera munera Martis
 Te penes; in te anceps belli fortuna recumbit:
 Tu vallum Italiæ, Romana palatia servas;
 Impia tu gentis contundis monstra prophanæ
 Bisaltamque, Scythamque ferum; tu Norica vincis
 Arma, & bellacem non uno Marte Bohemum;
 Tu mores hominum domitas, & jura per urbes
 Restituis; lapsisque potens succurrere rebus
 In faciem antiqui mutas mala tempora cultus.
 Verùm ego non hydræ magis indelebile collum,

Fœcundumque jecur Tityi consumere posse
 Desperem, aut Ixionias firmare rotatus
 Quandoquidem primo tantarum in limine laudum,
 Hinc decus hinc rerum incertam fert copia mentem.
 Ac veluti rubræ dubitat rimator arenæ,
 Quam prius è variis gemnam legat: ardet jaspis,
 Lucet onyx, viridi radiat fulgore smaragdus;
 In partes dubium varias, & singula circum
 Illium agit hærentem spectandi immensa voluptas.
 Nam quid principio referam? unde exordia fumam?
 Majorumne prius repetens exempla tuorum,
 Messalas atavos memorem stirpemque rogatam?
 Unde tuum magnis genus est auctoribus ortum?
 An patris Hunniadæ tot bella exhausta, tot annos
 Persequar? ut sævos toties disjecerit hostes:
 Fuderit ut dirum Taurim ad mœnia Turcam
 Nunc Albam appellant, albert quando ossibus arva
 Bistonis, galeæque micant, effossaque pila;
 Et madidæ humano pinguescunt sanguine glebæ:
 Sed genuisse tamen Matthiam gloria major,
 Quàm variis septem bellis domuisse trionem,
 Et tetigisse altum vicinâ fronte Bootem;
 Romuleæ decus Hunniadæ memorabile gentis:
 Quo duce Pannonium pulsavit sidera nomen;
 Non ullâ pro laude pater, nullisque triumphis
 Plus tibi res Italæ debent, quàm pignore tanto:
 Fulmina quod belli populo rediviva Latino.
 Et tanta everfis peperisti commoda rebus.
 Tu nato concede tuo; quantumque priores
 Vicisti tantum vinci patiaris ab illo.
 Non secus Æacidem proles Pellæa Philippum
 Fortior, & bello Peleum superavit Achilles.
 Sic vinci Anchises nato gavifus, & Ægeus
 Magnanimum læto miratus Thesea vultu.
 Atque equidem nasci Romano semine multum est.
 Matthia armipotens, aut horum fortibus actis,
 Et genus, & famam renovare, & fata suorum.
 Scilicet ante alios cursu Neptunius auras

Altius efflat equus, virtusque immissa propagat
 Indole diffusas cognata in pectora vires.
 In te crevit honos rerum successibus auctus;
 Et nova majorum virtus tua nomen obumbrat,
 Sola bonis contenta suis, nihil indiga patrum.
 Te vario casti venturum carminis vates,
 Te cecinit multo quondam pius ore sacerdos,
 Quique avium cantus, quique ardua sidera norunt,
 Aut qui divinum spirant sub pectore numen.
 Tum cœlum tua signa dedit, Phœbeaque lucem
 Natalem prædixit avis, cùm decidit æthrâ
 Annulus in gremium matris delapsus Elisæ.
 Ipsa sub umbrâ rosâ, fatorum nescia, quercu
 Carpebat placidam seclusâ in valle quietem
 Huic puer infans, utero quem languida pleno
 Gestabat, subitò fœtæ circum ubera vitus
 Ludere, & infantis, facto velut agmine, in ora
 Plurima præcipiti labentia flumina cursu,
 Pectore sub magno [dictu mirabile!] condi.
 Cùm subitò gemmam, digitis quæ lapsa jacenti
 Errabat, rostro præpes libravit acuto,
 Inque sinum celsâ demisit ab arbore corvus,
 Et leviter molli distinxit lumina pennâ:
 Excidit extemplo somnus; tum læta salutans
 Augurium, verbis supplex his diva precatur;
 Corve facer, longâ superis gratissime vitâ,
 Seu tu sponte venis nostri præfagus honoris,
 Seu pater altitonans cœlo te miit ab alto;
 Adsis, & tanto fortunes omine natum.
 Tu gentilis honor, cognomen nobile nostri
 Tu generis, te nostra ferent insignia semper,
 Parque aquilis toto venies victricibus orbe.
 At tu rex superum primis cui pugnat ab annis
 Hunniades, cui se se ultro devovit, & omnem
 Progeniem, quando eveniunt sine numine numquam
 Ista tuo; carum felici lumine fœtum
 Adspice, & auspiciis infomnia læta secundis;
 Ut quot ab innumeris manabant fontibus amnes,

Tot sint regna meo late parentia nato,
 Undique cœruleis circumdata regna fluentis.
 Hæc ait, & tacitis veneratur numina votis
 Pannonius quo more senex, aut Dalmata suevit,
 Qui desiderio cœli, terraque marique
 Longum iter emensus, tandem pervenit ad arces
 Maxima Roma tuas, & flexo poplite supplex
 Ardua clavigeri succedit limina Petri.
 Ipse pius tremulis titubantia murmura labris
 Integrat. ipse preces, & canâ fronte peractis
 Concretam votis exemit pectore labem:
 Non aliter cœlum Divosque precatur Elisa.
 At pater omnipotens melioris conditor ævi
 Proxima maturi repetens jam tempora partus,
 Atque animum castæ precibus commotus Elisæ,
 Hs incorruptam compellans vocibus ultro
 Affatur Mariam: quamquam facta impia cogunt,
 O mater, diro pœnas de sanguine sumam,
 Immittamque globos flammarum in viscera terræ,
 Et genus humanum deleto semine perdam.
 Jam pudet in nostras armari numina vires
 Quæ superis depulsa polis damnavimus Orco.
 En rursus fera bella cient rursusque gigantes
 Monstraque de superis audent decernere regnis.
 Pars quota terrarum restat mihi? possidet orbem
 Turca ferox Eurumque premit Magmedus, & Austrum,
 Nec patriam tantum Solymam. nec Acœica tantum
 Regna, sed Illyricum tenet, Epirumque superbus:
 Angusto vix tuta freto Roma inclita, Divum
 Roma locus. Roma imperii pulcherrima sedes.
 Quid memorem infandis tot diruta temp'la ruinis
 Dedecus in nostrum? versum fasque omne nefasque?
 Pollutamque fidem, & temeratas cœdibus aras?
 An frustra igniferâ torquemus fulmina dextrâ,
 Miscemusque cavis horrenda tonitura nimbis.
 Me tamen Hunniadæ pietas movet, actaque bello
 Fortia, & effusus nostro pro nomine sanguis.
 Sed quoniam emeritum jam pridem sede locare

Siderea certum est, & jam nunc filius illi
 Nascitur; hunc rebus bellantem imponere fessis,
 Hoc sævos ductore paro compescere Turcas.
 Ergo age tu, Lucina parens, tu maxima Juno,
 Da faciles matri partus, natumque rubentem
 Excipe, cumque suo vocem formaverit ore,
 Fac Turcas puer ille meas se juret ad aras
 Igne secuturum, & ferro terraque marique.
 Postquam alacres magnis vires firmaverit ausis,
 Is premat immanes invicto milite gentes,
 Aureaque Arctois componat iacula terris.
 Hæc ubi dicta, polus tremuit, tremuere cavernæ
 Tellurisque cavæ, & sonitum maria alta dedere.
 Palluit anguiferis impexus crinibus ora,
 Territus atque imo latuit Magmedus Averno;
 Ceu latet intonso pavidus sub gramine serpens,
 Vicina apparet quoties Jovis armiger æthrâ.
 Dulcibus is prædam natis rimatur, & acres
 Dat pennâ stridente sonos super aëra raptus;
 Ille anceps glacie torpet, latebrasque propinquas
 Intrat, & optatæ tumulo sese abdit arenæ.
 Interea caræ nullo languore parentis,
 Continuo in dias, ope numinis, editus auras
 Ipse puer, strictos primis vagitibus enses
 Complesti, in patriis repositi parvulus armis,
 Militis exceptus manibus, plautuque faventum,
 Odrysium tenero spirabas pectore Martem.
 Qualis ubi in curis genitus Jove mollibus infans,
 Elisit gemitos manibus Tirynthius angues.
 At tibi nascenti Fortuna innoxia plausit,
 Permultisque manu blandum Rhamnusia pectus.
 Adfuit Æneadam genitrix formosa Dione.
 Gradivusque parens atque Urbis Romulus auctor:
 Exoriare, inquit, nostro de sanguine tandem,
 Magne nepos, patriæ decus, & tutela ruentis.
 Quanta tibi placidi favet indulgentia cœli!
 Qualibus Ægoceros radiis! quo lumine Mavors
 Prospicit! & quanto rutilus Jove fulgurat æther!

Ingens Ætnæis stridet fornacibus ensis,
 Ingentem Siculi formant thoraca Cyclopes.
 En tibi jam rupes Vulcania tota remugit.
 Incipe, dive puer, tenero vibrare lacerto
 Tela virum: jam nunc animos ostendis avitos.
 Quippe his Scipiades oculis, hoc parvulus ore
 Cæsar erat, sic Corvinus mihi riserat olim.
 Adspice jam nostri quantum stat roboris instar
 Fronte tibi; & patrios effingis imagine vultus.
 Qualis eris, cum mæstus Arabs, cum territus Indus
 Cernet adhuc superesse meâ de gente nepotem,
 Ausit qui domitis toties juga ponere Dacis.
 Perge modò: non hæc equidem te oracula fallens,
 O spes Aufonidum & Romani nominis hæres.
 Dixerat: ipsa fovens gremio Tritonia Pallas
 Hastam insertabat dextræ, & Phorcynida lævæ;
 Et parvo auratum capiti diadema locabat:
 Ter lauro cinxere comam, ter blanda dedere
 Oscula ter lætæ cecinerunt omina Parcæ.
 Vix fari poteras, brevibus cum longa lacertis
 Tela dari torvus patre exultante petebas;
 Adfuetus clangore tubæ, atque hinnitibus ipsis
 Lætari, & galeæ flammis ardore coruscæ:
 At non armorum sonitum pugnæve fragorem
 Confertæ horrebas, gemitus, vocesque cedentum,
 Auribus intrepidis, tormenta que pectore fuetus.
 Audire impavido, cum faxea fulminis instar
 It pila flammiferi, sonitusque imitatur olympi
 Non amnis tumidi murmur, spumantiaque undis,
 Æquora, non rapidis terrebant flamina ventis
 Sic in Chaoniis generosæ vividus arvis
 Pullus equæ, visoque truci venaticus apro,
 Indolis ante annos catulus dat signa Molossæ,
 Post ubi paulatim crevit robustior ætas
 Atque metus expers adolevit corpore virtus,
 Non tergo, sed fronte vago notissimus hosti
 Jam volucres solitus cursu prævertere cervos
 Flammea vel celeris saltu vestigia damæ;

Tela.

Telaque nunc arcu, nunc saxa emittere funda,
 Ærea sulphureis tormenta incendere tedis.
 Murorumque frequens lapsam ingeminare ruinam.
 Ac velut Hesperium Pœnus cum presserat orbem
 Hannibal, aëriasque furens animola per alpes
 Et Pyrenæos raptaverat agmina saltus.
 O quotiens ausus vastos umbone molares
 Pellere, centenis quotiens occurrere telis,
 Intactas super ire nives fluviosque minaces,
 Et tumidum audaci pelagus tranare natatu.
 Cum trepidum genitor castris educeret agmen
 Ipse auctor pugnae stabas, & terga daturis
 Firmabas dubium rerum discrimine pectus,
 Cumque per insidias a tergo invaderet hostis,
 Et furtim missas tremere procul alba phalanges
 Vertebas strictis pavidas mucronibus alas;
 Ceu ferus Æneadas premeret dum Nervius acres
 Julius emicuit, raptaque a milite parmâ
 Restituit fusos media inter signa maniplos,
 Et quod defixum est Othomanni Regis in ore
 (Vulnere quo turbatae acies) tua dextera telum
 Torserat, auspicio parta est victoria tanto.
 Inde chorus Divum cœlique exercitus omnis
 Pro te bella manu telis infesta ciebant.
 Ipse pater Superum summo tibi Christus olympo
 Propugnator erat; jam tum pia numina voces
 Audivere tuas, & votis annuit æther.
 Ille Pharaonias summersit fluctibus alas,
 Ille & legifero Mosæ Deus affuit, undas
 Disiciens, mediumque viam patefecit in æquor.
 Nimirum Macedum populi, atque Alemannia pugnax.
 Adventu tremuere tuo, responsaque Divum
 Bosphorus, & Scythicis Hypanis procul horruit undis.
 Interea Hunniaden referentem signa cruentis
 Turcarum spoliis, ne quid mortalibus ultra
 Viribus auderet majus, revocare parabat
 Juppiter, & vacuo terræ decus addere cœlo.
 Isque ubi labentes artus, & frigida membra

Sensit, anhelantemque animâ fugiente juventam.
 Sic fatur moriens, dictisq; ita pectora firmat:
 Nate mihi vitâ semper jucundior ipsa,
 Flos regum nate Ausonidum lumenque future,
 Accipe, & hæc memori præcepta in pectore fige.
 Nam te qui supra est annis & vertice toto
 Fratrem fata mihi comitem dant mortis acerbæ;
 Jam prior mors atra ruit, quid lactea colla,
 Quid flavos calido conspersos sanguine crines
 Commemorem, heu tenero sanguis meus occidis ævo,
 Proiicis & truncum ferro ceu victima corpus,
 O dolor, o lacrimæ, dulcis Ladelaë tuorum,
 Tu cui felices ostendunt numina cursus,
 Qui patriam nomemque feres ad sidera nostrum
 Utere forte tua, nec fœdi carceris horror
 Terreat, aut duri imperium crudele tyranni:
 Inveniet fortuna viam, victorque redibis
 Quadrijugo insignis subjecta per oppida curru,
 Cum te Pannoniæ Regem te Misia, & altæ
 Noricus Illyricis mundus venerabitur oris,
 Successuque ferens, sese lætabitur omnis
 Armipotens Europa tuo, & caput efferet astris.
 Amplum, nate, tibi regnum, famamque relinquo
 Duratum castris Hunnum, assuetumque periclis,
 Qui nulli inferior genti pietate vel armis,
 Quique tuis numquam desit conatibus audax.
 Aude omnes tentare vias hoc milite, & omnes
 His belli contemne minas, puer inclite, dextris.
 Debellanda manu variarum horrenda ferarum
 Monstra tibi, & multæ diversis finibus urbes.
 Augendum bello decus & sudore paranda
 Gloria; nam magnos fortunant fata labores.
 Ergo nec somno indecori, nec tempora segni
 Perde situ, & patrem duris imitare sub armis,
 Incumbent alii Sarrano mollius ostro,
 Argutas tenui ducent de gutture voces
 Pulsabunt cytharam melius, saltuque choreas
 Intextent agili, & convivia lauta parabunt:

Tu bellare frequens, & vincere, nate, memento:
 Hoc tibi erit studium, regnique extendere fines,
 Exercere fidem, & contingere sidera factis.

Ingredere, & tantos jam nunc ordire labores:
 Jam nova pertentant moribundum gaudia pectus,
 Hæc memorans, dulci genitor dedit oscula nato,
 Et simul astrigeris conscendit in æthera bigis:
 Ælius ut Solymâ vates levis excitus aurâ
 Egit sidereo candentes igne quadrigas.

Obstupuit mediis agitantes in nubibus axem:
 Sublatumque polo nequicquam exclamat Elyses,
 Quo ruis, & dulcem inquis crudelis amicum?
 Sic pater Hunniades cœlo sese intulit alto,
 Tum Diva immenso regnum paritura labore
 Mitthæ fortuna suo, fratrem impulit acrem
 Ulcisci patrium ferro decus hoste preëmpto
 Iphius ante oculos Agelai Regis, & ora
 Ense virum necat, indomitum patrique parentat
 Audax Hunniadæ natus, nec jura, nec arma,
 Regalemve manum veritus, fœcesve tremendos
 Sumeret, ut meritas hostili a sanguine pœnas.
 At Rex Pannoniâ tremuit Germanus in aulâ,
 Infontemque dolis juvenem, & nil tale verentem
 Occupat, ac multo fœdatum vulnere sævus,
 Imperat, intonsâ caput a cervice revelli.

Heu pietas! hæret victis post terga lacertis
 Infelix puer, & crudelia fata moratur.
 Terque quaterque ferus nequicquam fortia lictor
 Colla ferit, crebrisque addit super ictibus ictus;
 Purpureo niveos humeros dum cæsa cruore
 Infecit cervix, & pulchros abluit artus.

Non lacrimas pueri, non plebs patriusve Senatus
 Continuit, tristisque necem flere catervæ.

Turpavit senior squalentes pulvere canos
 Danubius; gemuere alto sub gurgite nymphæ
 Et Rymphæa juga, & Boreæ glacie obsita tellus.
 Sed non ille diu casu lætatus acerbo est,
 Dum nova regifico celebrat connubia luxu,

Interit inter vina miser libata, dapesque,
 Lætaque lugubri turbat convivia planctu,
 Nil adeo certi miseris mortalibus usquam est.
 Tu, velut alternâ Pollucis morte redemptus
 Castor, Amyclæum stellis ostendit honorem,
 Et certam nautis tranquillâ luce salutem,
 Talis ades regno everso, patriæque ruenti,
 Cum primum lapsas miles tibi victor habenas,
 Et regni vaga frena dedit cervicibus ipsis
 In solium regale ferens, fractisque catenis
 Tradidit Arctœ late moderamina gentis.
 Principio infensas acies populosque rebelles,
 Impia non grati perjuria militis ultus,
 Sub iuga depresso misisti regia collo,
 Nec dum etiam primo vestibat flore nitentes
 Barba genas, cum læta tuos victoria currus
 Circumit, & virides substravit gloria lauros.
 Prima triumphales fronti concessit honores
 Seditio pacata tuæ, prima impulit armis
 Discordes late gentes frenare severis.
 Nec mora Sidonio longe spectabilis ostro
 Sacra facis, sacrasque Deum veneraris ad aras.
 Vocalem, veluti fama est, Davida tonantem
 Placavisse Deum, teneri fundamina regni
 Dum jacet, & puram sacris fert curribus arcam.
 Macte animis, & care tuis cœlestibus heros,
 Qui sanctâ imperii pietate exordia firmas.
 Non vires, non arma magis, legumve potestas
 Religionem valent: mundum terrore subactum
 Hæc regit, hæc sævas moderatur numine gentes.
 Protinus hostilem ductor capis acer Jafam,
 Inviçtumque doces vinci certamine Turcam,
 Ac prius indomitum, fugientia vertere cogis
 Terga ducem, nec te belli vis ulla, nec ullus
 Impetus avertit durâ obsidione prementem
 Mœnia, disiectis donec patefacta ruinis
 Intraſti curru victor sublimis ovanti,
 Et magnam infandis rapuisti ex hostibus urbem.

Sed dum perfequeris victricis præmia pugnae,
 Ultoreſque trahis jurata ad prælia Divos;
 Dira ſuperſtitio patrias invaſerat urbes:
 Huſſius huic auctor quondam nec templâ, nec aras
 Erexit Superis, & quæ conſtructa manebant
 Diruit impius, infelix ac pelte cruentâ
 Triftia periuræ maculavit mœnia Pragaë,
 Multaque de Superis demens infanda canebat.
 Hinc ortæ monſtris facies, bacchataque paſſim
 Prodigia Herculeis non contemnenda lacertis,
 Theſiphones atræ ſtimulis accenſa fremebant.
 Nec contenta ſuis jam pridem finibus ingens
 Bellua, Pannonias ſpiris involverat ambas,
 Mille manus illi fuerant, & cornua mille,
 Et totidem intortis armabat colla colubris,
 Cum procul obſeſſas regni circumſpicias arces
 Tartaræ labis tabo, ſic protinus orſus:
 Quid Thracum ſequar indomitos, Arabumque phalanges,
 Quos terra, & vaſtis dirimit mare fluctibus altum?
 Monſtra domi vincenda mihi majora ſuperſunt,
 Inteftina mei populatur viſcera regni
 Sacra lues, propiuſque hærens in limine labes.
 Indigetes Divi, patriæ tutamina noſtræ,
 Et tu ſanctorum columen, Stephane inclite, Regum,
 Si me cana fides, pietasque illæſa ciere
 Bella jubet, mediis que artus opponere telis,
 Nunc precor o Superi ſinite hac me ſternere dextrâ
 Prodigium, diroque manus fœdare cruore:
 Nunc ſinite his terris ſcleratam avertere peſtem.
 His dictis, monſtrum patriâ vi perdere adorſus,
 Non clavâ accinctus, non in certamina pelle
 Veniſti, rigido pugnatum eſt undique ferro
 Undique commiſſæ cumulatâs ſtragis acervos
 Cernere erat: tepidas Odææ cruor inſicit undas,
 Involvitque ruens labentia corpora vertex.
 Pars flammis ambuſta ſonat, piceoque crematur
 Igne lues, nigris lucent incendia buſtis,
 Et ſparſos rapiunt cineres in nubibus Euri.

Ergo victa tuis portenta Bohemica telis,
 Tempora victrici flaventia fronte coronat.
 Præceduntque duces onerati colla cathenis,
 Atque sacerdotes cœtu comitantur honore
 Florentes visentem urbes, & vota sacramentum.
 Aurea cæsaries humeris volitabat eburnis
 Lætaque purpureâ flagrabant ora juventâ.
 Qualis ubi auricomos eduxit Lucifer ignes;
 Vere novo roseus rutilo Sol enitet astro:
 Sic formæ splendore nites, clarisque verendæ
 Virtutis bellique notis, ô nobile Martis
 Nomen adoratum! ô terrâ decus omnibus ingens,
 Jura manu, pacemque geris, viridesque triumphos,
 Et scelerum ultores educis in agmina Divos.
 Imperium tibi grande comes, tibi regna, laborque
 Clarus, & insignes generoso vulnere mortes,
 Bello jura Getis, bello data jura Britannis.
 Parta quies populis, & vitâ gloria major.
 Adde tot erectas urbes positosque colonos,
 Tot pacata fero late loca vasta latrone,
 Æquoraque investas quondam per inhospita merces.
 An memorem junctas diverso a littore gentes?
 An notas rerum causas, sedesque locorum
 Et mores hominum & variæ commercia linguae?
 Hoc cœlo Alciden, victoque Oriente Lyæum
 Extulit, hoc Persas, Pœnos, Gallumque potentem
 Romanosque tuos, & te, fortissime Princeps.
 Qui nunc extremis Europæ victor in oris
 Immanem avertis Tyrrenis urbibus hostem.
 Salve certa salus rerum, pater inclite Mavors,
 Certa virum: tibi nunc æternæ laudis honorem
 Invictumque cano Romano carmine Regem.
 Quod si nascentis vixdum Cortesia Musæ
 Orsa juvent, dicique meo dignabere versu,
 Matthia, incipiam rursus, & primordia laudum
 Exequar, exemptus vulgo, doctasque per auras
 Ipse virum longos vivax volitabis in annos.
 Nox cælum interea nigris involverat alis

Et placido miles laxabat corpore somno,
 Strataque per terras animalia fessa jacebant.
 Rex vigilans animo curas, casusque futuros,
 Et rerum ingentem volvebat pectore molem,
 Extemplo Latiis juvenis cui fulgidus armis
 Visus adesse procul, Martemque accendere dictis:
 Care nepos, potes hoc tardare ingentia cursu?
 Fataque, fortunamque tibi, quæ tradita custos?
 Imperio Superum magnis accingere rebus,
 Pugnandum meliore Deo, servandaque rursus
 Roma tibi, & generi rursus data gloria nostro;
 Adspice me tanti qui sum cognominis auctor,
 Cui quondam galeâ corvus confedit in istâ.
 (Cornigerumque alte quatiens caput) eja age segnem
 Rumpe moram, & tantis, sanguis meus, utere fatis.
 Hæc fatus cristis fulgentibus exiit arma,
 Telaque terribilem nodis, ac viribus hastam,
 Insignemque enses, atque iterum sic ore profatum;
 Accipe digna tuis tandem virtutibus arma,
 Quæ tibi tam multos olim servata per annos,
 Hæc Cytherea suo quondam dedit aurea nato,
 Hæc soliti gestare patres, his fortiter usi
 Dum stetit imperium, sed postquam a culmine lapsa
 Roma ruit, passimque omnem distracta per orbem est,
 Occului mecum Elysiis arma inclita campis
 At modo Sicaniis iterum Vulcanus in antris
 Firmavit, crassumque oris superaddidit aurum.
 Hæc tibi do, generis lux ô clarissima nostri,
 Ne dubites acres in prælia poscere Turcas:
 Indue, & Ausoniam factis fer ad æthera famam.
 Talia narrabat, croceo cum flava serenum
 Ore ferens aurora diem pulsabat olympum,
 Sensit & ambrosio respersum rore nepotem
 Deserit, & cæcæ nocti se immiscuit heros.
 Matthias monitis, & tanto munere lætus
 Singula miratur, rutilis radiantia flammis,
 Et galeam, & clypei longe venerabile textum.^s
 Nunc illustre caput vestit, nunc brachia, lato
Nunc

Nunc humeros, aptatque altis accommoda membris,
 Et solito magis armorum fremitu æstro:
 Qualis ubi Etruscis Volaterræ in sinibus urbis
 Ætnæo par flamma jugo de rupe cavatâ
 Exilit, adspirant Boreas si forte, Notusque
 Sulphureos tum terra vomens eructat acervos
 Acrius, ignescuntque magis per nubila flammæ,
 Sibilaque ingeminant latrantibus effera saxis.
 Ex illo assiduis vitam traducere castris,
 Matthia, & duris statuisti incumbere rebus,
 Arma cibos, dant arma toros, placidumque soporem.
 Instratus clypeo, nudoque in cespite carpis.
 Contemptam ne sitim referam, somnumque, famemque?
 Concretas sudore comas, spretosque calores
 Ac rapidos longis superatos solibus æstus,
 Frigoraque Arctois devicta rigentia brumis?
 Mollities alios, turpique ignavia luxu
 Lenta juvet, tenerisque quies ingloria plumis.
 At te artes tractare juvat Mavortis, anhelum
 Qui melius te frenat equum? quis flectit in orbem
 Ocyus? his stimulis agitari mallet Arion,
 Te sessore ferox pensaret Cyllarus acrem
 Castora, pensaret te Persea Pegasus ales.
 Quem Bellona magis rutilâ tegit horrida parma?
 Ægide quem tantum Pallas fulgente tuetur?
 Cuive suum toties Gradivus commodat enses:
 Quis dura invictæ dextrâ quatit acrius hastæ
 Robora? cui pectus thorax animosius ambic?
 Æneas non major erat, non divus Achilles,
 Ambo animis, alacres armis cœlestibus ambo,
 Quis vaga castra locat te cautius? opprimit hostem
 Durius? aut cingit melius munimine vallum?
 Aut premit obsessas bello constantius urbes?
 Quis patrios latos de more agitare per agros
 Ponere, quis junctos sciat aptius ordine currus?
 Scis tormenta hosti venturo adversa locare,
 Et loca fluminibus vicina, & pinguibus arvis
 Deligere, & duplicem castris deducere fossam,

In quamcumque libet faciem componere pugnae
 Agmina, sive tua placeat, seu lege priorum
 Omnia militiae calles documenta severae
 Quin genus armorum varium, & quo quisque superbit
 Ense minax, qua vi telum, qua torqueat hastam,
 Pectoraque, & latos quo tegmine munit armos.
 Callida Sertori, & Regis mens vasa Molossi
 Talis erat virtusve senis matura Camilli.
 An tu Cantabricis Cimbrorum septa manipulis
 Castra perhorrescas, aut juncto Gotthus Alano,
 Aut conjurato si Vandalus aspera Pæno
 In te bella ciant? an quisquam eludere testis
 Lætetur te posse dolis, telisque fugare?
 Firmior undisonis scopulis, quos impete frangunt
 Auster, & insanis nequicquam fluctibus æquor.
 Obsistit bellis animus, casusque futuros
 Præfagâ cum mente videt; vis corporis acres
 Strenua belligera sternit virtute cohortes.
 Ac velut obscura densus caligine nimbus
 Qui varias atrâ concepit nube procellas
 Post ignes rutilos, & crebra tonitrua, præcepit
 In silvam per inane ruit, magnoque fragore
 Frondiferas avium sedes, atque alta volucrum
 Culmina perpetuum geminans quatit ictibus imbrem;
 Et rapido tonsos prosternit turbine ramos,
 Nulla equidem raræ monumenta ingentia pugnae
 Egrediâ te clade latent: Marathoniam nosti
 Bella, Saguntinasque faces, Cannasque, Padumque,
 Et quanto Leucas, quanto Cathelonica tellus,
 Æmathii quoties rubuerunt sanguine campi.
 Ergo rudimenta, & corruptæ munera firmas
 Militiæ, ut bello teneris affuescat ab annis,
 Ut se se ad varium fingat certaminis usum,
 Et parere ducum dicto matura juvenus
 Discat, & injusæ fugiat discrimina pugnae;
 Jussa eadem infestis hosti concurrere telis
 Ardeat ire ferox, curvo seu tendere gyro,
 Aut sit opus recto, aut firmo decernere gressu,

Sive

Sive urgere procul jaculis, seu cominus ense;
 Ire ducemque sequi legio per vulnera discat
 Sive pedes, sive asper equo procedit anhelò,
 Tentarit seu valle viam, sive ardua montis
 Per juga, seu cæcis sylvarum anfractibus erret:
 Annosum veluti cervi ramosa ferentem
 Cornua, Strymoniaëque grues super atra sequuntur
 Nubila ductorem, & certo procul ordine cingunt.
 Tum vero assensu felix exercitus alte
 Conclamant vario: dubiæ jam nulla timemus
 Fortunæ te Rege mala; & te extrema jubente
 Æthiopum impavidi ferro penetrabimus arva:
 Tecum fluctifonis capita objectare periclis
 Non pigcat; tecum diris obsistere monstris,
 Et proprios piceis artus opponere flammis,
 Aut qua lethiferas muralis machina glandes
 Spargit, & excussis creber sonat aëre telis
 Scorpius, innumeræque volant per spicula mortes.
 Talia magnanimo fundebant pectore dicta,
 Et quocumque ruas penitus te quisque ruentem
 Prodigus in strictos animæ comitabitur enses:
 Ut tener insuetas juvenis, cui pectore flammæ
 Ignis alit, caraque animis in virgine fixis,
 Ille mare in medium, medios ille ibit in ignes:
 Intrepidus cum jussit amor, cumque impulit æstus,
 Proiciet dulcem per mille pericula vitam,
 Optabitque suâ dominæ placuisse ruinâ.
 Et quoniam solers vires industria firmat,
 Horrida continuis exerces corpora bellis.
 Si quando siluere tubæ, valloque refixo
 Agmina sedatis jam captant ocia rebus.
 Venatum interea studiis flagrantibus itur:
 Tum miles positis vibrat venabula pilis,
 Tum nemorum canibus saltus, atque avia lustra
 Circumit, & vastis figit pecora abdita silvis,
 Indicitque feris alio certamine bellum.
 Mœnia seu vacuus pacatis urbibus intrat,
 Multaque belligeris edit spectacula ludis,

Aut ferit ense virum vir cominus, aut petit hastâ
 Eminus; armorum conflictu pericnat æther,
 Vicinæque procul silvæ montesque reclamant.
 Qualiter indomiti longis per compita tauri,
 Quos trahit implicitos laqueis Romana juventus
 Agmine cum toto Capitoli in vertice pugnant,
 Sic juvenem curvis elatum cornibus alte
 Excutiunt, ac more pilæ super æthera jactant;
 Tum vero arrectis animis Æneia pubes
 Incessunt, magnisque implent clamoribus urbem,
 Tum vaga per septem resonant murmura montis,
 Præterea valido franguntur robora nixu,
 Ictibus, & sonipes tantis collisus utrimque
 Ingemuit, fuis equites labuntur habenis
 Semineces, rubroque lavant fora lata cruore.
 Facta virum trepidæ mirantur fortia turbæ,
 Pectoraque invadit pavor, & miserabile murmur.
 Martia ceu magnis urbs quondam effusa theatris
 In ferrum audaces vidit concurrere turmas;
 Avertit largo mæstos a sanguine vultus,
 Plurimaque exanimi matrona expalluit ore.
 Quisque sibi dubiis hinc te fortissimus optat
 Rebus habere ducem, tecum majoraque bello
 Audet, & in pugnam violentius ardet Erynnis;
 Et magis horrendo duce te Mars intonat ore.
 Nam quid lecta canam generosæ robora pubis?
 Quisquis Parrhasia fama celebratur ab Arcto
 Te colit, & multo compulsus nomine gaudet
 In partes transire tuas, tuaque arma fovere.
 Haud equidem magnâ defunt qui Stentora voce,
 Qui cursu Ajacem, qui viribus Hæctora vincant,
 Non unus tibi Tydides, non unus Ulysses
 Militat, heros posthac veneranda vetustas
 Parcior, heroumque duces extollat Atrides.
 Non his, Matthia, modo formidabilis armis,
 Militibusque venis, nec te follertia tantum
 Victorem, aut duris facit experientia rebus:
 Sed quod prisca fides, pietasque, Ascraeque virgo

In pugnas te læsa ciet, quis justius arma
 Induit, aut pacis studio mage bella capeffit?
 Cauſſa Deo præſente ipſo ſtat in agmine victrix;
 Una tibi quando ante alios defenditur omnes
 Relligio, ſequiturque ducem felicibus auſis
 Conatus comitata tuos: ipſa unica bellis
 Urbibus, ipſa tibi præſes, tecum ipſa volentes
 Signiferosque in bella trahit memoranda penates.
 Quippe aliquis Superum turmas circumvolat ordo
 Arma inter: fiunt ignes, flagrantia fiunt
 Fulmina grandiferis ventique, imbresque procellis,
 Ergo numinibus fidens, & nobile vaſto
 Munitus patriæ virtutis robore peſtus,
 Cuncta tuis veluti ſubſidant viribus arma,
 Nulla oblata feri detrectas prælia Martis,
 Et nullum pugnæ vitas genus acer iniquæ;
 Occurriſque hoſti, vel inundent milite montes,
 Obvia vel denſis peditum ſeges horreat haſtis,
 Ecce autem a Stygio Furiarum prima baratro,
 Bella ferens flammæque Aſiam bacchata per omnem
 Threicium juxta demiffis Boſtphoron alis
 Conſtitit, urbs magnis ubi curvo in littore fatis
 Spartano fundata duci ſe ſe erigit illic
 Gens effrena fero quondam cognata Gelono,
 Maſſageæ, Turcæque horrendo Marte fremebant.
 Impius & Grajo perſuſus ſanguine peſtus
 Arcem inſtaurabat domita jam victor in urbe
 Magmedus, quem ſucceſſu fortuna ſecundo
 Cœperat ignavo captum corrumpere luxu.
 Hic juvenem trifti virgo Cocytica vultu,
 Patris Amurathæ in faciem mutata, labantem
 Increpat, & lævas dictis ita ſuſcitatur iras:
 Ergone quem neque bella valent, neque, nate, labor
 Inuictum ſuperare, quies, atque ocia frangent?
 Non ita te cædes inter, pugnaſque cruentas
 Erudii attritus galeâ pater: eripe paci
 Te, nate, & bellis immanibus infere bella.
 An tibi bellorum præcium ſit vile Corinthus?

Tunditur Euboico quæque inclita marmore Calchis;
 Scodraque Dalmaticæ pudor? en procul aspice in armis
 Æmulus Æneadum quantus tibi sanguine surgat
 Matthias: hujus fatis contraria nostris
 Fata vides, sævo juvenem prius opprime ferro,
 Pannoniam patrio quam firmet robore gentem.
 Solus hic infirmo poterit ni sternis ab ævo
 Fortunæ promissa tuæ rescindere fata.
 Illius auspiciis fufum te vidit, & armis
 Taurinum; vidit cujus stat fronte cicatrix.
 Vulnus an hoc umquam vulnus patieris inultum?
 Quid pater Hunniades, quantis me affecerit olim
 Cladibus, & diræ memorem discrimina mortis?
 Diripe jam factis lacerum crudelibus hostem,
 Teque simul, patremque tuis ulciscere bellis,
 Et satura infenso majorum sanguine manes;
 Tantarum si te ulla movent præconia laudum.
 Dixit, & ardentes oculos suffusa cruore
 Tænareas imo fixit Dea pectore flammias,
 Et scelus, & geminos per viscera concutit angues:
 Dein pennis invicta atris super agmina belli
 Eumenis, inferno signum canit improba cornu,
 Et victrix Erebi subito se reddidit umbris.
 Illi atrox mediis rabies insueta medullis
 Sævit, & infano Stygius furor æstuat igni,
 Ægraque letiferum sudant præcordia virus.
 Tum vero laxis præceps Othomanus habenis,
 Æolus ut cæcis ventos emittit ab antris,
 Agmina per terras effundit, & omnia late
 Arva ferox animis numerofo milite complet.
 Ac velut obscœnis Maurusia terra locustis
 Cum tegitur, nigroque alarum obducitur imbri,
 Una agros glomerata omnes tot millia vastant,
 Et lætas densa populantur grandine messes:
 Sic in Dalmatico confedit littore Turca.
 Haud ego crediderim juvenum tam multa secuta
 Millia Cambysem Lagæa in regna furentem,
 Aut Xersem Ægæo minitantem verbera ponto.

Hæc

Hæc inter Scythicâ Rex implacabilis irâ
 Talibus incendit ductoris pectora Lydi:
 [Illum propter Halym, Baccho concepit Amazon
 Mixta Deo, mixtumque illi dedit Ombrina nomen]
 Magnanime antiquum Divum genus, inclite bello,
 Ante alios Halibacche meis fidissime regnis,
 Dum me Dalmatico nequicquam Scodra tumultu
 Infelix tenet, i sævis tu Pannonas armis,
 Corvinumque impelle ducem, licet ille superbos
 Jactet avos, patriisque insultet viribus hostis;
 Tu juga Danubio, Breucisque impone subactis.
 Novi ego quos animos ingenti pectore verses;
 Turcarum decus; imperii spes maxima nostri,
 I celer, & spoliis redeas ornatus opimis.
 Extemplo Illyricis ductor se Lydius oris
 Intulit, aut Euro Icariis cum pugnat in undis
 Aut Coro similis, magno cum murmure frangit
 Herculeam Calpen, serpentiferumve Athalanta.
 Non illum aërii montes, non alta retardant
 Flumina: concedit Macedo, Mysusque, Triballusque
 Impiger, & Turco calcantur milite Carni.
 Verum ubi collatis acies Corvina furenti
 Obvia processit signis, atque agmina contra,
 Matthias Tyrio emicuit Romanus in ostro.
 Tum primum trepidare animi, atque avertere vultus
 Ductor Amazonius, cœpitque indigna suorum
 Fata queri, bisque infauftis assultibus amens.
 Vix celeri pervectus equo, sese agmine fuso
 Proripuit, bis terga fugæ dedit obrutus hastis.
 Ut se reliquias inter collegit, & omnes
 Palantes trepidus toto videt æquore turmas.
 Multa gemens, cœlumque obtestans vocibus insit:
 Quis Deus his, Magmede pater, quæ tanta tuetur
 Matthiam Superum facies? quid nostra relinquis
 Signa? quid in primo mentem certamine turbas?
 Non hæc auspiciis olim sperare jubebas.
 Heu heu, quot periere viri, quot clara meorum
 Lumina sunt extincta ducum! da dedecus istud

Ulcisci pater, & dignas me fumere pœnas.
 Hæc fatus, toto vires parat acer ab orbe,
 Et majore virum vi percitus emicat ardens,
 Ac veluti primi victus certamine cursus
 Acer equus, rursum curâ firmatus herili
 Capit iter, mediisque effert sese arduus arvis,
 Et palmam, & raptos incassum exposcit honores:
 Talis se bello Mæandrius intulit heros:
 Quo, vesane, ruis fatis male fretus avitis?
 Matthiâ sternente cades, nec mater Amazon,
 Corniger aut genitor morientem juverit Evan.
 Interea magno celsam muniverat arcem
 Aggere Laurinum contra, curvamque bicornis
 Ille Savi muris ripam firmaverat altis,
 Non his audacem passus consistere Turcam
 Finibus; obsessas admoto milite turres
 Vi capis, & captas radicibus eruis imis;
 Nec te, Matthia, belli vis ulla, nec ullus
 Impetus avertit dura obsidione prementem
 Mœnia, dejectis donec patefacta ruinis
 Intraisti curru victor sublimis ovanti,
 Et validam infandis rapuisti ex hostibus arcem,
 Tum vero obnixis animis Basterna juventus
 Ante arcem toto concurrunt agmine versam:
 Terque quaterque duces incunt mala prælia Turci,
 Effusique pedem retro impellente dedere
 Pannone, tum disiectæ acies resoluta phalangis,
 Et tristi compago ruit per vulnera casu
 Inclinat turbata cohors, undantiaque urget
 Agmina: per medios volitans Rex Hunnicus hostes
 Agminis ipse instar totius, millia letho
 Multa dat, & vastam diversâ strage ruinam.
 Quæ postquam extremo prospexit ab agmine ductor
 Lydius, & versis nescit succurrere rebus,
 In cuneum coiere duces, nec jam amplius ulla
 Cura fugæ est, foedâ squalent arva omnia clade.
 Tum demum jubet ira truci decernere ferro,
 Et decus, & carâ mortis pro laude cupido.

Evolat infelix, cœlum, divosque precatus :
 Bacche pater, mundi quondam regnator Eoi,
 Quisquis es, & cœli quacumque in parte moraris,
 Extremam, si me genuisti, hanc accipe vocem :
 Non ego jam ulterius genitor, non ulla reposco
 Effugia, haud superasse velim tot cœdibus unus
 Teitis, & in patriam gentis pudor ipse reverti :
 Jamque vale; tuque ipse tibi cape funere tanto
 Devotum hoc, Magmede, caput, juvat ire per enses ;
 Degenerem nec me ulla olim damnaverit ætas.
 Hæc memorans densum properat moriturus in agmen.
 Interea nigro quantos demittit Averno
 Ille viros? quot calcat equo? quot trajicit hasta?
 Quis mihi, dux invicte, tuæ nunc fortia dextræ
 Facta canat? stupuit mediis Rex Martius arvis
 Prœlia miscentem, & geminantem vulnera ferro.
 Tunc inter gemitus magno sic ore minatur :
 Quò te dira lues, verique ignara Tonantis
 Relligio, miserum quo te rapit improbe? lethum
 Quin potius fugis? atque equidem jam septima promptū
 Te potuit fecisse fuga, aut si tanta cupidò est
 Morte tuos majore sequi, sequere, inquit, & enses
 Fulmineum assurgens adigit per pectora dextrâ .
 At juvenis tanti prostratus mole lacerti
 Thermoodontiacò resperisit sanguine terram
 Lapsus equo, dulcemque animam vomit ore cruento,
 Infelix, seu æterna manent incendia fontem,
 Seu diræ exercent in te tormenta sorores,
 Lætior hac Stygiæ dextrâ fugis ictus ad umbras
 Hic oritur cædes, faciesque miserrima pugnæ,
 Arva rubent alto late stagnata cruore,
 Plenaque sanguineis crescunt torrentia rivis,
 Et loca corporibus complentur tristia truncis.
 Ut cum Phlegræis genitor Saturnius arvis
 Terrigenas contra fratres stetit, atque flagranti
 Corripuit telo Enceladum, simul ad Styga trusit
 Centimanum Briareum simul anguipedem Typhona.
 Bis septem vacuo Turcarum millia campo

Alitibusque, ferisque jacent data pabula diris.
 Ut procul heu tantum congesta strage cadaver,
 Sævaque magnanimus vidit spectacula Princeps,
 Utque arvo stetit in medio; sat cara superque
 Sæviturum est clamat, legio jam parcite victis;
 Si quisquam cladi superest, sinite ille super sit
 Nuncius, & Scythico referat mea facta tyranno.
 Tum genibus terram amplectens: tibi maxime vota
 Christe Deus toto solvam non immemor ævo:
 Tu puerum regno insignem, clarisque triumphis
 Auxisti, fortuna mihi te præside læta est
 Successu interea tali da, sancte, superbos
 Excutere Aufoniis longè cervicibus hostes:
 Hæc ait, & magnâ responfant voce cohortes.
 Ut primùm tantæ cladis, per nubila raptus
 Pervenit pavidas Othomanni rumor ad aures,
 Hic velut instaret tergo, & jam castra teneret
 Pannon Illyrico properans jactantior Istro:
 O nimium Turcis: Matthia nate, ruinis,
 Exclamat, quantâ fraudas mea nomina laude
 Tum secum illæcristans Scodram obsidione repente
 Liberat, & Grajis subitò se reddidit oris:
 Qualis Hyperboreum pennâ crepitante columba
 Accipitrem fugit, & præceps in tecta revertit.
 Quod nisi civilis revocasset fata tumultus,
 Nunc tota imperio pareret Mysia nostro;
 Sub juga Turca ferox nec tot gauderet adacta,
 Urbibus insultans miseris, nec strage cruentâ
 Tam multis vacuas viduasset regibus oras.
 Scit Carnutus ager, Turcam scit Mysia tota
 Cùm premeres, quanto torquebas turbine telum
 Fatifero, cædens disjectas ense catervas:
 Ceu secat incurvus flaventes messor aristas.
 Talem belligerâ miscentem prælia malâ
 Crinibus, & vastis fretum Samsona lacertis,
 Sæpe Palæstinas fama est mactasse phalanges.
 Ipse ruens rapido per strata cadavera cursu
 Cæforum informes cumulis addebat acervos

Pulsabatque acies malâ stridente coruscas,
 Quot natos flere patres, quot dulcia matres
 Pignora? quot viduæ raptos in bella maritos?
 Quid modò quàm caute nosti ductare catervas
 Commemorem? aut pugnae quæ captas tempora? quave
 Componis cuneos, quave instruis arte maniplos?
 Seu densas, campo explicuit seu totus aperto
 Ordinibus longis sectas exercitus alas?
 Ut solet adclivem per collem ponere vites
 Agricola innumeras; tum recto limite passim
 Mille vias, & mille vias fecat, omnis in unguem
 Structus ager sudibus, canisque palustribus horret.
 Hinc fregisse morâ nemo est te promptior hostem,
 Fortiter & duri tolerare incommoda Martis:
 Insonni celsâ qualis de puppe magister
 Velivoli fluctus pelagi qui noverit omnes
 Quâ lateant rupes, ubi ferveat æstus arenis,
 Unde ruant imbres, ventorum unde ingruat agmen:
 Surda prius taciti scrutatur murmura Ponti,
 Æoliamque auras captando providet iram,
 Armata & ad quæcumque parentur prælia sese.
 Sæpe nemus, fluviumque, & inexuperabile dorsum
 Humano quâ pressa pede vestigia non sunt,
 Ense viam faciente subis, properandaque fuetus
 Maturare, hostem securo in limine segnem,
 Ante expectatum vicino Marte lacesis.
 Ergo vagus toto peragrat quem Sarmata tractu,
 Quem Geta, quemque Aquilo glacialibus obruit alis,
 Ut procul insonuit Corvini nuntia latè
 Fama ducis, linquunt tauros, & aratra coloni,
 Aviaque aversi se se in deserta relegant
 Pastores, errant incustodita per agros
 Armenta, at curvis trahitur casa pendula plaustris,
 Diique Lares, frugesque, focusque, & parva supellex.
 Sæpe puer caræ nutricis ab ubere pendens,
 Continuit querulos audio nomine fletus.
 Quinetiam subito partum, clangore tubarum
 Territa, abortivum ruptâ nurus edidit alvo,

At non & celeres raptantem in prælia turmas,
 Territa deseruit carum Regina maritum,
 Italidum Regina decus, cui luce micantes
 Sidereâ flagrant oculi, cum dulce decoris
 Extulit os, formosa genis, velut æthere puro
 Roscida puniceis oriens Aurora quadrigis.
 Non satis est castæ mores, studiumque Minervæ
 Non satis ambrosios Veneri rapuisse capillos.
 Et plenas puero pharetras, & lumina Phæbo,
 Musarum fruitur donis, decimumque sedile
 Implet, Amazonios audax æquare labores,
 Et comes armatos it tecum fida per hostes.
 Qualis per densas acies Mithridatica conjux,
 Magnanimum sequiturque virum, tergoque recepta
 Acris equi tenditque arcus, & spicula vibrat,
 Atque huc atque illuc circumvolat omnia, solum
 Respiciens, soloque oculos in conjuge fixa;
 Et secura sui caro timet illa marito:
 Haud aliter generisque memor, laudumque priorum
 Millibus in mediis ardens pharetrata Beatrix,
 Robur Aragonium tenero sub pectore versat,
 Ingentesque subit curas, ingentia facta
 Femina, femineis majoraque viribus audet.
 Talibus excitus patriis non degener armis
 Undique collecto tota jam milite victor
 Regni mole paras crudelem expellere Turcam,
 Thraciæque Aufoniis avertere tela volatis.
 At te finitimis bellatrix Austria regnis
 Impulit invitum sævis accingier armis,
 Atque alio vires alio, convertere ferrum.
 Quid mea plus æquo clamantis vota moraris?
 Quam male consultum rebus Fortuna secundis?
 Quid me sæva tenes? ineat dic fœdera Cæsar
 Quâ ratione, velit, dum patria jura supersint,
 Quæque tot ingenti bellis dititione paravi,
 Tuta domi sint regna mihi; jam nulla recusem
 Prælia, nulla necis, fatique horrenda pericla.
 Ibo per Ambracios saltus, & Pontica scindam

Æquora, & Argolico com nittam signa sub Isthmo,
 Prostrernensque Dacos, & sævos Jazigas armis,
 Mœnia tormentis quitiã Byzantia nostris:
 Nulla mora est, gelido tremuit conterrita vultu,
 Quam gestas fortuna sinu; nihil hiscere contra
 Ausa, tuam geminis cervicem amplectitur ulnis;
 Occultumque animis pugnandi inspirat amorem,
 Atque novum molitur opus, nova bella ministrat.
 Heu quantum infelix lacrimarum, atque Austria quantũ
 Sanguinis effundes! quid bellum insana lacestis?
 Num te desidiæ tædet, vitæque prioris
 Ocia degeneri fugis illaudata veterno?
 Quo duce, si mentem bellorum gloria tangit,
 Tu melius toto fieri potes inclita mundo.
 Quam fuerat satius victorem admittere Regem
 Mœnibus, & nullos contra tolerare labores,
 Ecce triumphatã jam nunc cervice recumbis,
 Et piget ingratis tantum durasse periclis.
 Scilicet illa tuis, Matthia obsistere demens
 Viribus optabat, quem non compage nivali
 Caucasæ rupes, Rodopæaque saxa ruentem
 Sustineant? cui terra patet, cui panditur æther?
 Cui via per medios aperitur in æquore fluctus?
 Pone modum lacrimis, nec solum Roma Quirites,
 Marcellos jacta, & Fabios, & nomina prisca:
 Corvinos, Mariosque refert en magnus avitos.
 Matthias virtute duces, & fortibus ingens
 Patricios æquat factis bellator honores.
 Nam velut exarsit raptã pro conjuge in iras
 Taurus, ubi, & duris acuit sua cornua faxis,
 Et pedibus jam spargit humum, jamque ora cruentus
 Terrifico terram mugitu, & sidera complet,
 Talis finitimos bellum molitur in hostes
 Matthias, quaque arma trahit, quaque agmina ducit
 Omnia debilitata labant, ceu mœnia vastis
 Arietibus concussa, quid aut castella relicta,
 Aut desolatas versu nunc prosequar urbes?
 Quid memorem ... acies, pugnataque bella,

Germanosque bono superatos milite montes?
 Nec non Danubii victricia signa ferentis
 Mille altum ingentem contactam navibus alveum?
 Aut quid marmoreæ dicam expugnata Viennæ
 Mœnia, & oppressas tantis conatibus arces?
 Et longa insignem partum obsidione triumphum?
 Atque novam nuper tam magni nominis urbem
 Ardua disiectis curvantem brachia muris
 Adiciam? jam nunc spoliis vestire decoris,
 Et postes & templa juvat, juvat humida ferre
 Serra coronatis victrici fronde capillis.
 Urbs equidem vigili nunc primum libera cura
 Solvitur, & festis ornat delubra corymbis,
 Ipsaque lethiferi nutrix Germania belli
 Palladiæ crines ramis præcingit olivæ.
 Incedunt patrio princeps de more Senatus,
 Et plebs, & niveâ velatus veste sacerdos,
 Exemploque tuo solvunt pia vota per aras,
 Et sacra unigenæ peragunt solennia Christo.
 Per fora, perque vias passim diffusa juvenus
 Ingreditur, cessantque operum, artificumque labores.
 Ipse triumphales inter victa agmina, pompas
 Lætus agens, curruque rotis investus ahenis,
 Quadrijugo procedis ovans, plaususque frementes
 Excipis ingenti, cum te clamore salutat
 Miles, & armisonis complentur vocibus auræ.
 Jam videor rutilas auro spectare curules,
 Et regale auro solium, argentoque superbum
 In medio populis te dantem jura subactis.
 Quanta quies animo! diris circumdatus armis,
 Pacem fronte geris, quam formidabile nomen
 Hostis eras, tam dulcis ades præsentia cari
 Principis, in te omnes, in te mirantia figunt
 Lumina, & oblitis immoti sensibus hærent.
 Pœnitet exacti per tanta pericula Martis
 Conclamant: validis cui propugnacula muris
 Clausimus, & duras ærato cardine portas?
 In quem tam multos bellum produximus annos?

O uti-

O utinam vallo trepidam cum cingeret urbem
 Nota ducis pietas, placidi spectata fuisset
 Majestas vultus, ultro in sua castra ruentes
 Issemus, tantis summissi colla trophæis.
 Hæc ubi dicta; citos Virtus auriga jugales
 Ducit lora ferens, & læto candida vultu
 Pone sequens Fortuna Deam comitatur ovantem:
 Una eadem Fas, atque Pium vectantur in axe,
 Atque Honor, & niveis volitans Victoria pennis:
 At chorus Aonidum cytharâ modulatus eburnâ
 Mille modos, totum vertunt a fontibus imis
 In laudes Heliconæ tuas, & flumina Dirces.
 Ipse egomet, vario laudum distractus honore;
 Obrutus, & captæ blandâ dulcedine mentis
 Confusus, stuped, nec sum, mihi crede, furorî
 Lætitiæque satis: cunctos æquare poëtas
 Ardeo, & Ausoniis superare Æneida plectris.
 Pars quôta, sed rerum, Matthia, est illa tuarum
 Nam superant cœptis majora audacibus, & quæ
 Nunc facis, & quæ venturos moliris in annos.
 Ac veluti si quis studeat cohibere tumentem
 Eridanum, aut septem geminus cum creverit Ister,
 Noctes, atque dies incurvas ægere ripas
 Agricola incassum metuens felicibus arvis
 Munit, & obducto circumdat flumina vallo;
 Illi exundantes sinuoso gurgite latè
 Objectam superant molem, campoque positi
 Qualibet obiicibus bacchantur in æquore ruptis:
 Non aliter quicumque tuas describere laudes
 Dicendô cupit, ingenti stupet ille labore
 Irrita pertæsus tantarum exordia ferum.
 Calcatafne loquar glacies, pulsafque crebris
 Æquora quadrupedum pedibus? vitreasque per undas
 Candida fluminibus tentoria fixa gelatis?
 Aut perlustratas referam tot cûrsibus oras?
 Tot loca tam multis vulgo exornata trophæis?
 Ac vario latè fusos discrimine Dacas,
 Illyrios, Mysosque, securiferosque Polonos?

Et domitum fractis jam pridem cornibus Albim?
 An procul expulsos Nomadas, ferasque luentes
 Pastores rupto Siculos pro fœdere pœnas,
 Trinacriæ Siculos quondam Scythiæque colonos?
 Fortia magnanimos præbentes colla Volachos,
 Qui referunt prisca Romanam ab origine gentem?
 Turcarum an servile jugum; populisque paratum,
 Proh dolor! Hesperiiis, dominæque minantia Romæ
 Fracta tuâ tot tela manu? gentisque nefandæ
 Addam Dalmaticis tot strata cadavera campis?
 Magnanimus veluti Libycis regnator in arvis
 Cum dirum fremit ore leo, si forte laceffit
 Venator, seu dura fames impellit in iras;
 Dant quercus, dant saxa locum, fugit æquore toto
 Segne pecus, trepidæque feræ spelæa requirunt;
 Æstuat ipse sui vindex, ac cæde cruentus,
 Mactat apros, vario lacerat certamine tauros,
 Unguibus, & volucres Lynceas discerpit aduncis:
 Ora madent sanie, & fulvos cruor irrigat armos.
 Mira fides: cristis quoties flagrantibus ardens
 Involitas, celsaque micæ cervice tremendus;
 (Ut cùm terrifico Mavors horrentia cursu
 Bisthoniis terit arva rotis) victricia tecum
 Fata trahis, Divûmque omnes, hominumque favores.
 Ipse ferox oculis volucrem spirantibus ignem,
 Instructos latè cuneos, sinuataque lustras
 Cornua disponens peditumque, equitumque catervas:
 Tum te pulsa tremit magno cum murmure tellus,
 Bellatorum avidum stimulantem pectus equorum.
 Nec mora terribiles cùm primum ad sidera torvum
 Intonuere tubæ, cùm se clangore vicissim
 Increpitant; prior adversus ruis acer in hostes:
 Quaque invadis atrox, & quâ vi fervidus instas,
 Nil te ferre valet, tanto conamine præceps,
 Funditus obtritas acies procul impetus auferens,
 Thracius haud aliter Boreæ cùm spiritus atris
 Nubibus, & pelago incubuit stridentibus alis;
 Fit strepitus quâ parte ruit, cœlumque fretumque

Proripiunt cæduntque minis : ille agminis instar
 Diripit horrifero volitantem flamine mundum :
 Atque ubi crudescit furiarum verbere cædes,
 Et fera viperco sævit Bellona flagello,
 Non secus aggeribus ruptis torrentia torquent
 Saxa simul, simul omne pecus, silvasque natantes.
 Non impune tibi quisquam venit obvius ultro
 Irritatque acres animos, iramque laceffit.
 Namque minax vultu, requiemque, moramque perofus,
 Sanguineum perrumpis iter, per tela, per enses,
 Sternis agros, quatis infensas terroribus urbes :
 Quale viam rapidum mediis ubi rupit ab astris
 Fulmen, & aërios disiecit turbine montes ;
 Concussæ reboant turrets, urbsque alta remugit,
 Et precibus pavidæ cumulant altaria matres.
 I nunc & sæcli laudatrix fama prioris
 Hesperiam mirare fidem, atque ingentia Regum
 Nomina Gallorum, & raptos Orientis honores,
 Non Atilæ fortuna prior, non Gothica laurus,
 Germanumque decus, nec victo major Oronte
 Matthiâ Saladinia erat, nec Græcia Reges,
 Nec Babylon quos alta tulit, quosque horrida laudat
 Africa, quos tepidi mirantur flumina Nili.
 Quæ regio laudum, Matthia, ignara tuarum ?
 Qui locus est usquam ? Tanais te sentit, & Arctos,
 Te Gades, Scotusque sonant, te cælifer Atlas,
 Eousque tuo turbatur nomine Ganges.
 Quin prostrata ducum concedant facta priorum ;
 Imperio quemcumque suo Byzantia tellus,
 Aut Romana dedit, fretus victricibus armis
 Transierit licet Euphratem, & superaverit Indum.
 Nec verò Ægides tantis sese extulit actis,
 Centauros ferro Lapythos, & Cressia quamvis
 Mactarit monstra, & Stygium concusserit orbem,
 Nec Libycam secuit qui Gorgona, quique Chimæram
 Ignivomo rapidas efflantem gutture flammam ;
 Nec qui Colchiacum nudavit vellere Phasim,
 Ausus inassuetâ primum freta scindere puppe.

Præferri jam nemo potest tibi jure; superbis
 Semideos armis æquas, & solus in omnes
 Heroas jam stare potes; lux temporis hujus
 Militiæque parens, & belli gloria, magnis
 Laudibus obscuras veterum miracula rerum.
 Salve Martis honos, Martis genus, optima bello
 Dextera, Romanis majoribus æmula virtus,
 O felix nimium soboles, felicia quæ te
 Tempora, quæ talem tantum tulit inclita tellus!
 Non magis aut Phœbo Delos, aut Creta Tonante,
 Aut gemino pugnax Lacedæmon gaudeat astro.
 In freta prorumpens septena per ostia magno
 Gurgite dum fluctus Ister turbabit amarus;
 Dum patriis Latix Musis memorabile linguæ
 Vivet opus, divi nullo periturus in ævo
 Matthiæ durabit honos, nec nominis umquam
 Deficient monumenta sacri, venturaque quondam
 Sæcula palmiferos delebunt nulla triumphos.
 Scilicet Eois olim subnixæ columnis
 Mausolea ruent, altosque æquantia montes
 Marmora Pyramidum scindet longæva vetustas.
 At tua venturi vatum celebrata nepotes
 Carmine facta legent, & sero traditus ævo
 Notus eris ducibus decus, exemplarque futuris.
 Christe pater, tuque ætheræ qui janitor aulæ es,
 Qui Vaticanum, & Latialem respicis urbem,
 Si benefacta juvant, & nominis ullus aviti
 Restat honos, date felici pia numina cursu
 Longævas in luce moras, placidamque salutem,
 Et rapta imperii referentem sceptræ Latini,
 Ne prohibete Italas Orienti imponere leges.
 Quamquam stelligeri toties plaga candida cœli
 Te revocat, cupide jam pridem celsa morantur
 Astra, novum Arctoo sydus factura Trioni;
 Tu potius præsens hominum labentia cura
 Facta diu, lentoque levis pete sidera gressu;
 Dum magnis majora paras intexere rebus,
 Affectasque viam merito sublimis olympo.

Quip-

Quippe (ubi tot terrere Italas successibus urbes
 Pergit, tam multis elatus Turca triumphis,
 Classe natat tanta victor freta, maximus orbem
 Hesperium timor ingenti formidine pulsat)
 In te spes arrectæ hominum, curæque repositæ:
 Ut cum cæruleis tempestas imbribus orta,
 Collectas glomerat nubes, ac turbine nigro
 Præceps jam ruitura, fatis, silvisque minatur;
 Si fax disiectos rutilis Titania nimbos
 Cœpit equis afflare, neque irrita vota feruntur.

JO: FRANCISCI COSTÆI

LAUDENSIS.




Quicumque est gravioribus solutus
 Curis pauperiei, honoris, auri;
 Quem non sollicitat Venus, Mavorsque;
 Cui si est anxia cura litterarum,
 Commiscere juvat severiori
 Interdum studio lyram, & Camœnas;
 Quem spreta urbe nimis negotiosâ,
 Nunc per florida prata divagati;
 Nunc montes superare; nunc aquosa
 Delectat peragrate, nunc in imis
 Telluris penetralibus supremæ
 Naturæ intima dona quæritare;
 Nunc vel fallere aves libet doloso
 Visco, vel laqueis fens, vel hamos,
 Nassas, retia, piscibus parare.
 Hæc si contigerint cuiquam: & ille
 Sit vitæ integer; & Dei memor sit,
 Illi est parva quies, beatus ille est.

JOAN.



JOANNIS COTTÆ

VERONENSIS.



Ad Lycorim.

A Mo, quod fateor, meam Lycorim,
 Ut pulchras juvenes amant puellas.
 Amat me mea, quod reor, Lycoris:
 Ut bonæ juvenes amant puellæ.
 Huic ego, ut semel hanc videre visus
 Se se ostendere fixiore ocello?
 Quando, inquam, mea lux mei laboris
 Das mi præmiolum? meique cordis
 Tot incendia mitigas Lycori;
 Hic illa erubuit, simulque risit;
 Ridebat simul, & simul pudebat:
 Dumque molliculos colens amores
 Colit virgineum simul pudorem,
 Quid negem tibi dixit? & capillum,
 Qui pendens levibus vibratur auris,
 Et formosa vagus per ora ludit,
 Hunc secans trepida, implicansque in auro:
 Hæc fila aurea, & aureum capillum
 Pignus. inquit, habe meique amoris,
 Meique ipsius: hoc tuum puellæ
 Tuæ pignore lenias calorem
 Eheu quid facis? heï mihi, Lycori,
 Hæc sunt flammea rexta, non capilli:
 Sunt hæc ignea vincla, ni relaxes,
 Qui tanto valeam valere ab æstu,

An ne ignem juvat ignibus perire?
 Comæ flammeolæ subite flammas:
 Crines igneoli venite in ignes:
 Sat me flammea vincla nexuistis:
 Nunc vos solvimini, & subite flammas,
 Uffistis nimis ignei capilli:
 Nunc vos urimini, & valete in ignes.
 Hos meos age lætus ignis ignes
 Perge extinguere, tuque flamma flammam
 Exedas, mea corda quæ exedebat.
 At tu, sic reliqui tui capilli
 Vernent perpetuum tibi, Lycori:
 Quod tuos ferus usserim capillos,
 Parce: nam volo amare non peruri.

Ad Lycorim.

O factum lacrimabile, atque acerbum;
 Nunc certe lacrimaberis, Lycori,
 Digna res lacrimis, tuoque luctu.
 Namque lumina nostra, lumina illa,
 Illa lumina, quæ, Lycori, amabas,
 Quæ tuis solita anteferre ocellis,
 Non sunt, ô mea lux, amanda ut ante.
 Non sunt lumina, sed malæ tenebræ.
 Illa, ut impia fata te, Lycori,
 Abstulere mihi, tuoque longe
 Mea vultu voluere abesse caro.
 In rivos abiere lacrimarum:
 Quodque amarius, atque præter omnem
 Lacrimabile cogitationem;
 Quantumcumque habuere lacrimarum,
 Jam pridem evomuere: nunc ad ipsum
 Ventum est sanguinem, ab intimoque cordis
 Ducto flumine turgidi, horridique
 Sanguinem lacrimant miselli ocelli;
 Et cum sanguine amata diffluit lux,
 Ac sic enecuerit seque meque,

Dum meum miseri igneum furorem
 Quærunt diluere, & rigare mentem;
 Heu mentem, Enceladi, Typhœique
 Æstuosâ animâ æstuosiozem.

Epitaphium Quinterii.

Me longè effigie venustiozem
 Narcisi vel Apollinis comati
 Parcarum Lachesis nimis severa
 Isti Quinterium dedit sepulchro.
 Cur non flosculus exeam, requiris,
 Cum tantum fuerim puer decorus?
 Tellus est nimis arida, ô viator,
 Nostri facta perustione amoris:
 Sed si lacrimulis tuis madescet,
 Forsan flos novus ibit e sepulchro.

*Ad Naugerium, & Joannem Baptistam
 Turrianum.*

Jam valete boni mei sodales,
 Naugeri optime, tuque amice Turri,
 Vere candidi, & optimi sodales,
 Quos numquam fat amaverim, licet vos
 Quam fratres mage, quamque me ipsam amarim:
 Quibus perpetuum frui per ævum,
 Vota si mea Dii audiant benigni,
 Sit una ampla animi mei voluptas:
 Quod quanto cumulatius futurum est,
 Una si liceat mihi beatis
 Vestri colloquiis adesse Bembi.
 Verum dura necessitas repugnat,
 Invitumque alias adire terras
 Cogit, atque alios parare amicos.
 Vos ergo, memores meo esse vestri
 Fixam in pectore imaginem, bonamque
 Vobis partem animæ meæ relinqui,
 Jam valete boni mei sodales.

Ad Guevaras fratres.

Ridete, ô lepidi mei Guevaræ,
 Et vestri facinus probate Cottæ,
 Dum suæ Anyfius mihi puellæ
 Partem pernegat, hunc ego a puellâ
 Huc in exilium ad Caloris amnem
 Traxi blanditiis, bonisque verbis;
 Quasi ad delicias novas vocarem.
 Hic hunc molliculum, atque delicatum
 Probe testibus, arbitrisque vobis
 Apici volo macerare in æstu,
 Uiso ut ore, peraridoque vultu
 Reversum, tenera horreat puella,
 Sic evenit Anyfio, quod ajunt,
 Tota perdere tota qui requirunt,

Ad Anyfium.

Ambo dulcia, ne verere, & iidem
 Salsa scribimus ambo, docte Anyfi,
 Scis quæ? uti sumus uno amore juncti,
 Uno carmina scribimus libello:
 Scis cervum quoque, quem sibi educarunt,
 Suum ut Silvia delicata virgo,
 Nostri filiollæ boni Guevaræ:
 Ille tam cupide illa devoravit,
 Ut omni sale falsiora, & omni
 Posses noscere dulciora melle.
 O testem lepidum, bonique Anyfi
 Raram carminis approbationem.

Ad Calorem fluvium.

Ocelle fluminum Calor, Calor pulcher,
 Calor bonarum cura, amorque Nympharum,
 Quem cærum fovens caput sinu blando

Montella secum amore vincit æterno,
 Dic ô mihi amnis conscie, an ne nunc forte
 Pulchra illa, simplexque adeo, & omnibus felix
 Soluta curis mea Rubelia per ripas
 Tuas oberrat? & vel ex odoratis
 Pingit corollas floribus, vel in densâ
 Silvâ sibi suavi sopore blanditur?
 Anne potius cum æqualium choro ludit,
 Qua primum oriris ipse, quaque miscetur
 Nitens nitenti Balnius Politinæ,
 Tuosque læti confluunt in amplexus?
 Argenteumque pedem, atque unda formosos
 Artus per undam, & aureum lavit crinem?
 Sic est: ibi illa membra eburnea, atque ipsas
 Papillulas beatâ frigeras lymphâ:
 Atque inde flammeo calore concepto
 Hucusque flammâs in mea ossa transmittis:
 Dum te subinde candidæ memor Nymphæ,
 Qua jam recepta Samnii tumes undâ,
 Samni & vetustas limpidus rigas urbes,
 Exul, miser, suspiciosus, invisus.
 At tu Calor, sic olim amœnus auratis
 Dicare cornibus, arduusque Vulturno
 Ferare victo, illique jam auferas nomen,
 Fontem ad tuum recurre, dic mea luce,
 Meo te ab igne posse sæpe siccari,
 Meo nisi de fletu identidem crescas.
 Dic, me amplius nequire tanta celare,
 Nequire ferre vulnera, ac mori semper.
 Tum, si ipsa prorsus haud sit immemor nostri,
 Si fors amara illa mea, & fides grata,
 Dic, me libenter ferre quidquid est duri,

De victoriâ Liviani.

O quæ alma grato carmine fortium
 Mori, Thalia, facta vetas virûm,
 Nunc & per ora Livianum

Omnium, & omne feras per ævum :

Dic, ut superbæ contuderit minas
Germaniæ, atque a Cæsare barbaro
Fessæ tot annos imminentem
Aufoniæ arcuerit ruinam.

Nam quis malorum cheu veterum memor :
Non expavebat? cùm populos truces
In nos remotis usque ab oris,

Quà glacie riget Amphitrite,
Audiret armari, asperaque Alpium
Jam vincere altis cum nivibus juga
Feris inaccessâ, atque fines
Undique jam populare nostros?

At Livianus intrepidus docens
Audere rebus, quà violentior
Vis hostium ingruit, citatis
Obvius agminibus concurrit.

Ductore tandem hoc scilicet, Italas
Videre montes insoliti manûs,
Tormenta que, atque equos, & arma
Alpicolæ stupere Fauni.

Tandemque nostra impune nimis diu
Bacchati in arva Teutones horridi
Sensere, in antiquumque robur,
Inque novum Marium incidisse.

Cùm cæsa, pubis flos Alemanicæ,
Repente in alta valle Cadubrii
Phalanx nives cruore tinxit
Purpureo, rapidumque Plavem :

Arx & recepta est, pectora militum
Cùm sæva nostrorum ardua non via,
Non saxa, non arcere muris
Terrifici potuere nimbi,

Cadente ahenâ fulminis in modum
Contortâ ab igni sulphureo pilâ,
Quâ terra subsultat, nigerque
Cum sonitu ferit astra fumus :

Dirum repertum, & ingenium male

Sagax, sacrumque, quo truculentius
 Nil invenire atrox Megæra,
 Sæva nec ira potest Deorum.
 Sed cuncta præfens horrida temnere,
 Dux acer urget: hunc sequitur cohors
 Secura, præsentemque mortem
 Magnanimo duce freta vincit.
 Diis cura nostri est, & Venetus pater
 Probè Latinæ consuluit rei.

Cùm jus omne copiarum,
 O Liviane, dedit suarum,
 Corneliumque mox socium dedit
 Magno è Senatu, cui sapientia
 Insignis, ac fortuna avorum
 Scipiadum reparant honores.
 Non imperatorem ille queat sibi
 Optare Mavors, quem mage diligat,
 Non tu Senatorem ferendis
 Consiliis animosiozem.

Vos nuper hostium unanimes feram
 Fregistis audaciam, ac pavidos patres
 Firmastis, ac suam attulistis
 Semianimis populis quietem.
 Vos jam timebit barbarus, ac suis
 Pedem cavebit tollere finibus,
 Ni læva mens est, Diique nostros
 Accumulare volunt triumphos.

Epitaphium Canis.

Caparion ego sum, quem vivum maximè amavit
 Liviades, tumulum post dedit, & titulum.
 Plura Cani ingenuæ de se sibi non licet: at mi
 Nunc audita meo accipe de domino.
 Latrantem me forte phalanx Germana per umbras
 Ut vidit, de more affore herum timuit,
 Et fugit trepida; at ridens ait una Dearum,
 Quæ ante Jovis solisum ferrea pensa trahunt,

Ne trepidate semel fatis est timuisse, neque illum
 Quem fugitis, prius huc fata venire sinent,
 Quàm Gallos male foedifragos demiserit Orco,
 Et quisquis vexat barbarus Italiam. (pauca
 Quisquis ades, domino hæc referas precor, hæc quoque
 Addito. amat te etiam trans Styga Caparion.

P E T R I C R I N I T I

F L O R E N T I N I.

20-02

Quod Musis dicatus sit, rejectâ populi inscitâ.

Musis dicatus femoveo procul
 Vulgus profanum; nec populi ambitus,
 Aut livor nimium proçax,
 In me jus sibi vendicat:

Si non, decorâ cum chlamyde, arduos

Inter receptus fulgeo Principes;

Si nec gemmea pocula

Nostris in laribus nitent:

At jure certo mi chelys aurea

Debetur olim: & per numeros graves

Insignis citharâ Deus

Me carmen tenerum docet.

Hinc pervirenti texere debitam

Lauro coronam Melpomene cupit:

Qua firmum statuens decus,

Vatum me refert choris:

Seu me reductis vallibus audiat

Faunus canentem candida Næviæ

Colla, & labra corallia,

Quæ me sollicitum tenent:

Seu malim inanes pectoris anxii

Jactare curas; & nimium gravi
 Detentum laqueo caput,
 Solari ad citharæ modos.
 Utcumque doctis carminibus juvat
 Inter morari Pieridum choros;
 Ut vulgi imperium insolens,
 Ceu dirum fugiam nefas.
 Nam quis putabit majus adhuc scelus,
 Quam tum nefandæ plebis inertie
 Servire: & petulantiam
 Probrosam populi pati?
 O sancta Vatum pectora: & ô meis
 Certum levamen, barbite, questubus,
 Quam te fuscipio libens,
 Porrectum Idaliâ manu;
 Tu testis, ut preludat amabilis
 Inter verendas Nævia virgines,
 Cum molles choreas agit,
 Et blandos repetit jocos,

*Nenia de obitu Laur. Medicis, ad Joannem Picum
 Mirandulam.*

Ecquis perpetuis constituet malis
 Finem ullum, ut valeam reddere me mihi?
 Pridem seposui dulciloquam chelym,
 Et blandos Charitum modos.
 Accedunt miseris funera luctibus,
 Nec quicquam Superos flectere victimis
 Fas est, ut video: sic placitum Jovi,
 Qui nutu regit omnia.
 Heu noster Medices, Italiæ decus,
 O Pice interiit: væ misero mihi,
 Lugete Aonidum qui colitis sacra,
 Et qui pro veteri fide
 Virtutis pretium rite reposcimus.
 Nam quis tam rigido pectore barbarus,
 Immanique animo, quin videat statim

Sublatum columen bonis?

Hic solus patriam consilio gravi
Undantem variis fluctibus extulit:
Nil diram veritus (discite posteri)
Regum sævitiam, & dolos.

Hic se pro pavidis civibus obtulit;
Hostilemque aciem robore pectoris
Perfringens, viridi tempora gramine
Cinxit; dum sibi non putat

Parcendum, ut Latio præsidium ferat.
Heu heu quam volucris decipimur bono!
Incastumque pii, ut qui nimio ambitu,
Surdos distrahimus Deos,

At tu mœsta novis, patria, lacrimis
Indulge: nec enim cernere adhuc potes,
Quantum mox miseris civibus imminet
Fatorum gravis exitus.

Disjuncta horrifono marmora fulmine
Temporum, & nimium dira tonitrua
Non frustra exitium terrificis minis
Portendunt patriis Deis.

O fallax utinam mentiar augur, &
Non vero auspiciis carmine proferam!
Tu, Pice, interea desine conqueri;
Et parce imperio Jovis.

Quod si non alius mox aderit Deus,
Extinctum Italiæ qui repararet decus,
Et Phœbum cupiat sedibus Aonum
Transferre in Latios lares:

Consiste in veteri præsidio tamen
Virtutum; & quod habes auspiciis tuis
Jam partum, in tacito contineas sinu:
Felix sorte tua satis.

Nam mitto tot opes ingenii, & sacrum
Fecundi genium pectoris; & simul
Præclaris animum dotibus arduum,
Quo certum statues gradum.

Sed me sub tenerum tempus adhuc, velut

Surgentem viridi robore palmitem,
 Cœli sævities invida perculit,
 Dejecitque bonam indolem.
 Sic decussa jacent brachia viribus
 Allisis; neque posthac animo pari
 Audebo ingenium tollere; nec licet
 Sperare ulterius mihi.

Ad Avitum, de vita quietâ.

Avite, si beatus esse contendis,
 Supraque cunctos otio frui certo,
 Nihil timebis ultimam diem fati;
 Animoque forti lubricam feras fortem:
 Vites potentum purpuras velut pestem;
 Colasque semper liberum genus vitæ,
 In quo voluptas adsit, & quies mollis;
 Blandi lepores, & sodalitas grata;
 Delecti amici, candidi, & fides simplex.
 Vita est habenda non solutior luxu,
 Non segnibus aut vexata pluribus curis:
 Sed in vigenti corpore vigeant sensus.
 Iste est beatus, qui omnibus vacat curis;
 Nec alteri, nec sibi negotium præbet.

De sua quiete post multas calamitates.

Si quis in tantis hominum procellis,
 Inter & curas, variosque casus
 Gaudet assertor fidei decoram
 Carpere vitam:
 Hujus exemplum sequar expeditus;
 Et meos vitæ melioris annos
 Liber ad certam referam quietem
 Cultor honesti.
 Cautius posthac mea cymba cursum,
 Acta per Syrtes, scopulosque duros
 Solvet, & nullos temere insequetur

Æquoris æstus.

Profuit sævæ rabiem Charybdis,
Atque vefanos adiisse fluctus;
Gratior tandem foret ut voluptas
Vifere portum.

Integram fessi melius quietem
Sentiunt: blandus pluviis relictis
Redditur Pæan; nitidumque lumen
Pandit olympi.

Illud in primis Superos precamur,
Vita dum nostrum comitatur ævum,
In facris totum ut liceat Camœnis
Ponere tempus.

De Angelo Politiano.

Siren relicto Daunio
Quærebat ubi confisteret;
Diuque vagula devolans
Accessit amnem lassula
Arni fluentis leniter:
Et commorata fatis, iter
Parabat inceptum sequi.
Sed ecce dum vaga subvolat,
Audit repentè rem novam,
Novosque numeros, & nova
Carmina canentis Angeli.
Itaque statim in labra convolat
Dulci lepore perlita:
Et inquit: hic libet agere,
Hic hinc morabor sedulo:
Ubi Gratiæ, Decor, & Venus
Tam blanditer simul canunt,
Carmenque fundunt aureum.
Tu nunc valebis, Daunie.



Ad Avitum, de innocentia Vatum.

Æterna vatum pectora mollibus
 Mulcentur auris, nam citharâ gravi
 Phœbus decorem Castalium instruit.
 Vates, verendo pectore nobilis,
 Vel fata pandit, aut tripodes sacros
 Grato ac perenni carmine concutit.
 Non illum, Avite, plebis inertia,
 Aut insolentes, heu, animi movent:
 Sed ipse felix perpetuis bonis
 Paret Camœnis, & placidam simul
 Mentis quietem molliter occupat:
 Virtuti amicus, nil reliqua æstimat.
 Hunc sæpe Pallas Gorgonis immemor
 Secernit inter prata virentia;
 Et fronte sacra tempora vinciens,
 In alta passim sidera sublevat:
 Qui mox receptus Pieridum choris
 Depromit audax Palladium melos.
 Sic æstuanti liber ab ambitu
 Livoris atrî despicit impetum;
 Vulgique luxum, & desidiam procul
 Tutus relinquit, namque Heliconidum
 Carmen beatis concipit auribus,
 Quo fata rerum perpetuo vigent.

De suo amore in Glycerem.

Dum sacrum Paphiæ Deæ
 Sertis cum roseis paro,
 Et inter violas simul
 Nectuntur candida lilia,
 Raptim cum tremula face
 Atrox Idaliæ puer
 In me sævius insilit:
 Et in præcordia, vœ mihi,

Illapsus fremit, & procax
 Me flammis agitat suis:
 Quo semper Glyceren bonam
 Vefanis ignibus ardeam.

*Charisticon ad Eridanum, pro receptâ salute, cum
 in eum decidisset.*

Huc affer, Hile, victimas sacris lectas,
 Pariterque thurea munera, & festas dapes:
 Par est, dicatum salubribus diem Nymphis,
 Sancteque colere maximum, Padi numen.
 Eridane, salve fluminum omnium princeps:
 Nam te, decoris & fluentibus Nymphis
 Velut parentem, ceteri colunt amnes.
 En cape dicatas rite victimas; vates
 Quas pro recepta tibi salute perfolvit,
 Tu me cadentem mollibus tuis ulnis
 Excepisti, & altis sublevas aquis mersum:
 Madidaque veste pressum in herbidis ripis
 Ac prævirenti reddis in solo tutum.
 Salve bicornis, alme Eridane, quem Phœbus
 Sub luce clarâ genuit inclitis undis.
 Tu cernis alto vertice Hesperii sedem,
 Solusque lustras ditia Ausonum regna;
 Tot nobiles urbes, tot arduos montes:
 Et tot perennes ænium simul Nymphas
 Decore grato, & commodis tuis ornas.
 Quid hîc virentia nemora, & vagos saltus,
 Fontesque dicam, & prata florea, & colles
 Qui prominentes accolunt tuum numen?
 O quot perenni femine generas natos,
 Qui, te parente, nobiles magis surgunt;
 Proculque varias Italûm vident gentes!
 Quantum renidet lusitans pecus lætum,
 Cum passim amœnis pervagatur in ripis,
 Ut vesperi laboris optimi munus,

Dilenta portet ubera ad pium quæstum!
 Argenteo pisces colore fulgentes
 Per blandientis fluminis natant undas.
Illic gregatim congruunt Scari molles,
 Qui præpotentum dapiles struunt cœnas.
 Et ponderosi confluunt aquis Mulli,
 Lupusque saltim ludit, & celer Mugil.
 Quid hic minores piscium greges dicam?
 Et agminatim promicantibus squamis
 Inter fluentes lubricum pecus rivos?
Undosa Nais te accipit sinu blando,
 Varioque cantu aurâ favente permulcet:
 Torum Lytea molliter tibi sternit,
 Multoque flore lubricum caput spargit,
 Et inter herbas prænitentibus Nymphis
 Jungit virentia suaviter tibi labra.
 Tu jure medium lumen obtines cœli,
 Et inter astra fulgidum nites sidus.

De Fortuna, & ejus viribus.

Fortuna pollens imperio gravi,
 In quemque summis prædita viribus,
 Ceu nimbus, alto proditus a Jove,
 Factum porenti deiicit impetu;
 Regumque turres pro nihilo facit.
Ludit procaci sævitiâ ut lubet,
 Humana miscens instabili joco.
 Et nunc probatos improbat impudens:
 Extollit audax, obsequio levi
 Tardos, inertes, & fatuos simul.
Fortuna celso vertice prominens
 Sublimis almo constitit æthere,
 Et cuncta ponens sub pedibus sacris,
 Extrema primis percupidè implicat,
 Et prima rursus versat in ultima.
Non lege certâ convariat gradum,
 Nullique servat pollicitam fidem:

Sed urget omnes dira necessitas,
 Nodoque stringens irrefolubili
 Nectit catenam fati adamantinam.

Hanc nullus umquam dissoluit satis:
 Torquentur omnes sub laqueo truci,
 Magisque fortes fortius opprimit;
 Qui se æstimarunt libera cernere
 Devincta sævis pectora vinculis.

De Horatii poematis.

Flacce, qui cantu nimium beato
 Surgis, & molles teneris labellis
 Dulce perfundis numeros, & aptè
 Carmina nectis;

Trade nunc primum cytharam petenti,
 Quam tibi vates merito sacravit
 Filius summi Jovis, & soluto
 Crine decorus.

Namque tu doctis Charites Camœnis
 Jungis & flavos per amica crines
 Colla delapsos Glyceres in alta
 Sidera tollis.

Sive tu Martis clypeum potentis,
 Versibus sævos referens Sicambros,
 Dicis; & claras acies Gelonum, &
 Cæsaris arma:

Sive Cyrrhæos nemorosa saltus
 Rura perlustras, tenuesque lymphas
 Tiburis captas, simul & virentis
 Gramina campi:

Liber exultas modulante plectro;
 Daulias qualis viridi sub antro
 Conspicit Phœbum, teneroque mulcet
 Æthera cantu:

Sive crateras veteri Lyæo
 Impari fumis numero, & puellas
 Inter, & poscis juvenes protervo

Ludere risu :
 Sive tu mavis Saryros procaces
 Furta cum lætis agitare Nymphis,
 Dum Venus dulci superante ludo
 Spirat amores :
 Blanda felicem levat aura vatem,
 Sive perlustrat Phaëthonta magnum,
 Sive depressum volitat per orbem
 Præpete lapsu .
 Nunc Jovis claros memoras triumphos,
 Et vagum Maiâ genitum, per astra
 Ritè labentem statuis decorum
 Laude perenni .
 Sic per immensi cava templa cœli
 Vectus, audaci recreas Thaliâ
 Cuncta, & insanos Veneris calores
 Carmine mulces .

Ad Phosphorum, de fugiendis malis amoris .

Amoris æstus, atque amantum insaniam
 Si quis sequatur, Phosphore,
 Idemque dicat esse multo gratius
 Amore captum vivere :
 O quam nefasto ludibundus poculo
 Sensim venenum concipit !
 Quietis expers anxiam mentem gerit,
 Et ardet ambitu levi .
 Nunc, plenus aurâ, votâ despectat sua :
 Falloque trahitur gaudio :
 Nunc insolens contemnit infames notas,
 Aut pallet ignavo metu :
 Vel impudenti contumax audaciâ
 In omne proruit scelus .
 Non fervet æquè sub Sicanis montibus
 Vasto receptus in specu
 Gigas nigrantes horridus flammâ vomens,
 Quam amantis æstuat animus,

Et huc, & illuc peste succensus gravi
 Inclamat, heu diras faces!
 Ut ardeo infelix, ut in præcordia
 Desævit hoc incendium!
 Ergo nefandis liberum caput malis
 Nobis tuendum, Phosphore.

Contra Viperam.

Ubi est perustæ frontis impudens scelus?
 Ubi retorrido colore Vipera?
 An sic inertem concipit tandem fugam,
 Pariterque vanis comminatur sibilis?
 Sed siste: quid frustra paras resurgere?
 Et implicatis nexibus resistitas?
 Consiste tandem; an audis æneum sonum,
 Notasque sacras carminum valentium?
 Simulque falces æneas cum vittulis,
 Passim revinctas viperinis nexibus?
 Jam nunc, misella, devomas pestem gravem,
 Virusque mentis improbæ teterrimum,
 Quo me tot annos moribus veneficis
 Credis notatum: sed age penitus evome;
 Evome nefandam tabem inertis pectoris.
 Sed evomit tandem, bene est: ô quæ lues!
 Proh, summe Juppiter, quid hoc cerno amplius?
 Quantum veneni funditat tetrum scelus!

Ad Chelym suam.

Salve dulcis amor, Chelys,
 Quæ reddis tenerum melos,
 Et quæ flectis ad oscula
 Cervicem Glyceres bonam:
 Ut spiras Veneres, & Charites simul.
 Te Cyllenius aliger
 Inter fulgida sidera
 Venerandam merito tulit:

Quo rite ad numerum velis
 Nobis summe parens mitior affore.

Chorus Laconicus per Pueros, Juvenes, & Senes.

P U E R I.

Vivemus pueri: sed nunc puerilibus annis
 Lascivire juvat, tenerosque admittere lusus;
 Dum vacat, & molles agitare hos possumus artus.
 Mox veniet tempus, nobis cum crescere vires
 Incipient, longeque gravi torquere lacerto
 Spicula, & audaci fortes configere bello.
 Ergo agite, ô pueri, melius sperare licebit:
 Si modò ad optatam dabitur crevisse juventam.

J U V E N E S.

Vivimus, ô Juvenes, juvat his florentibus annis
 Vivere, & in cunctis animos præbere vigentes.
 Nunc licet egregios vitæ decerpere fructus,
 Et pariter claris virtutem extendere gestis.
 Mox dabitur tempus, cum jam languescere vires
 Incipient, tremulisque cadent membra omnia nervis.
 Ergo agite, ô juvenes, præsentia carpite vitæ
 Munera, & ætatem penitus servate virilem.

S E N E S.

Viximus insignes olim, dum tempora robur
 Auxerunt, simul atque animi viguere potentes.
 Nunc senio affecti vix languida membra movemus,
 Nec licet infirmos quidquam sperare per annos.
 Non procul a miseris senibus mors imminet atra:
 Hæc etenim cunctos æquatis viribus urget.
 Ergo agite, interea funestas pellite curas,
 Et senium apricâ foveamus molliter aurâ.

De Lacone in bello occiso.

Trajectus hastâ pectus infensâ Lacon
 Cruentus in bellum ruit ;
 Ac dum inter arma, & hostium fertur neces,
 Tandem peremptus concidit.
 Hunc postquam amici collocant mœsti rogo,
 Augentque funus lacrimis :
 Miratus hanc inertiam parens, ait :
 Abite non prorsus viri :
 Abite procul ô patriæ quondam genus :
 Olim Lacones viximus.
 Quid, vos inertes, impios luctus datis ?
 Hic natus est meus, & Lacon.

De fugiendis ingratis.

Ingratus est vitandus, ut dirum scelus.
 Nil cogitari pestilentius potest ;
 Nec esse portentosius quidquam puto.
 Ingratus, aut malefacit, aut male cogitat,
 Sibique tantùm parcat, aliis detrahit ;
 Et odit omnes, qui bonis beneficiant.
 Ingratus est audacior, quò nequior,
 Et impudens ad omnia scelera trahitur ;
 Audaxque cuncta semper in pejus movet.
 Ingratus est seminarium scelerum omnium :
 Hinc est avara mens, & animus perditus ;
 Hinc fastus impotens, & ambitus gravis.
 Ingratus hoc unum benefacit, cùm perit :
 Nam tellus ipsa fœdus nihil creat.
 Portentum id omnium est habendum maximum.

*Ad Marullum, quòd relictis Musis a Nevîâ
 detinetur.*

Pridem relictâ Pallade,
 Amoris hausi poculum,
 Et me Cytheres militem

Delegit in castris suis.
 Marulle, quid frustra mones,
 Ut sacra Phœbi prosequar,
 Et me Camœnis afferam?
 Libet vocanti Cypridi
 Parere, dum calor urget:
 Et in virenti gramine
 Inter Jocos, & Gratias
 Aurâ favente ludere:
 Nunc in reductis vallibus
 Duros amores insequi.
 Tu carmen altum Principis,
 Vates beato pectore
 Absolve, dum Phœbus monet,
 Tu dedicatus Cynthio
 Docto, Marulle, carmine
 Tradas perennem posteris
 Famam potentis ingenii.
 Mî sat calores mutuos
 Firmamque sacri pectoris
 Fidem probare Næviæ.

De Natali Musarum.

Favete linguis, posteris,
 Non ante dictum vatibus
 Cantate carmen mollior,
 Sacris receptus delubris.
 Apollo nunc spirat Deus.
 Procul profanos pellite
 Arcana dum fiunt sacra.
 Adeste vati cœlites,
 Debetur hic Musis honor,
 Quem festa rettulit dies:
 Pro quo tot annos passui.
 Lux hæc decora claruit
 Dicata priscis vatibus,
 Quâ molliter gratum melos

Æterna protulit chelys.

Lucina ridens adfuit,
 Et crine Phœbus aureo
 Vocavit ad certos modos
 Selecta cœli numina.
 Tum læta substitit Cypris,
 Et candido vultu Charis
 Induxit almis cantibus,
 Ut vos sacrares ætheri.

Sed & Deorum maximus,
 Et optimus rerum pater
 Vos fovit ulnis mollibus,
 Interque mille suavia
 Leni decenter spiritu
 Deduxit ad sacrum nemus:
 In quo volantis Pegasi
 Liquor perennis effluens
 Nitescit undis gemmeis.

Hic collocatas primitus
 Dulci replevit nectare:
 Inque alta jussit sidera
 Secum volare protinus:
 Unde entheum fluxit melos,
 Et grata Siren aureâ
 Refecit orbem nœniâ.

Vobis Camœnæ viximus,
 Vobis perennes gratias,
 Sacrumque carmen reddimus.
 Servate dum licet, precor,
 Devota vobis pectora,
 Seu grata Delos detinet,
 Seu Cynthius pulcher vocat.

De potestate Amoris.

Dum tenet dulcem Venus alma Cyprum,
 Et puer curas movet æstuantas:
 Dum subis blandos, Erato, calores,

Dic age carmen .

Dic ut in summis viget ignis astris :

Et per obliqui variata limbi

Signa decurrens fovet alma totum

Ritè voluptas .

Manat ex alto vagus ardor igne ,

Atque divinâ calefactus aurâ

Transmeat cœlum volitans , & urit

Æquora lapsu .

Legibus certis Superos revincit ,

Colligans motu celer inquieto

Ima cum summis ; & amica reddit

Æthera terris .

Mollit Hircanæ fera corda Tygris ,

Mollit & torvæ rabiem lænæ :

Hinc Libyffini pariter colubri

Sibila ponunt .

Electitur tauri furor injugati ,

Fervidus duris agitans rubetis :

Sentit hunc igneum quoque sævientis

Impetus apri

Ponit & miles Morinus rigorem ,

In tuis pugnans , Erycina , castris :

Et calent Scythæ , genus efferatum , ad

Cypridis ignes .

Arma deponunt Cicones feroces :

Horridam Thraces aciem relinquunt ,

Ut tua possint agere in palæstrâ ,

Dive Cupido .

Æquor undosum calet igne sacro ,

Lusitant pisces per aquosa furta :

Perque Neptunum jaciunt gelatum

Pectore flammâs .

Astra diffusos referunt nitores ,

Cum Venus blando referare risu

Solis excelli jubar alma poscit

Nube rejecta .

Blandius spirant Zephyri calentes .

Dumque te solers Orithyia quærit,
Frigidus pennis Boreas nivosis
Suscipit ignem.

Immemor belli galeam recusat,
Baltheo sacræ Veneris recinctus,
Diva te poscens, & amica libat
Oscula Mavors.

Quidquid in terris generatur ullis
Diva ridenti creat alma vultu:
Et fovet gratos Cytherea fœtus
Lampade sacrâ.

Germinat tellus, saliunt fluenta,
Frondebis lætis sylvæ virescunt,
Proferunt pictos variata flores.
Rura, nemusque.

Si quid adspectu celebratur almo,
Si quid & gratum retinet decorem,
Illud in primis tibi, Diva, pareat
Non sine risu.

Saltatio Bacchica.

Gradivus valeat pater,
Et sævus galeæ sonus.
Huc adsint nemorissequæ
Nymphæ cum Satyris: leves
Adsint Nisigeni simul,
Adsint & cava cymbala,
Et cornu grave mugiat,
Tollite quisque pedem.
Jam curæ valeant graves,
Non hic fluctisonans tridens,
Non torvæ resonent tubæ:
Sed gratus Lepor, & Charis,
Et Chromys, Hamadryas,
Mnasyllusque rubens genas,
Et fortis temeto Lyas,
Et nudata lacertulos

Melite, & Canace soror;
 Lascivique pedis Dryo,
 Pronis in Zephiros comis
 Ad numerum canite.

Omnes nunc animis pares,
 Et saltu, & tremulis modis
 Dicamus; bone Vitifer,
 Thyrsos, & palmitum nobilis
 Tu victor Semeleius,
 Summi progenies Jovis,
 Incingens hæderâ caput,
 Auratas agitas comas,
 Perpetuoque cales:

Tu rex Euhæ Bassareu;
 Tu Brysseus, Hyalysus,
 Liber. Nyctileus, vagus
 Nyseus, Bromius, sacer
 Tu sternis ferulâ gravi
 Fratres terrigenas potens:
 Nam victrix tua dextera
 Exemit Superos metu,
 Et firmum statuit decus
 Vincere cum libuit.

Salve Bacche Diespiter,
 Nos te prosequimur ducem;
 Nos ultro, anguigerum caput
 Bacchantes agimus leves.
 Tu nos Thyrsigeras jubes
 Vatem Threicium statim
 Divulsum variis modis
 Jactare exanimem feris.
 Per te semper inest calor,
 Tu depellis inertiam,
 Tu cunctis merito imperas,
 Imperiumque tenes.



De suo amore in Glyceren.

Quo me nunc trahitis, Pierides bonæ?

Urit me Glyceres grata protervitas;

Urit perpetuâ blandus amor face,

Et sævus premit in dies.

Olim dum licuit liberius loqui,

Tum nostris laribus Delius affuit,

Nec frustra tripodas concutiens sacros

Excepi Clarium Deum.

Heu quantum intepuit Pieridum calor,

Et vatam celebris cura? nec amplius

Permissum viridi dulce sub arbuto

Audire Aonidum melos.

Non sum qui fueram: sic voluit puer,

Qui duras laqueis molliter implicans

Cervices, teneris addit amoribus

Luctus, & lacrimas graves.

Me pridem Glycere furripuit mihi,

Dum vultu petulans, & lepidis jocos,

Furtim blanditias inserit asperas,

Et se difficilem negat.

Decantare juvat bellica Cypridis

Arma, & perfidiam cum lacrimis gravem.

Seu me detineat carmine Lydio,

Seu vexet Glyceres decor.

Ad Næviam, de suo amore.

Adsum resumpto servitutis vinculo,

Totumque me dedo tibi: pœnam irroges,

Nil deprecor, nil usque pœnarum abnuo.

Non ille qui hætenus: recanto, Næviam,

Recanto, supplices & offero manus,

Quodcumque jusseris paratas solvere.

Succendor, uror, ardeo totus miser,

Non æquè flammis ardet æstuantibus

Atrox Sicano conditus Gigas specu.

O, ante dedicata Musis pectora,
 Ut igne succensi cruoris æstuant!
 Tuus revertor; parce, parce supplici.
 Cantare laudes ordiar primum tuas,
 Et expiatus entheis vates sacris
 Tete perennem dedicabo posteris.
 Sic tu pudica virgo, tu meum decus,
 Tu celsa vinces sidera sacro lumine,
 Clarumque nubilans face tuâ Cynthium
 Cælo refalges candidum, & verum jubar

De seipſo.

Aurum nefandis accumulent dolis,
 Regumque magnas divitias sibi
 Quærant inertî solliciti ambitu,
 Qui fœnus repetunt grave.
 Nil me potentum sceptrâ minantia
 Possunt verendo flectere de gradu
 Virtutis almæ; nil animos mihi
 Vestes Attalicæ movent.
 Securus antris Pieridum vagor,
 Et Phœbo amicus leniter arduas
 Perlustro ripas, dum Glycere vocat,
 Et Nymphæ saliunt leves.
 Non me caduci sanguinis extulit
 Proles parentum: vector in alitem,
 Dulcesque cantus, & tenerum melos
 Demulcent liquidum æthera.
 Terras relinquo: me juvat arduo
 Cælo receptum per Superûm choros
 Sensim vagari: jam volito altius,
 Dum Phœbus celerem gradum
 Affectus almo carmine contrahit.
 Nunc ad Sicambros, seu libeat Scythas
 Spectare sævos, & pariter levi
 Instructos jaculo Dacos;
 Idemque pennis Pegaseis feror, &
 Usque ad Britannos, & Morinum trucem:

Nec non procellæ littora Caspiæ
Præter conspicio volans .

Nullum Camænis est iter invium ,
Cælum beatis auspiciis petunt ,
Sedesque summi sub pedibus Jovis
Olim constituunt sibi .

De sua ægritudine , & imminente obitu .

Nil est quod ultra sit licitum mihi
Sperare tandem , nil medicæ manus
Ex imminente me miserum rogo
Referre incolumem queunt :

Et jam medullis æstuat intimis
Accensa bilis , nec patitur meo
Unquam dolori finem aliquem dari ,
Sed vexat magis in dies .

Obducta frontis lumina , per genas
Delapsa tetrâ cum macie cutis ,
Et destitutæ mentis inertia .
Instare exitium monent ,

O quantum inanes illecebræ anxia
Passim virorum pectora distrahunt !
Quantaque rerum mole peræstuat
Humani generis lues !

Quàm sæpe dixi , Martia principum
Cantabo gesta , & sæva per Aufones
Gallorum ab altis Alpibus agmina
Educta in Latios duces !

At nunc parato funere frigidus
Per membra sudor labitur , & meum
Flammis cadaver rite puer sacris
Jam componere destinat .

Et Cypri odores , thuraque mascula
Inferre lectis ossibus , & levi
Cum rore lymphas spargere , quò sua
Reddatur cinere quies .

Ergo sub annos prævirides mihi
Solvetur atro sanguine spiritus ?

Nil est reluctandum Superis : libens
 Quod fata annuerint sequor .

Non ille cuiquam flebilis occidit ,
 Quem vitæ honestas , & fidei decor
 Inter sacrarunt numina Cœlitum ,
 Expertem gravis ambitus .

Sed fessa tandem lumina mors tegit :
 Tu me , Deorum summe parens , velis
 Vatem beatis sistere fedibus ,
 Ut sacros referam choros .

JULII ÆLII CROTTI

R E G I E N S I S .



Diis rusticis .

UMbræ aliorum gelidæ nemorum,
 Virides rami per quos pictæ
 Volucres cantus iterant varios ;
 Per quos Zephyri mobilis aura
 Crepitans faciles ducit somnos :
 Vitrei fontes , qui per læta
 Gramina fluitis murmure raucos :
 Resonæ valles , quæ præbetis
 Lustra feris horrentia rapidis :
 Vacua antra , quibus celeres Satyri
 Tendunt teneris retia Nymphis :
 Montes tum di ; montium & ampli
 Saltus , ubi formosæ Dryades
 Ducunt choreas , flectitque choros
 Diana sacros , comites niveo
 Dum terram quatiant pede , roseis
 Atque ex oculis spicula jaciunt ,

Et flammæ, quibus urunt Divos
 Omnes terrarum, omnes cœli:
 Divæ omnes nemorum, & silvarum
 Panes, Fauni, Numina ruris;
 Nostra Hermione fastus urbis
 Fugiens, rhedâ properat volucris
 Patrios ad agros; arva ad læta,
 Lambit riguo quæ Padus amne;
 Padus humentibus aluis cinctus
 Altæ celsos frontis honores,
 Venit Hermione pulchras inter
 Prima puellas. At vos Divæ,
 Divique omnes qui agros colitis,
 Vitreosque lacus, servate meos:
 Ignes, animam servate meam,
 Solis radii non inficiant
 Oculos nitidos, faciem niveam;
 Teneras plantas, mollesque manus
 Hirsuti ne vepres refecent.
 Sileant Boreæ, taceant Austri,
 Intemperies lateat cœli.
 Auræ at tenues, Zephyrique leves.
 Spirent undique, pictæ violas
 Referant valles, gratasque rosas:
 Lilia candida nascantur agris,
 Resonant dum concantu avium;
 Itylum gemat Thracia pellex,
 Avia complens carmine resono.

In obitum Delie.

Ergò tam properè, ergo tam repenti
 Æstate in mediâ tuæ juventæ,
 Dum fructus uteri feracis, & dum
 Partus munia læta præstolamur,
 Abis Delia? Phœbe. abis, relinquens
 Turpes in lacrimas & urbem, & orbem.
 Illa ergo rutila astra, sidera ergo

Illa gemmea, quæ nitentem & urbi,
 Atque orbi explicuere ubique Solem,
 Et diem radiis tulere puris,
 Nox atra occupat, & voracis Orci
 Lethæus sopor, & tenebræ inertes?
 Eheu Persephone impia, impia eheu!
 Quivisti aurea licia, aureum illud
 Vellus exsoluisse? flete Amores
 Quotquot estis amarè: adeste passis
 Crinibus Paphiæque Gratiæque:
 Florent munditiæ, gemat Venustas,
 Et culti decus oris, ingenique
 Rari delicias, & elegantem
 Majestatem animi serenioris.
 Ah desideria irrita, ah fugaces
 Spes mortalium! ocelli ubi illi, Amor queis
 Sagittas jacere improbus solebat?
 Queis ridens face Verticorda edaci
 Urebat miserorum ubique corda?
 Hîc bustum, hîc lacrimis rigate marmor
 Formosæ Dryades: ferant Napeæ
 Costum & balsama: vernet hinc & inde
 Ajax, & rosa, regique flores;
 Veris perpetui perenne munus.
 Proh Parcas nimium licentiosas.

Ad Somnum.

Inflexos molli crines præcincte juventâ,
 Virgineas croceis pictæ genas maculis,
 Somne, levis tardo sævit cui dextera cornu:
 O toties largâ, Somne, precate manu;
 En agedum ut longas pigro sub sidere noctes
 Deducam miseris pervigil excubiis.
 Nona pruinofas virgo Pallantias axes
 Movit ab Eoi fluctibus Oceani:
 Et toties cœli surrexit Lucifer arce,
 Multifide spargens crine jubar nitidum;

Et toties currus flexit formosa serenos,
 Claruit & cornu Delia virgineo.
 Me tamen infomnem convexi sidera cœli,
 Infomnem paribus cernit equis Phaëton.
 Eheu, cur placidis a me Deus aufugis alis?
 Ah libeat virgâ me tetigisse brevi,
 En misero arentes absumunt viscera febres,
 Torquet, & obliquis pupula luminibus.
 In me Ripheæque hiemes, & turbida flamma
 Sævit, Leucadiis æmula Thermopylis:
 Et dolor, & captæ terit inclementia mentis,
 Incensumque urit sæva, & anhela fitis,
 Interea vastum dormit mare; & unda cubantes
 Hinc atque hinc latè sustinet Halcyonas.
 Stertunt Alpini Boreæ; Lyparæque sub antris
 Irati languet cæca Noti rabies.
 Fessa silent juga Taygeti, & Marpesia rupes,
 Et nemora, & luci, & pecora, & volucres.
 Solus ego infomni refero mea membra cubili,
 Educens ipsis vix animam è labiis.
 Somne veni Divûm juvenis placidissime. Sic te
 Suspiret Lethe pallida, sic Phlegeton.
 Adspice quot nexi per concors fœdus amantes;
 In numen jaciunt non bona verba tuum.
 Inde veni, te te & nostros inde effer in artus,
 Et pennis mulce lumina fessa tuis.
 Sic multo mihi thure Deus donatus abibis,
 Et cinget crines nostra corona tuos.

Ad Arnida.

Usque adeo innumeris torres, mea mî Arni, favillis
 Quæ assiduè è roseis prosiliunt oculis;
 Ut ni mî lacrimarum hiemes, atque imber amarus
 Officiat; tepidum jam jam abeam in cinerem,
 Et rursus lacrimarum hiemes, atque imber amarus
 Tam assiduè miseris mî effluit ex oculis;
 Ut ni mî, Arni, tuis qui prosilit ignis ocellis
 Officiat; tenuem jam jam abeam in fluvium.

Me

Me mea jam, Arni, ure, & vitam ne deserat humor,
Sive tuis flammis, sive meis lacrimis.

De Lauru.

Lassus Daphnæâ recubat dum Delius umbrâ,
Decidit in nitidum pallida bacca caput.
Cui, postquam in stantem torfisset lumina truncum;
Bella iterum, dixit, frondea Nympha, paras.

Tumulus Hippolyte.

Castâ fides thalami, & thalami inviolabile fœdus,
Perfolvunt cineri, Hippolyte, inferias.
Narcissi lacrimæ stillant tibi, & Arrabe myrrhâ
Stillat odor; nardum stillat & ipse Pudor.
Accipe & has lacrimas, tibi quas Hymenæus ad urnam
Spargit, & has violas accipe cum lacrimis.
Ex lacrimis videntur violæ tibi, fervet & urnam
Quam tu servasti, casta Pudicitia.

Eidem.

Tunc jaces, ipsa Hippolyte, isto in frigida lecto?
Triste tibi, Hippolyte, hoc adpositum est phœretum?
Hæne genæ? hinè & vultus? hincè & candor in ore?
Istanc purpurpureis æmula labra rosis?
Heu ubi blandities, lususque & mollia verba?
Et Charis, & roseo semper in ore decor?
Ah Lachesis crudelem, ah implacabile fatum?
Quis neget & Superos posse mori, atque Jovem?
Florant jura thori, crinique incompta pudico,
Amovit tristi gratia fœta manu.
Ipse Amor, ipsæque & Veneres, ipsique Lepores,
Effundunt questus, & gemitum, & lacrimas.
Æternum dormi, Hippolyte, & feliciter urna
Floreat hinc violis, florebat inde rosis.

De seipso.

Incensus patrio Phaëthon delapsus ab axe,
Ardorem extinxit fluctibus Eridani:

Cum

Cum fumo, & flammâ pallens excanduit unda:

Cum periit mediâ Pallidus ardor aquâ.

Sed me candenti Veneris face perditum, & atrum,

Non potuit tumidæ perdere fluctus aquæ.

Cane senex, horret mento cui spumea barba,

Anne adeo segnis, & tua vis minor est?

An mea vis major? sævæ vis sæva Diones,

Quæ ventos urit, & maria, & fluvios.

Ad Æliam.

Discedo, & tecum melior pars, Ælia nostri

Vivit: eo demens absque anima, atque animo.

Quis credat? vulnus mecum insanabile, vulnus

Æternum, æternum faucibus hinc refero.

O Paphiæ, & Gnydiæ factum admirabile dextræ!

Discedo, & vivo absque anima, atque animo.

Ad Aprum de Cæciliano.

Tot servos, tot agros Campanus Seius habebat:

Tot servos tot agros Cæcilianus, Aper.

Tot servos, tot agros amisit Seius; & idem

Tot servos, & agros Cæcilianus, Aper.

Miraris? levis in miseros Fortuna jocata est;

Et volvit volucres infidiosa rotas.

In Tholosano Seius refulguit auro:

Sedit Seiano Cæcilianus equo.

Thestylis.

Æmula habes ebuli baccis, mea Thestyli, labra,


Colla ebori, atque ebori crura, oculos ebena.


Ora manus Veneri: crines, frontemque Dianæ:

Spirant illustri blandæ animo Charites.


Invasit linguam Pallas, Saturnia mentem:

Absit durities, Thestyli, corde; Dea es,





HANNIBALIS CRUCEI



*In obitu Joannis Jacobi Medices Marchionis
Meregnani.*

INtrepidum quid cor, vigilantia summa, laborque
Indomitus possint; bella mihi acta docent:
Latius ut, magno & testis cum Saxone Turca est,
Senaque, & Etruscis Stroza fugatus agris.
Restabat patriæ tantum succurrere: sed mors
Pulvere spes tantas obruit exiguo.

In obitum Gabrielis Faëрни.

Dum veterum auctorum instaurat monumenta Faërnus,
Et reddit vitæ scripta Latina suæ;
Invidit fera Parca, virumque ad Tartara trahit:
Quodque aliis adimis hoc tibi, dixit, habe.

Amantum contrarii affectus, ex Petrarcha.

Nec pacem invenio, nec sunt mihi bella timenda:
Affligunt penitus spes, metus, æstus, hyems.
Et prostratus humi pennis super æthera tollor,
Stringo nihil, claudo quidquid in orbe manu.
Nec clausa est, nec porta patet mihi carceris atri,
Nec teneor, nec sunt vincla soluta mihi.
Nec morti me tradit amor, nec compede solvit,
Nec me luce frui, nec jubet ille mori.
Cerno carens oculis, clamoque elinguis ad auras,
Æternos obitus, auxiliumque peto.
Exosusque mihi, alterius constringor amore;
Dant lacrimæ risum, fert alimenta dolor.

Vita mihi pariter, pariter sunt funera cordi:
 Tu mihi, tu tanti caussa puella mali.

Ad Cupidinem: ex Ariosto.

Improbe Amor puer injustissime, cur ita raro
 Nostra a te efficitur voti sententia compos?
 Cur ita delectat te, perfide, corda duorum
 Cernere diffidiis inter se infesta superbis?
 Arces me a liquidisque vadis, & gurgite tuto,
 Pertrahis in rapidosque amnes, cæcasque lacunas:
 Quæ me ultro petit, hinc revocas, alioque retorques,
 Quæ fugit, hujus me tabescere cogis amore.

Ecloga. Mopsus.

Jam roseo fulgens Aurora redibat amictu,
 Et noctem tacitam labentiaque astra fugabat,
 Cùm miser infano Gallæ succensus amore
 Venator Mopsus, male grati ut tædia lecti
 Vitaret, durum & menti subduceret ignem,
 Exivit tectis, silvasque & nota petivit
 Antra, ferens casses, arcum, plenamque pharetram,
 Adducensque acres per devia lustra molossos,
 Ante etenim tali quàm saucius esset amore,
 Non illo melior quisquam, seu retia silvis
 Tendere, sive feras celeri prævertere cursu
 Effet opus, canibusve, sequi per læta vagantes
 Pæscua, seu certo contendere spicula cornu.
 Hic postquam silvâ cervam excivisset ab altâ,
 Et jaculo canibusque celer sequeretur odoris;
 Forte animi dubius, fontem pervenit ad illum,
 Cujus in extremo conspexit margine primùm
 Texentem violas, & candida lilia Gallam.
 Arque ubi nota ægræ menti succurrit imago,
 Horruit, apricoque in gramine pallidus hæsit;
 Ac celeres illi è manibus cecidere sagittæ.
 Hinc tandem mœsta sic est cum voce locutus:
 Numquid adhuc nostro satiata es, Galla, dolore?


Im-

Immitis Galla? an majoribus urere flammis
 Pectora nostra paras? aut dira perdere morte?
 Namque ubi te viridi projectam in gramine nuper
 Conspexi, vario texentem è flore corollas,
 Contjnuò teneras invasit flamma medullas
 Aspera; quæ vires sensim, & fomenta videndo
 Acquirens, tacitè subter præcordia crevit:
 Ac velut in tenues stipulas si quando favilla
 Parva cadit, modico quæ primum surgit ab igne,
 Mox se se attollens paulatim crescit cundo,
 Ac totam subitò messem populatur, & agros;
 Sæpe etiam nemorum præcelsa cacumina carpit.
 Et cursu cùm sæpe feras antere folerem,
 Nunc vires, animumque omnem hic mihi sustulit ignis
 Ex illo nec amor prædæ nec cura ferarum,
 Nec Bacchi subit, aut Cereris, velut ante voluptas;
 Nec mea jucundos admittunt lumina somnos;
 Sed semper tacitis arserunt pectora curis,
 Et numquam adsiduo caruerunt lumina fletu.
 O quàm sæpe meo crevistis flumina planctu!
 O quàm sæpe meo viruistis gramina planctu!
 O quàm sæpe meo genuistis robora planctu!
 At at Galla meo numquam dolitura dolore,
 Quòd mea majores agitant præcordia curæ,
 Hoc ingrata magis, magis & crudelis amantem
 Negligis, & misero cogis tabescere amore.
 Nec te quod toties humili sum voce precatus,
 Profuit. & miseræ narravi incommoda vitæ.
 Scilicet & geminum leporem, capreamque fugacem,
 Et catulum cervæ, nostris quem retibus olim
 Deprendi, & nostræ, dixi, sint munera Gallæ,
 Misimus; atque duos, conspersis pellibus ambo,
 Capreolus: post hacque tibi majora dabuntur;
 Tu modo nequitiam, & fastus depone superbos,
 Et mitis tandem nostri miserere furori.
 An fortasse tibi despecta est horrida forma,
 Quæ videor silvas inter latebrasque ferarum,
 Vesperi, & rauco alta cacumina cingere cornu?

At

At magni Heroes, Divûm generosa propago,
 Non dedignati nemorum lustrare latebras,
 Aut gestare manu lato venabula ferro,
 Nec jaculo capream, celerem nec figere cervum,
 Hesperia nec cum Titan se mergit in undâ,
 Collectos puduit castes ad tecta referre.
 Hoc Paris hoc Veneri fecit dilectus Adonis,
 Hoc pariter, toto quo nullus major in orbe est
 Ferdinandus agit, magnorum è stirpe Deorum:
 Ille licet multi leges, & jura ministret
 Gentibus, & magnâ populos dititione gubernet,
 Ac sæpe audacem ingenio, & virtutibus hostem
 Comprimat, & multâ victum cum strage repellat,
 Clesius hunc juxta graditur, si fortè vacare
 Consiliis datur a magnis, & mole supremâ
 Imperii, totum latè quod sustinet unus
 Clesius idem hominum princeps, Divûmque face
 Insignis pietate, insignis fortibus ausis,
 Justitiæ cultor, & servantissimus æqui:
 Atque idem merito dignus, nisi nostra vetaret
 Relligio, totum cui templa, & sacra per orbem,
 Divinosque aris pariter statuamus honores.
 Hæc Mopsus tenues frustra jaçtabat ad auras:
 Cum tandem celeri adveniens nox humida curru;
 Retia colligere, atque canes revocare vagantes
 Suasit; & ingratis juvenem succedere tectis.





P E T R I C U R S I I

C A R P I N E T A N I .

Roma ad humani generis servatorem.

Summe Deum genitor, cælo qui tecta relicto,
 Mortalem indutus faciem, terrena subisti,
 Ut veterem ablueres culpam, nosque æthere pulsos
 Stellanti exciperes, tenebrosi everfor Averni;
 Quique tui sedem imperii sacra templa Quiritum,
 Ut primam, sic & voluisti hanc esse perennem:
 Da tandem Romæ requiem, & miserere labantis.
 Non ego nunc veterum vires, veterumque triumphos,
 Non decora, imperiumve peto; mea vota minora.
 Da dextram afflictæ, pater, & succurre cadenti.
 Nil non Roma mali, nil non perpeffa laborum,
 Nil non supplicii, dum qui tua jura, vicesque
 Sustinet, exofus bellum cum Cæsare pacem
 Hinc init; hinc, misso vix milite, Cæsaris armis,
 Non iisdem (fateor) sed Cæsaris, haud neget hostis,
 Vi victor victus subita, atque oppressus inermis.
 Sic orbis caput, ac Divum domus inclita capta est,
 Cum Sol opposita signorum in parte nitebat,
 Lustrabat Taurum radiis, nunc Scorpion ambit:
 Nec dum tot miles satiatus mensibus urbem
 Diripere, & tantæ rabiem exercere rapinæ;
 Nec modo viva patrum, sed mortua corpora nati,
 Mortua quinetiam natorum corpora patres,
 Mortua tormentis, & qualia tota vetustas
 Nec vidit, nec vera putent, sed ficta minores,
 Veste, auro, laribus, fundis, emisse coacti,
 Et quidquid latuit thesauri, effundere, aviti.

Ast ortum trahit a magni qui stirpe Catonis,
 Signatus prima teneras lanugine malas,
 Prorsus inops rerum, & tantum pietate beatus,
 Seminecis sortem fratris miseratus acerbam
 Porcius, indignis voluit succedere vinclis:
 Successit, miserumque ærata compede solvit,
 Non tamen hunc tulit ille diu perferre catenas,
 Sed vix absterfo incolumis squalore maligni
 Carceris, ævo impar, sed par pietate, cruentis
 Exiit invitum nodis, certantque vicissim;
 Nunc subit hinc, nunc ille subit, redimitque redemptus.
 Felices pueri, vinciti licet; eximet urbis
 Excidio vos fama, armis obnoxia nullis:
 Nec vos Ledæi vincet concordia partus.
 Præterea quis non hæc somnia vana putarit?
 Non ulli parsum generi, non moribus ullis,
 Fœdera amicitiae violata, solutaque jura
 Hospitii: miser ipse unus sum passus utrumque.
 Utque loquar de me, locus admonet, & dolor urget.
 Namq; ego dum procul hic sequerer, quæ castra timebam
 Ut rabiem, & terræ fugerem contagia pestis,
 Legatum, populis sanctum ac venerabile nomen,
 Junxit amicitia mihi casus & error honestus,
 Ergo prius colui incolumem, affectum inde recepi
 Hospitio, exceptumque diu, mecumque dolentem,
 Meque sibi lapsum referentem ex æthere numen,
 Sic fovi, sic cuncta domus extrema paventi
 Adfedit vigilans, tamquam spes omnis, & omnis
 Nostra salus, decus omne, animâ penderet ab una:
 Non tamen Ocnæo, & Germano sanguine creti
 Hospitis ingenium potui lenire merendo.
 Hic etenim, ut solitus rediit vigor artubus ægris,
 Quas ego reliquias fortunæ ex hoste recepi,
 Abstulit immani longè hoste immanior hospes;
 Quodque fuit gravius, repetenti indigna minatus.
 Usque adeo ingratos meritis implere, periculum est.
 Degeneres sic sæpe parit terra inclita cives:
 Sæpe diu & latitant vitia, & non cognita fallunt.

Nec vero hæc, Fernande, tuis teterrima pestis
 Dum comes it castris, talem te expertus in hostes
 Victorem victos, everſaque teſta Quirini.
 Quin reliquis Romam ſpoliantibus, audiit hoc te
 Dicentem: mea, non rapere eſt, ſed vincere, præda.
 Regum igitur ſecunda parens te Mantua fratrem
 Principis eſſe tui merito lætatur, euntem
 Per fratris decora alta, & fortia facta parentis.
 Ætas nulla tuum juvenis fortiffimè nomen
 Deſtruet, æternum hoc faciet Maro, Molza, Tebaldus,
 Dilecti Phœbo, & noſtri tria lumina sæcli,
 Nec te hos hoſpitiſ, & donis foviffiſſe pigebit.
 Ipſe etiam tentabo, licet ſim viribus impar
 Tanto oneri, tentabo tamen: ſi gloria cœptis
 Deſuerit, famam ingrati effugiſſe juvabit.
 Interea pergam patriæ deſlere ruinas,
 Nulli religio, ſexus non profuit ulli.
 Capta eſt pro capto, atque extincto conjuge conjux,
 Capta armis, menſes captam poſt quattuor Urbem,
 Ut ſceleri tempus ſcelus adderet, adderet enſis.
 Non pueri, non ipſa etiam cunabula, avaras
 Vitavere manus non expers advena cladis
 Extitit, induciis pellectus & advena, & hoſpes:
 Non aris addicta tuis ſanctiffiſſima virgo,
 Non ſacra, dum ſacraque pius facit æde ſacerdos.
 Ipſa ſimul nec tuta lues, ægreque trahentes
 Membra infecta viri, fœda in tormenta vocati;
 Æque trabe aut pedibus pendere, aut corporis acti
 Illa parte, pudor quam publicus occulit unam,
 (Sed manibus ſemper miſeri poſt terga revinctis)
 Acti igne, aut ferro, gemmas, precioſaque vaſa,
 Aurum numquam habitum properata in morte fateri:
 Sæpeque vix tacto morientis barbarus ære
 Occubuit, pœnaſque dedit duo fata ferenti.
 Sic prædæ jam major amor, quam cura ſalutis.
 Nos tamen his graviora alti fabricator olympi,
 Ferre vides, verum moderate hæc ferre, piorum eſt;
 Tantorum neque fas cauſas tentare malorum.

Nam-

Namque orbi, & templis quem præficis omnibus unum,
 Cuique uni fas hic referare, & claudere cælum,
 Arce sua, horrendum facinus, vi-captus ab hoste,
 Hoste suo, pariterque tuo; simul impius ille
 Jura hominum, simul ille Deum contemnit honores;
 Nec rerum putat esse vices, certusque futuri
 In se unum irati nil fulmina posse Tonantis:
 Scandere quin etiam se cælum, & vincere posse
 Jactitat, & domiti affectat cognomen olympi.
 Jamque suis nusquam templis honor, omnia prædo
 Efferus obsedit, duce cassus, lege solutus,
 Quadrupedesque tuis sua carpunt pabula in aris.
 An referam, quod me numquam meminisse juvabit?
 Cædi in delubris, inhumataque corpora linqui,
 Fœdari victas, maculari sanguine Divos
 Vidimus, & capti cæsorum invidimus Umbris.
 Vidimus intactam, populo spectante, puellam
 E templo, Romæ in medio, e gremioque pudicæ
 Et genere, & censu matronæ insignis avito,
 Districto avelli gladio, metuente corona,
 Luce sacra, qua sacra tuis solennia cunctis
 Roma tulit Divis: qua cunctos flecte putamus,
 Et puduisse Deos: qua cunctam sensimus urbem
 Ingemuisse magis, quam cum fera funera flevit,
 Quod postquam capta est longo jam tempore, postquam
 Direpta est, toties in vilia lustra trahatur.
 Hæc decuit spectare nurus, Hispanæ, Latinas?
 Hæc refert grates tibi. Scipio, fortis Iberus?
 Hoc est posse polos capere, & dare jura Tonantis?
 In tumulos etiam penetratum, & ditia busta,
 E digitis raptusque adamas, raptique smaragdi.
 De te (ne referam passim referata sepulchra)
 Maxime Pontificum, & patrum pater optime Juli,
 De te cui tantum licuit? Quem Thracius heros,
 Omnis quem tremuit regio gens extera, & omnis
 Cui vivo Italiam cessit, confessa minores
 Esse Deo vires hominum, spoliare sepulti
 Non veritus dextram gemma impacatus Iberus.

Scilicet hæc equitis, hæc gloria militis ingens,
 Accedat si tot spoliis & præda sepulchri.
 Sed quoniam superant genitor meliora relatis,
 Nec vobis jam vera queri, verosque dolores
 Edere jam tutum est: nec quisquam æquare canendo
 Funera tot possit, rerum tot stragis acervos.
 Te taciti moveant questus, tacitique labores,
 Teque patrum captus princeps, captusque senatus,
 Teque arctis manicis, & dura compede victus,
 Nunc cruce, nunc laqueo, nunc ense exterritus obses,
 Non hic vexatæ patriæ reus, impia in ipsos
 Nec tulit arma Deos, hic pacis pignus, & auri est,
 Te moveant exusta patrum monumenta sacrorum,
 Qui cœli, & superùm terris arcana recludunt.
 Naturæ & si quis referantur occulta potentis
 Tangit honos, moveant mersi nunc Tibridis alveo,
 Inprimis te sævæ lues, quæ plurima in omni
 Bacchatur Latio, atque urbes affligit Etruscas.
 Si te præterea quæ mille pericula passi,
 Non moveant, non mille doli, aut convicia mille,
 Non moveat, si cui pestis bellique pepercit
 Diluvium, subeunda etiam rerum omnium egestas?
 Naturæ & cœli ratio jam versa, vicesque
 Tempora non servant solitas, ruit imbris aër
 Assiduis, crebro & tonitu cœlum intremittit omne:
 Ut cupiant, Romam nequeunt liquisse phalanges.
 Frigora nos properata premunt, & Phœbus ad æquum
 Phylliriden jam flectit equos, servataque nulli
 Stragula, non vestes, nisi quas neglexerit hostis.
 Uda thorum nudis, & sub Jove, terra ministrat.
 Jamque fores domibus raræ, laquearia rara.
 Quæque habet è silvis urbs ornamenta, verendi
 Quæque operis pia templa, Deum simulachra, cohortes
 In proprios urunt usus, & si qua supersunt
 Ne sceleris, lucrive aliquid linquatur inausum,
 Comminuunt, vectantque inopi venalia plebi.
 Nec dum mera malis, nunc prædo nigra Falerna:
 Nunc dubias poscit cœnas, nunc commoda noctis.

Præsentisque stipem lucis, nec prorogat horam,
 Non momen, mortem intentans: ut vulnera desint,
 Addit verberibus gravius ferentia verba.
 Sed tum præcipuè metuendus militis ardor,
 Cum venæ intumuere mero, Germanaque passim
 Cum legio frustra eiectat glomerata Lyæo,
 Improba seu plenos exhausserit alea fîcos,
 Nam fora quæque avidis ludentum oppleta catervis,
 Hoc pedes in campo vires exercet, & artes,
 Martia queis olim pubes caput intulit astris:
 His eques invigilat castris, hæc oppida cingit:
 Hos hostes urbana phalanx, has obterit arces.
 Egregium hoc peditis decus, hæc res digna trophæis,
 Quadrupede aut equitem spoliare, aut torquibus aureis,
 Aut rediisse, domum argento, gemmisque gravatum.
 Cui male res ludo geritur, rabie incitus acri
 Hospitis innocui sævo latus impetit ense.
 Vidi ego, vidisti genitor, post vulnera Matris
 (Qua mons incolitur corrupta voce Citorus)
 Corruptum ad vulnus natum, & te sæpe vocantes
 Matris ad auxilium natum, puerique parentem,
 Alterum ab alterius metuentes vulnere lethum,
 Implentes gemitu montis juga, questibus auras.
 Tetrius hoc, majusque nefas ubi clara superbis
 Agrippæ monumenta extant innixa columnis:
 Ære trabes ubi, & ære fores, auroque refulgent,
 Collusor vidit. populus testatur, Iberus
 Afferit, & facinus Cimber, licet impius, horret.
 Sed tu præcipue nosti, cui cuncta patefcunt:
 Cuique sinu positus casto, vix vixque ferocem
 Effugisti ictum, caræ simulacra parentis
 Hispani gladio, & verbis fœdata nefandis,
 Vulnere & è sævo subitum manasse cruorem.
 Attonita urbs monstro, temerata cucurrit ad ora
 Virginis, invisitque frequens, & vulnera terfit
 Illacrimans, ac dona tulit: sed qualia ferret
 Urbs toties direpta, Deæ tamen æmula templis
 Vicinis delubra parat, modo strata resurgat.

At puto, res est salva foris pomaria plantas
 Nulla suas retinent, non ullas vitibus ulmos
 Servavere, truces vineta experta Lycurgos.
 Nulla feges, nullique greges, nullique coloni,
 Captatorque avium, debillatorque ferarum
 Nullus agris, nullus silvis, via pervia nulli:
 Nec colere est ulli Romam, nec linquere tutum.
 Prædo etenim occultos calles, & cæca viarum
 Infedit, vitæ pariter spoliatar, & auri:
 Sic tamen ut tanto in gemitu credamus & ipsas
 Ingemuisse feras, solæ licet ocia campis
 Lata agitent, tutæque lacus, & aperta frequentent.
 Oppida nulla suis opibus vicina fruuntur.
 Tyrrenasque eadem tempestas obruit urbes,
 Quæ Latias: Latio Libyæ deserta timemus.
 Omnia ad interitum spectant inhonoraque fata;
 Ni tu reliquias genitor pestisque, famisque,
 Reliquias ferri, & flammæ, nisi lumine amico
 Respicias, placidusque juves, lætusque serenes.
 His quoque nunc lacrimis illos te orare putandum,
 Qui pro te in patria hac duros subiere labores,
 Quique alacres certis vitam obiecere periculis,
 Te cœli effuso testati sanguine regem.
 O Divûm, o hominum, o rerum suprema potestas,
 Cernis, ut incedat tumidus, totque Urbis onustus
 Insultet spoliis, nullo duce barbarus hostis,
 Imperii impatiens, ut grandius imperet aurum,
 Impius, insidiosus, inexorabilis illex,
 Utque tenax vacuum prorsus non deserat urbem,
 Sed spoliet toties spoliatam, atque omnium egenam?
 Et licet hinc ultor victricibus advolet alis
 Lutrecus, quo non ductor maturius alter
 Victorem toties, toties evicerit hostem,
 Hinc Venetum pugna, atque mora dux inclitus instet,
 Auria & hinc classe instructa, quem sæpe fugantem,
 Sternentemque truces vexata per æquora Mauros
 Neptunus, patria & cives videre recepta,
 Sublimem curru, & duplici fulgere corona,

Hinc

Hinc extrema fames, dira hinc discordia gliscat:
 Ipse tamen mediam ignavus secessit in Urbem,
 Cumque una fera bella gerit, juvat usque morari,
 Et Romam ex imis paulatim sedibus omnem
 Vertere, ne facies Urbis, nomenve superfit.
 Affer opem, miserere pater, succurre jacenti.
 Pœnarum sat Roma dedit, quod credula bello
 Prævertit pacem, & victis se credidit armis.
 Hic locus, hæc sedes, domus hæc est certa Deorum.
 Nos certe in patria hac pugnando vulnera passi,
 Pro te, pro patria hac, moriendo vicimus hostem.
 Sed nimium diris iterum cruciatibus angi,
 An leve sit gladios iterum sentire sepultis?
 En crura, enque pedes laceri, laceri ora vagamur.
 En sparsi cineres, atque ossa inhonora jacemus.
 Nulla urna est cineri, tumulus non ossibus ullus.
 At si forma omni, sensu omni, & luce carentem
 Optatam pius ad vitam revocaveris Urbem;
 Viva dabit cineri tumulum, dabit ossibus urnam,
 Da vitam, extincta est pater, & quæ maxima quondam
 Quæ Dea terrarum fuerat, nunc ultima rerum est,
 Redde animam, es solitus, pater, & potes omnia solus.
 Si nimis hoc, sedeatque tuæ non parcere Romæ,
 Nec dare poscenti veniam vitamque roganti:
 Saltem Urbis (si quod reliquum) defende cadaver.
 Hoc quoque si nimium, statque ipsos sternere muros,
 Parce tuis saltem templis, templisque tuorum.
 Non moveant, esto, tot tristia fata Quiritum,
 Non Patrum captus princeps, captusque Senatus,
 Non Urbis lacerum exangue, atque informe cadaver,
 Non templis armenta bouum, & stabulantia equorum:
 Cur te non tangant sparsæ, & sine nomine Divum
 Reliquiæ, spoliatae auro, & sine honore jacentes?
 Cur toleres prædam esse tuis tua sacra manipulis?
 [Si tamen hos Calabros, hos Cimbro, hosque Brigantes,
 Esse tuos, hosque esse tuos fas dicere Iberos]
 Cur viduata suis tua cuncta altaria donis
 Non moveant, moveatque sacris erepta supellex?

At non ipse Deum exuvias, neque Cynthius Urbis
 Excidium læto ore tulit: quin protinus atra
 Nube caput nitidum, densa & caligine textit,
 Tempore nec passus solito flavescere fruges,
 Distulit in mensem messem; ut quos perdere tela
 Non poterant, hos sæva fames detruderet Orco.
 Flumina & has facies scelerum averfata suumque
 Occuluere caput notoque excessit ab alveo
 Ipse Anio, alterius fieri maris advena nixus,
 Aut saltem abjunctus Tyrrheno in marmore condi.
 Scilicet extimuit misceri Tibridis undis,
 Volvere quem sciret Divum sacra membra tuorum.
 Qua licuit tamen hic viridi nos abdidit algâ,
 Actutum obduxit salices, & arundine cinxit,
 Aggessitque solum leve, ne trunca ossa graventur.
 Albula & ex illo leni pius agmine fluxit,
 Ne laceros iterum laceret, retegatve sepultos.
 Tu tamen, ô genitor pacato hæc pectore cernis,
 Atque omnem sensim pateris comburier Urbem.
 Nos iterum atque iterum morimur: nec ferre dolorem
 Possumus hunc, doluitque minus cum funera passi.
 At Pater omnipotens, quando alti arcana recessus;
 Diis novisse nefas, nisi sit tua juncta voluntas;
 Mitia Diis saltem liceat te ad fata morantem
 Flectere, & extremis finem exorare ruinis.
 Da tandem fessis, genitor, sua libera tecta,
 Redde suum templis cultum, membrisque refossis
 Pone suos tumulos, tua sparsa & collige sacra.
 Instantemque famem Latio, & defende Quiriti.
 Illum præcipue Regem, regna illa, ducesque
 Esse jube incolumes, tua qui nunc jura tuentur.
 Fer pacem Italiæ, & Martem compefce catenis,
 Quando fatis rerum, fatis & jam sanguinis haustum,
 Alma tua & sensit crudelia vulnera mater,
 Quando & in Urbe unâ totus prope concidit orbis.

Ad Plataeum in Villa Roscia .

Arbor clarorum hospitio dignata virorum,
 Et regum sacra sæpe rigata manu,
 Salve, arvis longùm Latiis non edita, sed quæ
 Nunc patulis ornas Roscia rura comis.
 Huc ades, haud his orta jugis sine numine amico es
 Læta dabant Platani sæcula, læta dabis.

Ad Paulum III.

Qui pacem ut terra, atque mari des, Paule, subisti
 Mille senex terræ, mille pericla maris.
 Quæ tibi pacata debentur præmia terra,
 Quæ tibi pacato digna trophæa mari?
 Terra, mare, his minus: at cælum nova procreat astra:
 Dii, quibus hæc servas regna, trophæa parant,

Tumulus Campegii Cardinal.

Campegii terra hæc vivi tegit ossa, viator,
 Nam stupor est cœlo lapia putare mori.

*De Tiberis inundatione post direptam a Cesariæ
 milite Romam.*

Ense, lue, igne, fame, paucis amissimus annis
 Longa dies quantum vix reparare queat.
 Nunc mare Tyrrhenum fluctu hinc se opponit, & urget,
 Hinc Tuscus subitis ingruit amnis aquis.
 Ut quos tot nequeunt strages absumere flammis,
 Neptunus nostri subruat amnis ope.
 Rara domus tumidis, horrendum, apparet in undis:
 Rarus & in cimbis vir juga summa subit.
 Unde urbem Roma Venetam spectamus in urbe
 Hæc ruit heu, crescit fluctibus illa suis.
 Sed mage nos miseros, quibus, hæc dum funera flemus,
 Unda pedes jam nunc, nunc rapit unda animam.
 Quod


Quod tamen admissum tantum scelus esse putemus,
 Quantum opus ut sociis abluat æquor aquis? .
 Certè hoc non nostrum crimen: Dii sanguine fœda
 Non alio poterant tergere templa modo.

De Rutilio .

Ut mors Rutilium tot sensit reddere vitæ:
 Styx vale, ait, vitæ jam patefacta via.


F I N I S .





I N D E X

Rerum notabilium, quæ continentur
IN TOMO TERTIO.



A

- A** *Edua Augustus* pag. 378.
Adulatores fugiendi 273.
Ægius Benedictus 193.
Ægrotus amicus tandem moritur 145.
Ænigma piscium 124.
Ætna 34.
S. Agnes 245.
de Alba Ducis Victoria 256.
Albutius Petrus 375.
Alciatus Andreas 388.
Alcibiadis imago 80.
Aleander Hieronymus 72.
Alexander Magnus 285.
Amantium contrarii affectus 524.
Ambitio vituperata 264.
Amor Herculem vincit 76. *apes habens in pharetra* 73.
 74. *sculptus in fonte* 79. *fulmina vincit* 80. *eum*
deprecatur amans 122. *uro conciliatur* 235. *uris*
aman-

- amantem* 503. *malus fugiendus* 506. *Musas abi-*
git 509. *ejus potestas* 511.
Anacreon 104.
Annulus expoliendus 105.
Anterota 67.
Antium civitatis Volscorum celebratur 22.
Antimachus Marcus Antonius 107.
Anysius poeta 68. 493.
Apes in pharetra amoris 73. 74.
Apollo poetam adloquitur 104. *laudatur* 221. *ejus*
munia 222.
Aqua Virgo fons 199. 229.
Aquarum inundatio 143. 537.
Arbores folia mutant 92.
Archimedes 106.
Areosti epitaphium 76. *ex Areosto translatum* 525.
Aretinus Petrus 396.
Arigonus Lelius 235.
Arion a Delphino per mare vectus 118.
Aristoteles 293.
Aroneus Franciscus 387.
Arretium civitas 421. 423.
Asinius Joannes Baptista 434.
Avaritia mala 266. *nullus finis* 374.
Auri desiderium. V. *Avaritia*.
Auria Andrea 341.
Austriacus Joannes 216. 218. 317. 318. 327. 331.
&c. 347. 349. 399. 451.
Austrius Cammillus 314.

B

- B** *Acchica saltatio pag.* 513.
Bacchus invocatus 4c. *ejus laudes, & gesta* 40.
ex igne raptus 75.
Badoerus Federicus 395.

- in *Bajazetis effigiem* 407.
Bandinellius Ubaldinus 268. 271.
Barbadicus 348
Barberinus Maphæus 40.
Bargæus Petrus 435. 437.
 B. *Bartholi laudes* 154.
Beatus quis sit 489.
Beccatellus Ludovicus 431. 432. 433.
Bellerophon chimæram superat 403.
Belli Victoria. V. *Victoria*.
 a *Bello damna inlata* 10.
Bembus laudatus 193. 266. 283. *in ejus morte* 203.
 epitaphium 225. *nominatus* 203.
Bentivolus Galeatus 412. 413. *Alexander* 413.
Blondus laudatur 122. 123.
Bocca Ranerius 436.
Bohemia Victoria 1. 11.
Bona fortune precaria 67.
Bonamicus Lazarus 397.
Bonellus Micbaël laudatus 319.
Bononia & Roma comparata 84.
Borromeus Gibertus 373. *Julius* 385.
Brutus 286. 292.
Bucula Myronis 79. 80.

C

- C** *Abreera Gabriel laudatus pag.* 31.
Cæcus & claudus juncti 79.
Cajetanus Honoratus 341.
Calamus ad scribendum paratus 81.
Calcagninius ab Hercule Ferr. Duce invisitur 73.
Calende Januar. nivose 81. *Calendis Januariis salutatio* 193. *Augusti* 378.
Callimachus Geminianensis 130.

- in *Campanas* 281.
Campegius Joannes Baptista 259.
Canalius Franciscus 39.
Cantelma Margarita epitaphium 66.
Capellus Bernardus 386.
Capilupus Lalius in carcere 197. & *Hippolytus* 232.
Camillus adhortatur ad sapientiam 233.
Caracciolus Martius 289.
Carmina Anyssi 68. *Pindarica* 39. *carmina non esse obtegenda* 71. *famam pariunt* 115.
Caroli Caesaris laudes 204. *ejus epitaphium* 226.
Carolus nonus Galliarum Rex 212. 216.
Casa Joannis Vita 282.
Castilianus Franciscus 151.
Cassius 293.
Castilioneus Philippus 384.
Centones Virgiliani 157.
Ceruti Antonii patria descripta 397. *laudatus* 384.
Chirurgus Paulus 114.
Christi natalis 430.
Ciampolus Joannes laudatus 31. 39. 45.
Cicero 285. 288.
Cincinnatus 288.
Clalia Romana 286.
Claudius Nero 289.
Clementius Cynthius 41.
Cleopatra simulacrum 299.
Coleon Bartholomeus laudatus 409.
Columbus Ligur ignota ora reperit 32. *ejus epitaphium* 226.
Columna Cardinalis senior 284. *Prosperus* 295. *M. Antonius* 320. 337. 338. 347. 351. 400. 410.
Pompejus 349. *Hieronimus* 455.
Comminez Philippus laudatus 401.
Constabilis Antonii elogium 101.
Copoli Ibonis tumulus 114.

Corneus Ascanius 318. 329. 339.
Cortona 423.
Corvini Matthiæ laudes 457. &c.
Cossus 290.
Costa Hippolytus pictor 238.
Crucejus laudatus 379. *Hannibal* 376.
Culicis encomium 72.
Curtius 299.

D

D *Æmon malus* pag. 253.
Dangenes Carolus Cardinalis 326.
Daphnes 133. 522.
Davali Alfonsi laudes 380.
Demosthenes 288.
Deorum origo 117. *ad Deum hymnus* 243. 328. *Diæ rustici* 514.
Donum perdicis 73. *Copæ depictæ* 116. *Turdorum* 116.

E

in **E** *Brium* pag. 227.
Echo 33. 81.
Eclogæ 295. 352. 525.
sub *Effigie Bajazetis* 407.
Epigramma bonum difficile factu 74.
Epitalamion 15. 357.
Epitaphium Margaritæ Cantelma 66. *Ludovici Cælii Rhodigini* 66. *Hippolyti Cardinalis Ferrarise* 71. *Ludovici Areosti* 76. *Ludovici Pannoniæ Reg.* 84. *Fusci* 102. *Quintia* 103. *Anacreontis* 105. *Archimedis* 106. *Joannis Manardi* 108. *Ibonis Copoli* 114. *Julii formosissimi* 115. *Canis* 115. 496. *Blondi* 123. *B. Finis* 143. *Pauli secundi* 148.
Pe-

- Fons in quo Amor insculptus* 79. *Julii*. III. 231.
Petri Bembi 193. 225. *Pauli Manutii* 225. *Caroli V.* 226. *Christophori Columbi* 226. *Henrici Galliarum Regis* 226. *Julii Caesaris* 227. *Pauperis senis* 248. *Cardinalis Farnesii* 249. *Gratie puella* 309. *Epitaphium Jo: Lascaris* 430. *Quinterii* 492. *Hippolyte puella* 522. *Campegii Cardinalis* 537.
Epistola Massinissa ad Sophonisbam 87. *Capilupi* 200.
Hippolytes Castilonia 305.
Equus aeneus Lysippi 80.
Eridarus flumen 503.
Estensis Hippolytus Cardinalis 102. 185.
Euridice. V. *Orphaus*.
 ex *Euripide in uxores* 268.

F

- F** *Aba in usu ad suffragia ferenda* psg. 427.
Faber Philippus laudatus 406.
Fabricii statua 72.
Faërnus 265. 270.
Farnesius Horatius mortuus 279. *Alexander Cardinalis* 325.
Feltrius Julius Cardinalis 195.
Femina levior foliis 134.
Feminarum vituperatio 163.
Fesule 423.
 ad *Flaminii Manes* 263. *laudatas* 283.
Florentia laudes 419. &c. 446.
Fluvii laus 494. 503.
Forma fluxa 116.
Formice fabula 132.
Fortune bona precaria 67. *fortune invocatio* 191.
 ad *fortunam* 274. *ejus vires* 504.

Cardinal. Madrutii 231. *ad pontem Ælium* 242.
Virgineus 320. *Trivius* 321. *Bagnaje* 411. *Castalius* 415.
Fulvius Flaccus 289.

G

G *Alateus pag.* 263.
Galilai laudes, & inventa 45.
Gambara Laurentius 228. 229.
Gherardius Petrus laudatus 445.
Ghislerius Paulus 342.
Gonzaga Francisci effigies 183. *Hercules* 197. 208.
Vincentius 217. *Hippolyta* 226. *Vespasianus* 241.
Elisabella canens 303.
Grallator 102.
Gregorius XV. Pont. Max. 7. 13. *Gregorius XIII. Pont. Max.* 197.
Grilli munus 429.
Guarinius Jo: Baptista laudatus 404.
ad Guevaras fratres 493.
Gyraldus Lilius Gregorius 66. 69. *Joannes Baptista* 76.

H

H *Annibal Carthaginensis pag.* 285. 287.
Henrici Galliarum Regis epithaphium 226.
Hercules II. Ferraria Dux 65. 71. 73. *ejus munificentia* 76. *ejus filii* 81. *ejus imago* 78. 81.
D. *Hieronimi laudes* 97.
Homerus 294.
de *Horatii carminibus* 279. 505.
Horatius Cocles 287.
Horologium fulminatum 65. 83.
Hortus vulgo Belvedere 220.
Hofius Stanislaus Cardinalis 326.
 Tom. III. Mm Ja-

I

- J** *Acobellus Seraphinus* pag. 107.
Jacominus Laurentius 437.
Jannottus Antonius 213.
Jano votum 190.
Januarii Calende . V. Calendæ.
Jasnis navis 209.
Icari casus 78. 403.
Imago Herculis II. Ducis Ferrariae 78. 81. *Alcibiadis* 80. *D. Hieronymi* 97.
Imperialis Fr: Vincentius 401. 403. 406. 407.
in Innocentes Martyres 219. 242. 245.
Ingrati fugiendi 509.
in Invidum 231.
Io in bovem conversa 33.
ad Jovem 130.
Jovius Paulus 163. 381. *Benedictus* 408.
Julius II Pont. Max. 284.
Julius Cesar 291.
Justinianus Vincentius 230.

L

- L** *Acon in bello occisus* pag. 509.
Laconicus chorus 508
Lampridius Benedictus laudatur 70.
ad Lauretanam Virginem 255.
ad D. Laurentium 242.
Laurus 522.
Laus Medici 41. 42. 139. 406. 445. *Mathematici* 45. *Poëta* 70. 401. 404. 413. 501. *Munifici viri* 70. *Ducis strenui* 125. 216. 218. 409. 410. *Pictoris* 308. *Musici* 308. *Cardinalis* 321. 325.

325. 326. *Jurisconsulti* 388. 434 *Theologi* 406.
Leo X. Pont. Max. munificentia laudatus 70. 307.
 ad *Libellum* 123.
 ad *Lottinum* 314.
Lucretia Romana 286.
Lucullus 290.
Ludovicus Nicolaus 15.
Lupanius laudatus 379.

M

- M** *Adrucius Cardinalis pag.* 371. 381.
Majoragus Marcus Antonius 404.
Manardus Joannes 108.
Mancina Faustina 313.
Manutii Pauli epitaphium 225. *Aldus Paulus fr.*
laudatus 316.
M. Marcellus 288. 291.
 in *Marcum Antonium* 229.
Mare glaciale describitur 44.
Margarita Regis Gallorum soror laudata 278.
Marius Belisarius 382.
 ad *D. Martinum* 377.
Marullus 509.
Masniſſe epistola 87.
Maximilianus Bojorum Dux 1.
Medices V. Leo X. Medices Laurentius 123. 128.
 133. 139. 144. 150. 498. *Julianus* 156 *Cosmus*
laudatus 310. 311. 312. *Cosmus Florentia Dux*
 184. 415. 431. 435. *Cosmus Musas fovet* 389.
Jo: Angelus Cardinalis 391. *Franciscus* 431.
 435. *Jo: Jacobus* 524.
Merula Gaudentius 387.
Mirandulanus Picus 498.
Molsa laudatur 268. 530.

- in *Montisferrati Principum nuptiis epithalamion* 357.
Morbus describitur 46.
- ad *Mortem instructio* 75. *meta laborum* 89. *inopinato opprimit* 215.
- in *Morte Titi Stroza* 75. *Petri Bembi* 203. 225. *Pauli Manutii* 225. *Gasparis Collignii* 250. *Julii Pogiani* 258. *Ubalдини Bandinelli* 271. *Horatii Farnesii* 278. *Raphaëlis pictoris* 308. *Fulvii Stalla* 316. *Pii V. Pont. Maxim.* 327. *Ascanii Corneii* 329. 340. *Jacobi Rofei* 391. *Francisci Maria Umbrorum Ducis* 395. *Jacobi Sadoleti* 401. *Jo: Georgii Trissini* 401. *Cornelii Mussii* 403. *Jo: Baptista Porta* 403. *M. Antonii Majoragi* 404. *Jo: Baptista Guarini* 404. *Torquati Tassi* 404. *Ludovici Septala* 406. *Heleonora Toletana* 432. *Jacobi Columnæ* 433. *Michaëlis Angeli Bonarrote* 433. *Benedicti Varchii* 436. *Francisci Columnæ* 438. *Laurentii Medicis* 498. *Jo: Jacobi Medicis* 524. *Gabrielis Faërrii* 525. *V. Epithaphium.*
- in *Mulieres nuptas* 268.
- Munus perdicis* 73.
- Muse numina sacra* 35. *eis gratias agit poëta* 232. *multa pariunt bona* 278. 373. 497. *atervant viros* 371. *Musis vacandum relictis legibus* 383. *earum natalis* 510.
- Musotus Antonius* 414.
- Mussus Cornelius* 391. 403.
- Mustus Augustinus* 66.
- Myronis bucula* 79.

N

- N** *Atalis Musarum pag.* 510.
Naugerius 492.
Navigaciones longinquæ 13.

ad *Naupactum Victoria*. V. *Victoria*.

Nemesis 78.

Nero impius in matrem 78.

D. *Nicolai laudes* 153.

Nili cubitus 107.

Niobe 77. 82.

Nix Kal. Januar. 81. *nivis tempore lusus* 85.

Nympharum lusus tempore nivis 85.

O

O *Pes humana spernenda, caelestes amplectenda pa-*
gin. 250.

Organum musicum ex alabastro 83.

Oricellarius Hannibal 273.

Orpheus 103.

P

P *Aleologa Margarita pag.* 243.

Palonius Marcellus 380.

Pandulphinus 127. *laudatus* 152.

Papirus Cursor 285.

Parsimonia victus 124.

Pasqualinus Jo: Franciscus 215. *Lelius* 230.

ad *Paulum III. salutatio* 193. 194. 537.

Pax Itala 7. *inter Philippum & Henricum Reges* 210.

Pendafius Federicus 212.

Penelopes lamentatio 91.

Penthesilea 294.

Peregrinando fortuna mutatur 29.

ex *Petrarcha translatum* 524.

Philomela 34.

Philosophia legibus preferenda 385.

Philosophus in magistratu 71.

- de Pictura quadam* 289.
Picus Ludovicus 301.
Pirenejus Nicolaus 392.
Piscium anigma 124.
Pistophili laudes 106.
ad Pium II. Pont. Max. 122. *Pius III.* 206.
Pius V. laudatus 314. 319. 330. 448.
Plato 293
Plinius secundus 289.
Plotius Joannes Baptista 387.
Poëtarum varia genera 31. *sors* 104. *poëta ab in-*
vidiâ lacerati 396. *eorum innocentia* 502.
Politianus Angelus 150.
Pompejus Magnus 291.
Pontanus laudatus 97.
Portia 286.
Praga Bohemiæ Civitas 3.
Priulus 263. 265.
Puella amor 72. 490. 491. 502. 515. 522. *mor-*
tua 77. 519. 522. *rosa rosa* 81. *similis soli* 215.
Dea 82. 117. 523. *in servitutem redigit* 84. *lu-*
dens tempore nivis 85. 124. *omnium letitiarum*
origo 117. *carmina petit* 118. *Auroræ compara-*
ta 118. 237. *Luna nitorem vincit* 236. *Luna*
comparata 248. *multis caussis pulchra, & laudan-*
da 119. *iter amantis ut eam sequatur* 120. *pau-*
perem poëtam in amorem suum inducit 120. *ludit*
dominam 125. *tumulus* 103. 522. *dura* 103 *gem-*
nam donat 203. *letitia mortua* 227. *Cera nomi-*
ne 235. *ejus oculi sideribus comparantur* 236. *Vil-*
lam petit 237. 239. *ad Villam invitatur* 238.
Phæbo comparatur 240. & *videns, & lugens pul-*
chra 242. *cancros legens* 244. *lugens* 246. *canens*
303. queritur de absentia amantis 305. *ab ea di-*
scedit amans 523.
Pulicis nuncupatio 69.
Puteolanus Franciscus 413.

Q

- Q**uieta vita laudata pag. 500.
 Quirinus Marcus laudatus 319. 342. 399.

R

- R**Angonia Claudia pag. 234.
 Rangonia Claudia 248.
 Raphaëlis Urbinatis laus 76. 306. 308.
 Remedia varia in infirmitate describuntur 48.
 Rhodigini Ludovici Calii epithaphium 66.
 Ripa Ascanius 436.
 Rifus laudatus 104.
 Romæ antique mores 37. profopopeja 188. aquis obruta 202. laudatur 223. 270. ruitur 250. Jo: Casam detinet 278, Christum deprecatur variis ærumnis afflictâ 528.
 Rosetus poëta 67.
 Rubeus Hieronymus Historia scriptor 439.
 Ruris laudes 36. 278.

S

- S**adoletus Jacobus Cardinalis pag. 401.
 Sala Jacobus Maria 383.
 Sanitas laudata 100.
 Sapientia. V. Virtus.
 Scipio Affricanus major 287.
 Sedunensis Mattheus Cardinalis 411.
 Senex respiscit 254.
 Senis Vita 233.
 Septala Ludovicus laudatus 406.
 Seraphinus Jacobellus 73.
 Serenus Bartholomeus 313.

Sertorius 290.

Siccus Nicolaus 377.

Sixtus V. Pontif. Max. 263.

ad *Somnum* 520.

Sophonisba scribit Masinissa 87.

Spes omnibus expectata 29.

Statua Fabricii 72. *Victoria* 82. *Niobes* 82.

Stroza Titus 75. *Hercules* 107.

Stufa Sixmundus 148.

Sulphuris laudes 42.

T

T *Abus Bernardus* pag. 204.

Tebaldus laudatus 530.

Testius Fulvius 32.

ad *Tiberim* 430. *ejus inundatio* 537.

Tormenta bellica 495.

Triffinas Jo: Georgius laudatus 401.

Triumphus 5.

Truchses Otho Cardinalis 321. 322. 323. 324.

Tumulus. V. Epithaphium, & Mors.

Turca victi 259. 314. 315. 316. 317. 330. &c.
344. &c. 399. 400. 429. 441. 448. 451.
452. &c.

Turianus Jo: Baptista 492.

Turnonius Franciscus Cardinalis 275.

V

V *Arabona Joannis* pag. 386.

Varchius Benedictus 433. 434. 435.

Ubaldu Guidus 394.

Venetia laudata 270. 440.

Venus cœlestis 56. *cum Marte deprehensa* 62. de-
pre-

precatur eam amans 122. *ad eam invocatio contra barbaros* 217.

Victoria Bobemica 1. 11.

Victoria Ducis Albæ 256. *Christianorum de Turcis* 259. 314. 315. 316. 317. 331 &c. 341. 344. &c. 399. 400. 441. 448. 451. &c. *Luciani* 495 *Bobemica* 1. 11. *ejus simulacrum fulmine ictum* 82.

Victus frugalitas laudata 124.

Vina varia 39. *ejus origo* 100. *poëtis carum* 314. *inferunt damna* 374. *letitiam pariunt* 379. *curas abigunt* 376.

Virgiliæ centones 157.

Virgilii prosopopeja 187.

Virgilius 294.

Virginia enectæ 286.

Virginus Ursus 131.

Virtus si oculis adspiceretur, amaretur 233.

Volscorum civitas Antium laudatur 22.

Vox morbo amissa 32.


Ursinus Hieronymus 129. *Paulus Jordanus* 340.

Vulgus spernendum 266.

Z

Z *Anchius Basilius pag.* 232.

Z *Zeusis Pictor* 284.



THE HISTORY OF

THE HISTORY OF THE
CITY OF BOSTON
FROM THE FIRST SETTLEMENT
TO THE PRESENT TIME
BY NATHANIEL BENTLEY
VOL. I

THE HISTORY OF THE
CITY OF BOSTON
FROM THE FIRST SETTLEMENT
TO THE PRESENT TIME
BY NATHANIEL BENTLEY
VOL. I

Printed and Sold by
J. B. BOSTON

1800



851.08 B751C v.3 376486

Bottari

Carmina

DATE

ISSUED TO

851.08 B751C v.3 376486

